Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union


https://archive.org/details/ethicachristiana06patu

P. F. JOANNIS VINCENTII
PATUZZI
ORD. PRÆDICATORUM
IN VENETA CONGREGATIONE B. JACOBI SALAMONII
S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS

ETHICA CHRISTIANA
SIVE
THEOLOGIA MORALIS
Ex purioribus Sacræ Scripturæ divinæque traditionis fontibus derivata, &
S. THOMÆ AQUINATIS DOCTRINA
CONTINENTER ILLUSTRATA.

EDITIO NOVISSIMA
IN SEPTEM VOLUMINA DISTRIBUTA:
Addito nunc primum ejuſdem Auctoris Tractatu de Indulgentiis.

TOMUS SEXTUS
CONTINENS
TRACTATUS X. DE SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTIS
PARTEM PRIMAM,
Ideſt de Sacramentis in genere, de Baptiſmo, de Confirmatione, & de Euchariſtia.



ALMA COLLEGE
239.02
LIBRARY
P278
Alma, California

BASSANI, MDCCXC.
PROSTANT
VENETIIS APUD REMONDINI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

31737

INDEX

Tractatuum, Diſſertationum, & Capitum, quæ in hoc Tomo VI. continentur.

TRACTATUS DECIMI

DE SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTIS

PARS PRIMA.

DE SACRAMENTIS

PARS PRIMA,

Quæ eſt de Sacramentis in genere.

DISSERTATIO I.

De natura, & numero Sacramentorum, necnon de eorum Auctore, Miniſtro, & neceſſitate.

CAPUT I.

Notio, & eſſentia Sacramenti accurata definitione exhibetur. Numerus, & ordo exponuntur.

DOCTRINA.

I. *SAcramenti varia nomina, & ſignificationes.* pag. 2
II. *Sacramenti definitio exhibetur.* ibid.
III. *Sacramenta ſunt ſigna in re ſenſibili conſtituta.* 3
IV. *Ad divinum beneplacitum ſignificandum ordinata.* ibid.
V. *Non ſolum gratiam ſignificant, ſed & conferunt.* ibid.
VI. *In quo differunt a Sacramentis veteris Legis.* ibid.
VII. *Septenarius numerus Sacramentorum admittendus.* ibid.
VIII. *Illius analogia ad corporalem vitam.* 4
IX. *Triplex ordo in Sacramentis, Ordo naturæ,* ib.
X. *Ordo neceſſitatis,* ibid.
XI. *Ordo dignitatis explicatur.* ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *SAcramenta non ſunt ſigna privata, ſed publica, & perpetua.* 5
II. *Nec inſtituta ſolum ad fideles ab infidelibus diſcernendos.* ibid.
III. *Cum gratiam ſanctificantem, & Chriſti paſſionem ſignificent.* 6
IV. *Tria requiruntur, ut ritus aliquis ſit Sacramentum.* ibid.
V. *Lotio pedum non eſt inter Sacramenta connumeranda.* 7
VI. *Quinam ordo ſervandus in ſuſceptione Sacramentorum.* ibid.

CAPUT III.

De Sacramentorum exiſtentia, & neceſſitate in omni hominum ſtatu.

DOCTRINA.

I. *VArii hominum ſtatus in ordine ad Sacramenta.* 7
II. *Nulla fuere in ſtatu innocentiæ Sacramenta.* ib.
III. *In ſtatu legis naturæ aliqua extitere Sacramenta.* 8
IV. *Et quidem ad ſalutem neceſſaria.* ibid.
V. *In Lege ſcripta plura fuerunt inſtituta Sacramenta.* 9
VI. *Solis Judæis neceſſaria.* ibid.
VII. *In nova Lege plura ſunt Sacramenta, & quidem neceſſaria.* ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *SAcramenta antiqua nonniſi analoga ſunt noſtris Sacramentis.* 9
II. *In ſtatu naturæ credibile eſt aliqua fuiſſe Sacramenta.* ibid.
III. *Sacramenta Veteris Legis ad quatuor tantum revocari poſſunt.* 10
IV. *Judæorum Sacramenta viva fuere, & ſancta uſque ad mortem Chriſti.* 11
V. *Sacramenta Novæ Legis alia iterabilia, alia non iterabilia.* ibid.

CAPUT V.

De novæ Legis Sacramentorum Auctore.

DOCTRINA.

I. *CHriſtus omnia Sacramenta immediate inſtituit.* 12
II. *Chriſtus, prout Deus, & prout homo eſt, Sacramenta inſtituit.* 12
III. *Quorumdam Sacramentorum formas, & materias Chriſtus quoad ſpeciem determinavit.* 13
IV. *Nec non Confirmationis, Ordinis, & Pœnitentiæ ritus eſſentiales.* ibid.
V. *Quomodo potuerit Chriſtus poteſtatem inſtituendi Sacramenta aliis communicare.* ibid.

CAPUT VI.

De Sacramentorum Miniſtro.

DOCTRINA.

I. SOli homines viatores eſſe poſſunt Sacramentorum Miniſtri. 14
II. Non tamen omnes, & ſinguli. ibid.
III. Miniſtri ſunt veræ cauſæ Sacramentorum, licet non principales. 15
IV. Ad Sacramentorum valorem non requiritur in Miniſtro Fides. ibid.
V. Nec officit improbitas. ibid.
VI. Peccant tamen lethaliter improbi Miniſtri Sacramenta conficientes. ibid.
VII. Curam animarum habentes tenentur Sacramenta miniſtrare. 16
VIII. Et aliquando Regulares, & cæteri Sacerdotes. ibid.
IX. Non licet illis Sacramenta indignis miniſtrare. 17
X. Nec publicis peccatoribus, ſive occulte, ſive publice petant: occultis autem, ſi publice petunt, dare poſſunt. ibid.
XI. Nec licet Sacramenta ſimulare. ibid.

CAPUT VII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. IN Sacramentis alii ſunt Miniſtri ordinarii, alii extraordinarii. 18
II. Miniſter, qui in peccato baptizat ex neceſſitate, non peccat. ibid.
III. Miniſtri in ſacris Ordinibus conſtituti, ſi in lethali peccato ſua officia exercent, peccant lethaliter. 19
IV. Non ſunt tuti in conſcientia, qui ſola contritione, ſine confeſſione præmiſſa, Sacramenta in lethali adminiſtrant. 20
V. Parochi tenentur urgente peſtilentia in Parœcia & reſidere, & Sacramenta indigentibus miniſtrare. 21
VI. Qui coinquinati peccato lethali Sacramentum celebrant Matrimonii, graviter peccant: quando excuſentur. ibid.

CAPUT VIII.

De Intentione Miniſtri ad valorem & pietatem Sacramenti requiſita.

DOCTRINA.

I. QUid intentionis nomine deſignetur. 22
II. Ad valorem Sacramenti non requiritur intentio, quæ ipſius effectum reſpiciat. ibid.
III. Nec qua velit Sacramentum ut Sacramentum. ib.
IV. Requiritur intentio ſaltem generalis faciendi, quod facit Eccleſia. ibid.
V. Non ſufficit intentio, qua velit externum ritum Sacramenti per jocum imitari, & quæ exterius ſit manifeſta. 23
VI. Nec ſi intus in animo dicat, non intendo facere, quod facit Eccleſia, licet exterius ſerio, & decenter ritum obſervet. ibid.
VII. Objectiones ex D. Thomæ doctrina deſumptæ proponuntur. 24
VIII. Et ſolvuntur. 25
IX. Proponuntur ex ratione deſumptæ. ibid.
X. Et ſolvuntur. ibid.
XI. De variis intentionis modis. 26
XII. Ad valorem Sacramenti non ſufficit intentio habitualis, interpretativa, indirecta. ibid.
XIII. Nec requiritur actualis, ſed ſufficit virtualis. 27
XIV. Neceſſaria eſt intentio determinata. ibid.
XV. Quando valori Sacramenti obſit intentio conditionata. ibid.

CAPUT IX.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. INtentio ſufficiens ad valorem Sacramenti qualis ſit. 28
II. Quando iteranda ſint Sacramenta ob intentionis defectum. ibid.
III. De eodem argumento. 20
IV. Metus gravis non tollit intentionem ſufficientem ad valorem Sacramentorum. ibid.
V. Peccant, qui ex negligentia actualem intentionem non habent. ibid.
VI. Peccant, qui ſine urgente neceſſitate conditionate, etiam conditione de præſenti, vel de præterito Sacramenta miniſtrant. ibid.

CAPUT X.

De Sacramentorum ſubjecto, & conditionibus in eo requiſitis ad validam, & licitam Sacramentorum ſuſceptionem.

DOCTRINA.

I. SOli homines viatores ſunt Sacramentorum capaces. 30
II. Intentio, & conſenſus in adultis requiritur ad Sacramenti valorem. 31
III. Et quidem per poſitivum actus expreſſus. ibid.
IV. Fides non eſt in ſuſcipiente neceſſaria ad valorem Sacramenti. ibid.
V. In Sacramentis mortuorum ſuſcipientis pii effectus requiruntur ad eorum fructum percipiendum. ibid.
VI. Ad vivorum Sacramenta fructuoſe ſuſcipienda ſufficiat gratiæ habitualis ſtatus. 31
VII. Qui ſine cauſa Sacramenta recipit ab indigno, graviter peccat. ibid.
VIII. Licet tamen aliquando juſta de cauſa petere, & recipere. 33
IX. Quando non licet ab Hæreticis, Schiſmaticis, Excommunicatis Sacramenta recipere. ibid.
X. Quando conceſſum ſit. ibid.

CAPUT XI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. NOn ſufficit ad valorem Sacramenti ſuſcipientis intentio ſimulata. 34
II. Sufficit tamen intentio habitualis. ibid.
III. Quæ & in Catechumenis, & ſurdis, ac mutis a nativitate poteſt reperiri. 35

IV. *Conſcius lethalis peccati Sacramenti nec recipere, nec miniſtrare licite poteſt, non præmiſſa confeſſione, ſi poſſit.* ibid.
Reflexio. ibid.

DISSERTATIO II.

De Materia, Forma, Effectibus, & cæremoniis Sacramentorum.

CAPUT I.

De Sacramentorum materia, & Forma.

DOCTRINA.

I. *Sacramenta materia conſtat, & forma.* 37
II. *Quid materiæ nomine deſignetur in Sacramentis.* ibid.
III. *Quotuplex ſit materia.* ibid.
IV. *Quid formæ nomine deſignetur.* ibid.
V. *Verba formæ eſſe debent determinata.* 38
VI. *Quæ non concionatoria ſunt, ſed conſecratoria.* ibid.
VII. *Quotuplex ſit forma.* ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Miniſtri intentio non eſt inter partes Sacramenti enumeranda.* 38
II. *Materia, & forma ſunt partes intrinſece Sacramenta conſtituentes.* 39
III. *Sacramenta novæ legis etiam hoc titulo, quod materia conſtant, & forma, Sacramentis ſunt veteris Legis nobiliora.* ib.

CAPUT III.

De materiæ, & formæ in Sacramentis valida, & licita applicatione.

DOCTRINA.

I. *Mutatio ſubſtantialis materiæ, vel formæ nullum efficit Sacramentum.* 39
II. *Accidentalis vero non irritat, ſed peccat, qui eam inducit.* ib.
III. *Quando in materia contingat mutatio ſubſtantialis, vel accidentalis.* 40
IV. *Regula generalis ad diſcernendam in forma mutationem ſubſtantialem ab accidentali.* ib.
V. *Mutatio ſubſtantialis, vel accidentalis formæ per verborum additionem.* ib.
VI. *Per diminutionem.* ib.
VII. *Per corruptionem.* ib.
VIII. *Per permutationem.* 41
IX. *Per tranſpoſitionem.* ibid.
X. *Per interpolationem.* ibid.
XI. *Quando liceat uti forma conditionali a Sacramentis.* 42
XII. *Materia & forma ſunt a Miniſtro ſimul moraliter conjungenda.* ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Num, ſi formæ Baptiſmi addatur nomen B. Virginis, nullum ſit Sacramentum.* 43
II. *Quod conferat intentio Miniſtri in formis ambiguis.* 44
III. *Non licet adhibere materiam, vel formam probabiles, quando certæ præſto eſſent.* 45
IV. *Nec materiam dubiam, niſi urgeat neceſſitas, nec alia præſto ſit.* ib.
V. *Immo in extrema neceſſitate expediens eſt uti materia dubia, ſi alia non ſuppetat.* ibid.
VI. *In Sacramentis iterabilius non eſt adhibenda forma conditionalis.* 46

CAPUT V.

De Sacramentorum præcipuo effectu, ſcilicet Gratia.

DOCTRINA.

I. *Quænam cauſæ concurrant ad productionem gratiæ in Sacramentis.* 46
II. *Sacramenta pollent efficacitate conferendi gratiam.* ibid.
III. *Quæ efficacitas non eſt mere indirecta, nec objectiva.* 47
IV. *Sed ipſis Sacramentis propria immediate, & directe ex eorum inſtitutione.* ib.
V. *Quando Sacramenta gratiam producant ſanctificantem.* 48
VI. *Quotuplex ſit gratia ſanctificans.* ib.
VII. *Gratia ſanctificans primus Sacramentorum effectus.* ibid.
VIII. *Aliqua Sacramenta ſunt per ſe ordinata ad dandam primam gratiam.* 49
IX. *Alia ad ſecundam gratiam conferendam ſunt inſtituta.* ibid.
X. *Omnia propriam, & peculiarem etiam gratiam conferunt.* ibid.
XI. *In quo ſita ſit hæc propria, & ſpecialis gratia.* ib.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato.* 50
II. *In eam influunt non ſolum ut cauſæ morales, ſed & phyſicæ.* ibid.
III. *Sacramenta characterem imprimentia ficte ſuſcepta reviviſcunt.* 51
IV. *Non vero quæ characterem non imprimunt.* ib.
V. *Sacramenta, quæ reviviſcunt, juxta ſubjecti diſpoſitionem majorem, vel minorem conferunt gratiam.* ibid.
VI. *Quomodo tollatur obex negativus, & poſitivus.* 52
VII. *Sacramenta mortuorum aliquando conferunt ſecundam gratiam, & vivorum aliquando primam.* ibid.
VIII. *Sacramenta inæqualem gratiam conferunt inæqualiter diſpoſitis.* ibid.

CA-

CAPUT VII.

De altero aliquorum Sacramentorum effectu, ſcilicet Charactere.

Doctrina, et Consectaria.

I. *Quid ſit character.* 53
II. *Veritas hujus characteris impreſſi probatur.* ibid.
III. *Character eſt potentia.* 54
IV. *Character eſt indelebilis.* ibid.
V. *Non reſidet in potentia animæ, ſed in intellectu.* ibid.
VI. *Quinam ſint characteris effectus.* 55

CAPUT VIII.

De Cæremoniis in Sacramentorum adminiſtratione, & ſuſceptione ſervandis.

Doctrina.

I. *Cæremoniæ unde nomen ſumpſerint.* 55
II. *Quid eo nomine deſignetur.* ibid.
III. *Eas deteſtantur Hæretici.* ibid.
IV. *Earum vetuſtas oſtenditur.* ibid.
V. *Nec non honeſtas.* 56
VI. *Atque utilitas.* ibid.
VII. *Extat in Eccleſia poteſtas cæremonias, & ritus ſtatuendi.* ibid.
VIII. *Quam exercuit cæremoniarum uſum præcipiendo.* 57

CAPUT IX.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Nonnullæ cæremoniæ Sacramentalia ſunt, & quos præſtent effectus.* 57
II. *Peccatorum etiam venialium remiſſionem afferunt.* ibid.
III. *Sacras cæremonias non ſolum eſſentiales, ſed etiam integrantes omittens peccat lethaliter.* 58
IV. *Omittens accidentales peccat lethaliter, ſi ex contemptu, culpabili negligentia, vel cum ſcandalo faciat.* ibid.
Reflexio. ibid.

DE SACRAMENTIS

PARS ALTERA.

De Sacramento Baptiſmi.

DISSERTATIO UNICA.

De Baptiſmi natura, Inſtitutione, neceſſitate, & Effectibus.

CAPUT I.

Baptiſmi nomina, definitio, & inſtitutio explicantur.

Doctrina.

I. *Varia hujus Sacramenti nomina enumerantur.* 60
II. *Ejuſdem definitio exhibetur.* ibid.
III. *Inſtitutum a Chriſto Domino immediate fuit & quidem ante Paſſionem, & Reſurrectionem ſuam.* ib.
IV. *Et probabilius, cum Diſcipulos ad prædicandum miſit.* 61

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Diverſus plane fuit Baptiſmus Joannis a Chriſti baptiſmate.* 61
II. *Baptiſma eſt verum, & primum Novæ Legis Sacramentum.* 62
III. *Baptiſmi ſuſcipiendi præceptum quando obligare incepit.* ibid.

CAPUT III.

De materia tum remota, tum proxima Baptiſmi.

Doctrina.

I. *Quænam ſit materia remota Baptiſmi.* 63
II. *Cur aquam Chriſtus elegerit in Baptiſmi materiam.* ibid.
III. *Quænam ſit dicenda vera aqua ad Baptiſmum idonea.* ibid.
IV. *Non omnis mixtio reddit aquam ad Baptiſmum ineptam.* ibid.
V. *Quid requiritur, ut non ſolum apta, ſed etiam licita Baptiſmi materia ſit.* 64
VI. *In neceſſitate licite quacumque aqua naturali uti conceſſum eſt.* ibid.
VII. *Ablutio proxima Baptiſmi materia.* ibid.
VIII. *Quæ ad recte, & rite peragendam ablutionem requiruntur.* ibid.
IX. X. *Nonnulli caſus circa ablutionem reſolvuntur.* 65
XI. *Ut ablutio fiat ab agente libero oportet.* ibid.
XII. *Triplex ablutionis Baptiſmalis modus explicatur.* 66
XIII. *Quandiu obtinuerit in Eccleſia ritus Baptiſmi per immerſionem.* ibid.

XIV. *Nunquam tamen reprobatus ritus baptizandi per infuſionem.* ibid.
XV. *In Eccleſia Græca adhuc durat ritus immerſionis.* 67
XVI. *Quando in Eccleſia Occidentali deſinere incœpit.* ibid.
XVII. *Quando uſus baptizandi per infuſionem invaluerit.* ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *NEc in caſu neceſſitatis adhibendus liquor, qui aqua non ſit.* 67
II. *In vino nec lymphato in neceſſitate Baptiſmum dare.* 69
III. *Licet in Baptiſmo abluta ſit notabilis pars corporis, non abluto capite, repetendum Baptiſma.* ib.
IV. *Conferens Baptiſmum dubium in neceſſitate non imprudenter ſub conditione confert.* ibid.
V. *Ritus baptizandi per aſperſionem non eſt uſurpandus, niſi quando aliter dari non poſſit Baptiſma.* 70

CAPUT V.

De Baptiſmi Forma.

DOCTRINA.

I. *QUænam ſit forma Baptiſmi a Chriſto inſtituta, & in Baptiſmo adhibenda.* 70
II. *Græcorum forma idonea eſt ad verum Baptiſma.* ibid.
III. *Num omiſſio verborum actionem baptizantis dinotantium formam reddat inutilem.* 71
IV. *Neceſſe eſt ad valorem Baptiſmi, ut tres Divinæ Perſonæ nominentur.* ibid.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *QUid de Baptiſmo in nomine Chriſti ſentiendum.* 74
II. *Num in omni mutatione formæ Baptiſmi gravis culpa committatur.* 75
III. *Non ſemper reiterandum Baptiſma ex errore in forma.* ibid.

CAPUT VII.

De Miniſtro Baptiſmi tum ad validam, tum ad licitam collationem.

DOCTRINA.

I. *EPiſcopus 1. eſt ordinarius Baptiſmi Miniſter.* 76
II. *Sunt & Presbyteri ordinarii Miniſtri.* 77
III. *Diaconi non niſi ex Commiſſione ſolemniter baptizant.* ibid.
IV. *Valide quilibet homo poteſt Baptiſmum miniſtrare.* ibid.
V. *Sed ſolum in neceſſitate licite.* 78
VI. *Nullus ſeipſum baptizare poteſt.* ibid.
VII. *Unus Miniſter poteſt plures ſimul uno Baptiſmo abluere.* 79
VIII. *Quando plures invalide uni Baptiſma conferant.* ibid.
IX. X. *Quando valide, ſed illicite.* ibid.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *PArochis jus baptizandi competit.* 79
II. *Baptiſmum valide dare poteſt & qui baptizatus non eſt.* 80
III. *In Baptiſmo neceſſitatis eſt ordo ſervandum in baptizando.* ibid.
IV. *Idem Miniſter & materiam applicare, & formam proferre debet.* 81
V. *Quando liceat Diaconis ſolemniter baptizare.* 82
VI. *Non omnibus Sacerdotibus conceſſum eſt, ut ſemper licite baptizent.* ibid.
VII. *Neceſſitate urgente, qui poteſt, tenetur Baptiſmum conferre.* ibid.

CAPUT IX.

De ſubjecto ad Baptiſmum valide, & licite ſuſcipiendum idoneo.

DOCTRINA.

I. *QUilibet homo eſt Baptiſmi ſuſcipiendi capax.* 83
II. *Certe valide non baptizatur infans in utero matris penitus latens.* ibid.
III. *Nec probabilius, licet ad ipſum ablutio poſſit pertingere.* ibid.
IV. *Cum & oppoſita doctrina probabilis ſit, quid agendum.* ibid.
V. *Baptizandi num ſub conditione, vel abſolute, qui ex parte ex utero emerſerint.* 84
VI. *Quando monſtroſi fœtus ſint Baptiſmo dignandi.* ibid.
VII. *Infantes recenter nati Baptiſmi capaces ſunt.* ibid.
VIII. *Infidelium filii ſemper valide baptizantur, at non ſemper licite.* 85
IX. *Quando licite queant baptizari.* ibid.
X. *Certe in articulo mortis.* ibid.
XI. *Amentes quando valide, & licite baptizari poſſint.* 86

CAPUT X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *ADultus invitus, & nolens nec valide, nec licite baptizatur.* 86
II. *Validus eſt Baptiſmus ſuſceptus etiam ex gravi metu.* 87
III. *Ad fructuoſam Baptiſmi ſuſceptionem in adultis ſunt neceſſariæ Fides, Spes, Caritas, & Pœnitentia, ſine quibus tamen valide ſuſcipitur.* ibid.
IV. *Nulli in morte petenti Baptiſmum unquam Eccleſia denegavit: ſanis petentibus aliquandiu diſtulit.* 88
V. *Quando abortivi fœtus ſint baptizandi.* ibid.

VI.

VI. *Num liceat ex ventre matris fœtum morientem extrahere, ut baptizetur.* 89
VII. *Quando liceat infantes infidelium, iis etiam invitis, baptizare.* ibid.
VIII. *Num ſemper, quando ad Baptiſmum ab infideli parente offeruntur.* 90
IX. *Quando dandus pueris parentum infidelium filiis petentibus.* ibid.
X. *Mortui non ſunt Baptiſmi capaces, nec per ſe, nec per alium.* ibid.

CAPUT XI.

De Neceſſitate, Utilitate, & Supplementis Baptiſmi.

DOCTRINA.

I. *NEceſſarium eſt Baptiſma neceſſitate medii omnibus parvulis ad ſalutem.* 91
II. *Ejus defectum ſupplere non poteſt fides Parentum.* 92
III. *Adultis quoque neceſſarium neceſſitate tum medii, tum præcepti, ſaltem in voto.* ibid.
IV. *Præceptum de ſuſcipiendo Baptiſmo quando incipiat.* ibid.
V. *Unum eſt Baptiſmo, quod iterari non poteſt.* 93
VI. *Non excludit tamen diviſionem Baptiſmi, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Primum, & ſecundum explicantur.* ibid.
VII. *Baptiſmus ſanguinis qualis ſit, ejuſque efficacia.* 94
VIII. *In utroque Baptiſmo flaminis, & ſanguinis neceſſarius Baptiſmus aquæ in voto, & quidem explicito.* ibid.

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *ETiam in Infantibus Martyrium deficientiam ſupplet Baptiſmi.* 95
II. *Martyrium juſtificationem affert etiam ex opere operato.* ibid.
III. *Non omnes effectus Sacramenti producunt Baptiſmata flaminis, & ſanguinis.* ibid.
IV. *Baptiſma, etiam ſub conditione, incaute ſine ſacrilegio iterari non poteſt.* 96
V. *Qui incaute repetunt, & peccant lethaliter, & irregularitati ſubjiciuntur.* ibid.

CAPUT XIII.

De loco, tempore, & cæremoniis Baptiſmi.

DOCTRINA.

I. *OLim nonniſi in uno loco Baptiſma ſolemniter dabatur.* 97
II. *Modo, ubi ſit Fons Baptiſmalis, datur Baptiſmus.* ibid.
III. *Non licet ſolemniter baptizare in domibus, vel privatis Oratoriis.* 98
IV. *Non licet in domibus baptizare, reſervatis cæremoniis ad aliud tempus, niſi neceſſitas urgeat.* ibid.
V. *Omiſſæ cæremoniæ ſunt quantocius ſupplendæ.* ibid.
VI. *Quo tempore olim miniſtraretur Baptiſmo.* ib.
VII. *Modo licet omni tempore baptizare: peccant, qui Baptiſmum diutius differunt infantibus.* 99
VIII. *Dilatio Baptiſmi in adultis reprobatur a SS. Patribus.* ibid.
IX. *Quid ſit circa adultos baptizandos, quoad tempus ſervandum.* ibid.
X. *Cæremoniæ in Baptiſmo ſine culpa omitti non poſſunt.* 100
XI. *Quid ſervandum in nominibus baptizatis imponendis.* ibid.
XII. *Sunt & Patrini neceſſario arceſſendi.* ibid.
XIII. *Conditiones in Patrinis requiſitæ.* ibid.
XIV. *Spiritualis cognationis impedimentum contrahunt.* 101
XV. *Licet de ſacro fonte per Procuratorem levare, & mandans cognationis ſubit impedimentum.* 102

CAPUT XIV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *NOn ſemper neceſſe eſt, ut infantes in propria Parochia Baptiſma ſuſcipiant.* 102
II. *Adulti quando peccent Baptiſmum differendo.* ib.
III. *In Baptiſmo ſuſcipiendo ſuæ Eccleſiæ ritus ſervari debet.* ibid.
IV. *Sine patrinis ſolemnem Baptiſmum dare grave peccatum eſt.* 103
V. *Nec infideles, nec hæreticos licet in patrinos aſſumere. Num ſpiritualem cognationem, ſi aſſumantur, contrahant.* ibid.
VI. *Quid præſtare debent patrini, ut cognationem contrahant.* 104
VII. *Patrini tenentur a ſe ſuſceptos de Sacro Fonte inſtruere.* ibid.
VIII. *Cæremoniæ non inutiliter ſupplentur etiam poſt Baptiſmum.* 105

CAPUT XV.

De effectibus, & promiſſionibus Baptiſmi.

DOCTRINA.

I. *PRimus Baptiſmi effectus remiſſio peccatorum.* 105
II. *Secundus remiſſio omnis pœnæ.* 106
III. *Tertio effectus Gratiæ ſanctificantis infuſio.* ib.
IV. *Cum qua & virtutes, & dona Spiritus Sancti infunduntur.* ibid.
V. *Quartus effectus ſpecialis gratia.* 107
VI. *Quintus effectus characteris impreſſio.* ibid.
VII. *Quid ſpondeant fideles in Baptiſmo.* ibid.

CAPUT XVI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *PEr Baptiſmum non tolluntur vitæ pœnalitates.* 108
II. *Concupiſcentia per Baptiſmum non tollitur, at minuitur.* ibid.
III. *Per Baptiſmum non liberatur homo a pœna per judicem infligenda, nec a corporali ſervitute.* ib.
IV. *Baptiſmus ficte ſuſceptus recedente fictione reviviſcit.* 109

V.

V. *Baptiſmus æqualem effectum producit in infantibus, inæqualem tamen in adultis.* ib.
VI. *Improbitas Miniſtri efficaciam non minuit Baptiſmi, nec probitas auget.* ibid.
VII. *Per Baptiſmum homo idoneus fit ad alia Sacramenta percipienda.* ibid.
VIII. *Gravius peccant Chriſtiani, quam infideles.* 110
Reflexio. ibid.

DE SACRAMENTIS

PARS TERTIA,

Quæ eſt de Sacramento Confirmationis.

DISSERTATIO UNICA.

De pertinentibus ad Sacramentum Confirmationis.

CAPUT I.

Hujus Sacramenti varia nomina recenſentur, ejuſdem definitio exhibetur, & dignitas Sacramenti adſeritur.

DOCTRINA.

I. *VAria Confirmationis nomina recenſentur.* 112
II. *Ejus accurata definitio exhibetur.* ibid.
III. *Confirmatio eſt veri nominis Sacramentum.* 113
IV. *Perpetua traditione firmatur argumento præſcriptionis.* ibid.
V. *Et etiam argumento diſcuſſionis.* 114
VI. *Eſt a Baptiſmi Sacramento plane diſtinctum.* ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *S. Thomæ de Confirmationis Sacramento doctrina.* 114
II. *Confirmatio non eſt mera Cæremonia.* 115
III. *Gratia ab Apoſtolis per impoſitionem manuum collata, erat vere ſanctificans.* ibid.

CAPUT III.

De Sacramenti Confirmationis materia.

DOCTRINA.

I. *DE Materia Confirmationis variæ Theologorum ſententiæ.* 116
II. *Apoſtoli in danda Confirmatione uſi ſunt manuum impoſitione.* ibid.
III. *Nunc quoque impoſitio manuum eſt adhibenda.* ibid.
IV. *Eſt hujus Sacramenti materia proxima.* 117
V. *Chriſmatio quoque eſt pars eſſentialis, & materia hujus Sacramenti.* ibid.
VI. *Primis etiam Eccleſiæ ſæculis adhibita Chriſmatio tanquam materia.* ibid.
VII. *Nonnulla ſolvuntur objecta.* 118
VIII. *Sufficit pro materia Sacramenti manus impoſitio, quæ in chriſmatione adhibetur.* ib.
IX. *Chriſmate, non ſimplici oleo uſa eſt etiam primis ſeculis Eccleſia.* 119
X. *Eſt eſſentialis materia Confirmationis.* ibid.
XI. *Eſſe debet ab Epiſcopo confectum, ſeu benedictum.* 120
XII. *Benedictio probabilius requiritur, ut ſit materia Sacramenti.* ibid.
XIII. *Unctio in fronte eſt materia proxima.* ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *BAlſami cum oleo mixtio eſt de neceſſitate præcepti.* 121
II. *Chriſma adhibendum eſſe debet recenter, ideſt eo anno benedictum.* ibid.
III. *Quæ benedictio ſolemnis eſſe debet, non privata.* ibid.
IV. *Unctio debet fieri digito dexteræ Epiſcopi.* 122
V. *Peccat Epiſcopus, qui ungendo chriſmate crucem non efformat.* ibid.

CAPUT V.

De Confirmationis Forma.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *NOn eſt improbabilis ſententia, quæ docet, orationem eſſe partialem formam Confirmationis.* 122
II. *At probabilior ſententia docens, verba Epiſcopi conſignantis formam conſtituere.* 123
III. *Nonnulla objecta ſolvuntur.* ibid.
IV. *Ea ſola verba integram conſtituunt Confirmationis formam,* ibid.
V. *Oratio non eſt neceſſaria hujus Sacramenti forma.* 124
VI. *Forma Sacramenti Confirmationis apud Græcos exponitur.* ibid.
VII. *Omnia verba latinæ Formæ ſunt eſſentialia.* ibid.
VIII. *Alicujus omiſſione periculo fruſtrationis Sacramentum committitur.* 125
IX. *Mos aliquorum Epiſcoporum laudatur.* ibid.

CAPUT VI.

De Auctore, & Miniſtro Confirmationis.

DOCTRINA.

I. *AUctor Confirmationis Chriſtus Dominus.* 125
II. *Quando hoc Sacramentum inſtituerit.* 126
III. *Ordinarius Miniſter hujus Sacramenti Epiſcopus.* ibid.
IV. *Simplex Sacerdos eſſe poteſt Miniſter extraordinarius.* 127
V. *Antiquiſſima eſt apud Orientales extraordinaria poteſtas.* ibid.
VI. *A Romanis Pontificibus non improbata.* 128
VII. *Quibus ſolis competit talem extraordinariam poteſtatem concedere.* ibid.

VIII. IX. *Nonnullæ conditiones ad licitam hujus Sacramenti adminiſtrationem.* ibid. & 129

CAPUT VII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Confirmatio ab Hæreticis, & Schiſmaticis data valida eſt, & ſemper fuit.* 129
II. *Quando Orientalibus Presbyteris vetitum ſit confirmare.* 130
III. *Quando Abbatibus liceat Confirmationem miniſtrare.* ibid.
IV. *Ad licitam adminiſtrationem ſunt ritus, & cæremoniæ ſervandæ.* ibid.
V. *Peccant Epiſcopi Confirmationis adminiſtrationem diu differentes.* 131

CAPUT VIII.

De Subjecto, & neceſſitate hujus Sacramenti.

Doctrina.

I. *Omnes homines baptizati ſunt Confirmationis capaces.* 131
II. *Quando amentibus danda, & morituris.* ibid.
III. *Nulli petenti unquam denegavit Eccleſia.* ibid.
IV. *In Occidentali Eccleſia adultis reſervatur Confirmatio,* 132
V. *Non eſt neceſſaria neceſſitate medii, ſed præcepti.* ibid.
VI. *D. Thomæ doctrina explicatur.* 133
VII. *Eccleſiæ præceptum argumentis probatur.* ibid.
VIII. *Quando urgeat præceptum Confirmationis ſuſcipiendæ.* 134
IX. *Quinam ſpeciatim teneantur Confirmationem ſuſcipere.* ibid.

CAPUT IX.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Ex juſta cauſa licet etiam ſeptennium prævenire pro Confirmatione ſuſcipienda.* 135
II. *Peccant Parentes, Parochi, Tutores &c. qui negligunt ſibi ſubjectorum Confirmationem.* ibid.

CAPUT X.

De Sacramenti Confirmationis effectibus.

Doctrina.

I. *In Confirmatione datur gratia ſanctificans.* 135
II. *Non tamen prima, ſed ſecunda.* ibid.
III. *Datur etiam gratia ſpiritualis roboris, & firmitatis.* 136
IV. *In quo conſiſtat.* ibid.
V. *Confirmatio imprimit characterem in anima.* 137
VI. *Quid præſtet character Confirmationis.* ibid.
VII. *Confirmationem ſemel valide ſuſceptam iterari non poſſe ſcripturis oſtenditur.* ibid.
VIII. *Confirmatur traditione Patrum.* ibid.

CAPUT XI.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Aliquando per accidens Confirmatio tribuit primam gratiam.* 139
II. *Grave perpetrat ſacrilegium, Confirmationem cum peccato lethali accipiens.* ibid.
III. *Diſpoſitiones ad hoc Sacramentum fructuoſe ſuſcipiendum recenſentur.* ibid.

CAPUT XII.

De Cæremoniis ad Confirmationem rite ſumendam, & miniſtrandam requiſitis.

Doctrina.

I. *Cæremoniæ Græcæ Eccleſiæ exponuntur.* 139
II. *Cæremoniæ, quæ in Latina Eccleſia Confirmationem præcedunt, explicantur.* ibid.
III. *Officia Patrini.* ibid.
IV. *Nonniſi unus eſſe poteſt in Confirmatione.* ibid.
V. *Quinam ex officio Patrini repellantur,* 140
VI. *Obligationes Patrini explicantur.* ibid.
VII. *Mundities, & cultus modeſtus a confirmando ſervanda.* ibid.
VIII. *Cæremoniæ, quæ Confirmationem comitantur, exponuntur.* ibid.
IX. *Quæ ſubſequuntur, explicantur.* 141

CAPUT XIII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Ex officio Patrini in Confirmatione cognatio ſpiritualis exoritur.* 141
II. *Num, ſi plures adhibeantur Patrini, omnes contrahant eam cognationem.* ibid.
III. *Num Patrinus non confirmatus eandem contrahat cognationem,* 142
IV. *Num liceat ad Euchariſtiam ante Confirmationem accedere.* ibid.
Reflexio. 143

TRA-

TRACTATUS DE SACRAMENTIS.

PARS QUARTA,

Quæ eſt de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

DISSERTATIO I.

De Euchariſtia, quatenus eſt Sacramentum.

CAPUT I.

Euchariſtiæ varia nomina, definitio, veri Sacramenti illi conveniens ratio explicantur.

DOCTRINA.

I. *VAria Euchariſtiæ nomina recenſentur.* 144
II. *Nonnulla fuſius explicantur, & primum Euchariſtiæ.* ibid.
III. *Cur Communio appelletur, exponitur.* 145
IV. *Cur Viaticum dicatur.* ibid.
V. *Euchariſtiæ definitio traditur.* ibid.
VI. *Verum eſſe Sacramentum.* ibid.
VII. *Et quidem ab aliis diſtinctum evincitur.* 146
VIII. *Continere vere, & realiter Corpus Chriſti oſtenditur ex Chriſti promiſſionibus.* ibid.
IX. *Et ex verbis Inſtitutionis hujus Sacramenti.* ibid.
X. *Ex Traditione argumento præſcriptionis.* 147
XI. *Et argumento diſcuſſionis.* ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *EUchariſtiæ Sacramentum eſt cæteris omnibus excellentius.* 148
II. *In quo ratio Sacramenti in Euchariſtia collocetur.* ibid.
III. *Euchariſtiæ Sacramentum unum eſt quoad ſpeciem.* 149
IV. *Totum Sacramentum in qualibet ſpecie ſeorſum integrum habetur.* ibid.
V. *Chriſtus eſt præſens in Euchariſtia per tranſubſtantiationem.* ibid.
VI. *Et quidem quoad ſubſtantiam, & accidentia.* 150
VII. *Eſt totus in toto, & totus in qualibet parte modo ineffabili.* 151
VIII. *Perſeverat, quandiu ſpecies durat.* ibid.
IX. *Num videri poſſit oculo corporeo ſaltem glorificato.* 152
X. *Debetur Chriſto in Euchariſtia adoratio, & licitæ ſunt ejus expoſitio, circumgeſtatio, & feſtiva ſolemnitas.* 153

CAPUT III.

De Sacramenti Euchariſtiæ idonea materia.

DOCTRINA.

I. *PAnis, & vinum ſunt ſola legitima Euchariſtiæ materia.* 154
II. *Panis eſſe debet triticeus, & vinum vitigineum.* ibid.
III. *Qualis eſſe debeat panis, ut ſit idonea materia.* ibid.
IV. *Panis tam azymus, quam fermentatus, eſt idonea materia.* 155
V. *Non licet Græcis in fermentato, nec Latinis in azymo celebrare.* ibid.
VI. *Vino ad Euchariſtiam delecto miſcenda eſt aqua.* 156
VII. *Quæ mixtio eſt Eccleſiaſtico præcepto impoſita.* ibid.
VIII. *Quantitas materiæ conſecrandæ non eſt in ſe determinata.* ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *QUinam panis ſit inepta materia Euchariſtiæ.* 157
II. *Quænam mixtio panem ineptam materiam efficiat.* 158
III. IV. *Alii defectus, qui panem ineptum reddunt ad Euchariſtiam.* ibid.
V. *Non omnes liquores, licet vino affines, ſunt valida Euchariſtiæ materia.* ibid.
VI. *Nec Græcus Sacerdos in azymo, nec Latinus in fermentato Euchariſtiam conſecrare licite poſſunt.* 160.
VII. *In aqua in Calice miſcenda nonnulla ſunt obſervanda.* 161
VIII. *Aqua in Calice cum vino mixta in Chriſti ſanguinem mutatur.* ibid.
IX. *Materia conſecranda eſt a Sacerdote determinanda, & illi præſens eſſe debet.* 162

CAPUT V.

De Forma Sacramenti Euchariſtiæ.

DOCTRINA.

I. *CHriſtus in conſecratione Euchariſtiæ uſus eſt verbis.* 165
II. *Et illis, quibus panis in Corpus, & vini in ſanguinem converſionem expreſſit.* ibid.
III. *Quæ verba & modo ſufficiunt ad Euchariſtiam conficiendam.* 166
IV. *Etiam ſejuncta a præcedentibus precibus, & verbis.* ibid.
V. *Tota eſſentialis conſecrationis panis forma exponitur.* 167
VI. *Quænam ſint mutationes, quæ formam ipſam aliquo modo vitiare poſſunt.* ib.
VII. *Verba certo neceſſaria in conſecratione Calicis.* ibid.
VIII. *Quænam ſolum probabiliter.* 168

IX. *Doctrina S. Thomæ exponitur.* 169
X. *Objecta proponuntur.* ibid.
XI. *Diſſolvuntur.* ibid.
XII. *Omnia verba communis formæ pronuntianda.* 170

CAPUT VI.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quomodo pronuntientur verba formæ conſecratoriæ.* 170
II. *Particula* enim *non eſt de eſſentia formæ.* 171
III. *Quænam ſint in forma calicis mutationes, quæ obſunt, vel non nocent valori conſecrationis.* 172
IV. *Panis ſine vino, & vinum ſine pane valide conſecrantur.* ibid.
V. *Valida eſt conſecratio unius ſpeciei etiam in nolente aliam ſpeciem conſecrare.* ibid.
VI. *Ex divino præcepto non licet unam ſpeciem ſine altera, vel inverſo ordine conſecrare.* ibid.

CAPUT VII.

De Euchariſtiæ tum conficiendæ, tum diſtribuendæ Miniſtro.

Doctrina.

I. *Soli Sacerdotes ſunt conficiendæ Euchariſtiæ Miniſtri.* 173
II. *Sicut & diſpenſandæ publice, & ſolemniter.* 174
III. *Diaconis hæc ſecunda poteſtas convenire poteſt.* ibid.
IV. *Non amplius hoc munus Clericis inferioribus, vel Laicis tribui poteſt.* 175
V. *Ad Euchariſtiam licite diſtribuendam & poteſtas jurisdictionis requiritur.* ibid.
VI. *Requiritur & ſtatus gratiæ.* ibid.
VII. *Requiritur immunitas a cenſura, & ſtatuti ritus obſervantia.* 176

CAPUT VIII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quo ritu Sacerdos ſacram Communionem recipere debeat.* 177
II. *Quo tempore vetitum ſit Euchariſtiam miniſtrare.* ibid.
III. *Non eſt vetitum extra Miſſam Communionem miniſtrare.* ibid.
IV. *Quinam ritus tunc ſint ſervandi.* 178
V. *Non licet plures hoſtias, vel majorem dare communicantibus.* ibid.
VI. *Non licet ſine licentia in privato Oratorio Euchariſtiam dare.* 179
VII. *Quando liceat; Diacono Euchariſtiam præbere.* ibid.
VIII. *In extremo vitæ quibus conceſſum ſit omnibus Viaticum miniſtrare.* ibid.

CAPUT IX.

De Subjecto Euchariſtiæ.

Doctrina.

I. *Quodnam ſit ſubjectum idoneum Euchariſtiæ ſumendæ.* 180
II. *Non licet Infantibus Euchariſtiam miniſtrare.* ib.
III. *Energumenis non eſt deneganda Communio.* 181
IV. *Num & perpetuo amentibus ſit danda Communio.* ibid.
V. *Imbecillibus, & ſemifatuis, necnon mutis, & ſurdis non eſt abſolute deneganda Communio.* ibid.
VI. *In morte pœnitentibus non eſt deneganda Euchariſtia.* 182
VII. *Mortuis non eſt danda Euchariſtia.* ibid.

CAPUT X.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Sacrilegium committit, qui cum lethali peccato Euchariſtiam ſumit.* 183
II. *Quomodo ſint a Sacra Menſa publici peccatores repellendi.* ibid.
III. *Non licet ſimulare adminiſtrationem Euchariſtiæ.* 184
IV. *Quando repellendus, qui publicus peccator uno in loco, & occultus in altero hic petit.* ibid.

CAPUT XI.

De Præcepto ſumendi Euchariſtiam, & de uſu licito, & frequenti ejuſdem.

Doctrina.

I. *Datur divinum præceptum de Euchariſtia ſumenda.* 184
II. *Quod obligat & per ſe, & per accidens.* 185
III. *Obligat in mortis articulo.* ibid.
IV. *Impletur præceptum ſola unius ſpeciei ſumptione.* ibid.
V. *Nec aliter licet a non celebrantibus ſuſcipi.* 186
VI. *Juſte præcipit Eccleſia, ut non celebrantibus ſola panis ſpecies detur.* ibid.
VII. *Extat & præceptum Eccleſiaſticum de ſumenda Euchariſtia.* ibid.
VIII. *Frequens Euchariſtiæ uſus pius ex ſe, & laudabilis.* 187
IX. *Quibus ſit concedendus.* ibid.
X. *Quotidiana Communio non eſt de facili concedenda.* ibid.

CAPUT XII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quomodo neceſſaria ſit Euchariſtia in voto, & in re.* 188
II. *Quando adoleſcentes rei fiant violati præcepti de Euchariſtia ſumenda.* 189
III. *Ad hoc implendum præceptum non eſt neceſſario facienda Communio in ipſo Sacrificio.* ibid.

IV.

IV. *Num Viaticum ſit dandum illi, qui eodem die communicavit.* 190
V. *Num quotidie periclitanti dari poſſit.* 191
VI. *Quando pueris dandum ſit Viaticum.* 192
VII. *Non eſt miniſtrandum Viaticum ſub ſpecie vini.* ibid.
VIII. *Quomodo ſit dandum Viaticum infirmis.* 193
IX. *Qui Viaticum indigne ſumit, non implet præceptum.* 194
X. *Ante Euchariſtiam Lampas ardere debet.* ibid.

CAPUT XIII.

De diſpoſitionibus tum animi, tum corporis requiſitis ad digne ſumendam Euchariſtiam.

DOCTRINA.

I. *Ad digne communicandum neceſſaria eſt munditiès ab omni peccato lethali.* 194
II. *Et immunitas a Cenſuris.* ibid.
III. *Reus lethalis peccati accedere non debet, niſi præmiſſa Confeſſione.* ibid.
IV. *Nec qui vel eſt alicujus peccati oblitus, vel dubius.* ibid.
V. *Num aliquando liceat communicare, non præmiſſa Confeſſione.* ibid.
VI. *Non eſt neceſſe, ut integra præmittatur ſatisfactio Communioni.* 196
VII. *Non omnes Pœnitentes ſunt ſtatim poſt Confeſſionem ad Euchariſtiam admittendi.* 197
VIII. *Quibus non ſit danda frequens Communio.* ib.
IX. *Præmittendum jejunium.* 198
X. *Et quidem naturale.* ibid.
XI. *Regulæ pro ejus cuſtodia. Regula I.* ibid.
XII. *Regula II.* ibid.
XIII. *Regula III.* ibid.
XIV. *Regula IV.* 199
XV. *Num nocturna pollutio impediat Communionem.* ibid.
XVI. *Num maritalis copula.* ibid.

CAPUT XIV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Quis dicatur non carere copia Confeſſarii.* 200
II. *Quid agere debeat, qui peccato coinquinatus ad Euchariſticam menſam acceſſit.* ibid.
III. *Qui eſt alicujus lethalis peccati oblitus, tenetur confiteri, antequam communicet.* 201
IV. *Qui urgente neceſſitate cum ſola contritione communicavit, quamprimum confiteri tenetur.* 202
V. *Quid de infirmo in lethali peccato, cui Viaticum eſt adminiſtrandum.* ibid.
VI. *Quibus non permittitur accedere ad Communionem, non præmiſſa Confeſſione.* 203
VII. *Quibus etiam confeſſis non ſit ſtatim concedenda.* ibid.
VIII. *Quando optimum ſit a Communione ceſſare.* 204
IX. *Communio quotidiana non eſt de jure divino.* ibid.
X. *Qua exteriori devotione ad Communionem accedendum.* ibid.
XI. *Non licet infirmo non jejuno communicare, licet diutiſſime Communione carere debeat.* 205

CAPUT XV.

De Euchariſtiæ effectibus in ſuſcipiente.

DOCTRINA.

I. *Effectus Euchariſtiæ donum gratiæ ſanctificantis.* 206
II. *Non primæ, ſed ſecundæ, licet aliquando & primam largiatur.* ibid.
III. *Secundus effectus remiſſio peccatorum venialium.* ibid.
IV. *Tertius remiſſio pœnæ.* ibid.
V. *Quartus præſervatio a peccatis.* ibid.
VI. *Quintus cupiditatis imminutio.* 207
VII. *Sextus fortitudo, & robur.* ibid.
VIII. *Septimus refectio ſpiritualis dulcedinis.* ibid.
IX. *Octavus pignus æternæ conjunctionis cum Chriſto.* ibid.

CAPUT XVI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Non omnes in omnibus ſuos Euchariſtia producit effectus.* 208
II. *Nulla Communio indifferens eſt.* ibid.
III. *Effectus ſuos non æqualiter in omnibus parit, nec ſemper ſenſibiliter.* 209
IV. *Solum ſuſcipientibus largitur dona ſua Euchariſtia.* ibid.
V. *Quando in ſuos prorumpat effectus.* 210
VI. *Detectio occultæ veritatis non eſt effectus Euchariſtiæ.* ibid.
Reflexio. ibid.

DISSERTATIO II.

De Euchariſtiæ oblatione, ſeu de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.

CAPUT I.

Sacrificii notio exhibetur; Euchariſtiæ applicatur, & in quo conſiſtat exponitur.

DOCTRINA.

I. *Sacrificii nomen æquivocum.* 212
II. *Sacrificii proprie ſumpti definitio.* ibid.
III. *Finis, & Miniſter Sacrificii in definitione deſignatur.* 213
IV. *Mutatio rei oblatæ in ſacrificio neceſſaria.* ib.
V. *Sacrificium eſt jure naturali Deo debitum.* ibid.
VI. *Triplex ſacrificii genus in veteri Lege.* ibid.
VII. *Diſtinctio ſacrificii ex parte finis.* ibid.
VIII. *Sacrificii novæ Legis varia nomina.* 214
IX. *Miſſa eſt verum novæ Legis Sacrificium.* ibid.
X. *Oſtenditur tum veteris, tum novi Teſtamenti Scripturis.* ibid.
XI. *Et perenni Patrum traditione, & Conciliorum auctoritate.* ibid.
XII. *Confirmat Theologica ratio.* ibid.
XIII. *Objecta Hæreticorum refelluntur.* 215

XIV.

XIV. *Hoſtia, ſive res oblata in Sacrificio Miſſæ eſt ipſe Chriſtus.* ibid.

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *De eſſentia Sacrificii non eſt ſanguinis effuſio.* 216
II. *Oblatio non conſiſtit nec in Liturgicis precibus, nec in fractione, & diſtributione.* ibid.
III. *Eſſentialiter conſiſtens in conſecratione probabilius videtur.* ibid.
IV. *Utriuſque ſpeciei neceſſaria eſt conſecratio.* 218

CAPUT III.

De Miniſtro Sacrificium offerente, atque in eo requiſitis diſpoſitionibus ad ſancte offerendum.

Doctrina.

I. *Primus, & principalis offerens in Sacrificio Miſſæ eſt Chriſtus.* 219
II. *Eccleſia quoque Sacrificium offert.* ibid.
III. *Quomodo & fideles hoc offerant Sacrificium.* ibid.
IV. *Sacerdotes ſunt veri hujus Sacrificii Miniſtri.* ibid.
V. *Qui hac poteſtate non privantur, licet mali, & ab Eccleſia præciſi.* ibid.
VI. *Ut digne offerant, eſſe debent ab omni cenſura immunes.* ib.
VII. *Et in ſtatu gratiæ ab omni lethali peccato mundi.* ibid.
VIII. *Si deſit copia Confeſſarii, & neceſſitas urgeat, contritione mundati.* 220
IX. X. *Quando adſit neceſſitas celebrandi non præmiſſa Confeſſione.* ibid.
XI. *Qui ſola contritione celebrat, debet quamprimum confiteri.* 221
XII. *Quando urgeat præceptum quamprimum confitendi.* ibid.
XIII. *Ad digne celebrandum & naturale requiritur jejunium.* 222
XIV. *Quando non jejunus celebrare poſſit Sacerdos.* ibid.
XV. *Ad digne celebrandum pietas requiritur, & devotio.* 223

CAPUT IV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Plures Miniſtri poſſunt unum, idemque Sacrificium perficere.* 223
II. *Tenentur Sacerdotes aliquando ex officio celebrare.* ibid.
III. *Non eſt illicitum privatas Miſſas celebrare.* 224
IV. *Quænam cauſæ legitimæ non ſint, ut quis celebret non præmiſſa Confeſſione.* 225
V. *Non licet celebrare ſine præmiſſa Confeſſione ob deficientiam Confeſſarii propriæ Religionis.* ibid.
VI. *Quando liceat Sacerdoti non jejuno Sacramenti fragmenta ſumere.* ibid.
VII. *Num licere forte poſſit, Neomyſtam primum ſacrum offerre non jejunum.* ibid.
VIII. *Qui recenter in crimen lapſi ſunt, præſertim libidinis, ab Altari eo die removeri.* 226

CAPUT V.

De effectibus, & valore Sacrificii Miſſæ.

Doctrina.

I. *Miſſæ Sacrificium & Deo honorem rependit, & gratias cogit.* 227
II. *Satisfacit Deo pro pœnis peccatorum debitis.* ibid.
III. *Valet etiam ad reatum culpæ amovendum.* ib.
IV. *Et ad ſpiritualia, & temporalia beneficia obtinenda.* ibid.
V. *Quo ſenſu fructus Sacrificii dicuntur prodire ex opere operato.* ibid.
VI. *Quo ſenſu virtus Sacrificii ſit infinita.* ibid.
VII. *Triplex fructus Miſſæ ex parte participantium.* 228
VIII. *Pro omnibus offerre poteſt Miſſæ Sacrificium.* ibid.
IX. *Pro peccatoribus obduratis, & obcæcatis.* ibid.
X. *Quomodo pro Sanctis, & Beatis.* ibid.
XI. *Nullo modo pro damnatis.* 229
XII. *At utiliter pro Animabus in Purgatorio detentis.* ibid.

CAPUT VI.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Pœna peccatis debita immediate remittitur per Sacrificium Altaris.* 230
II. *Remiſſio tamen culpæ, & donum gratiæ non conceditur immediate.* ibid.
III. *Bona temporalia per Miſſæ Sacrificium impetrantur.* ibid.
IV. *Prodeſt Miſſa etiam ex opere operanti.* ibid.
V. *Nec licet pro damnatis Sacrificium offerre.* 231
VI. *Miſſa pro defuncto eſt dicenda de Requie, non de Sancto.* ibid.
VII. *Miſſæ ſuffragium pro multis non æque prodeſt ſingulis, ac ſi pro unoquoque ſingulariter offeratur.* ibid.

CAPUT VII.

De Applicatione Sacrificii Miſſæ.

Doctrina.

I. *Quid ſit Miſſæ Sacrificii applicatio.* 232
II. *Non eſt neceſſaria applicatio actualis, nec virtualis, ſed ſufficit habitualis.* ibid.
III. *Debet tamen eſſe ſecundum omnes Sacrificii fructus.* ibid.
IV. *Nec non certa, & determinata, non vaga, nec conditionata.* ibid.
V. *Non eſt neceſſe, ut ſit conformis voluntati Superioris.* 233
VI. *Sed debet eſſe juxta voluntatem, & mentem Miſſam poſtulantis.* ibid.

VII. *Omnes curam Animarum habentes Miſſam applicare debent pro populo.* ibid.
VIII. *Et Canonici, & Manſionarii Conventualem pro Benefactoribus.* ibid.
IX. *Qui ex Beneficio, vel Capellania celebrare debent, tenentur & Miſſam applicare.* ibid.

CAPUT VIII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *APplicatio Sacrificii Conſecrationi eſt præmittenda.* 234
II. *Valet applicatio etiam pro eam ignorante.* ibid.
III. *Non eſt illicitum pluribus diverſos fructus Sacrificii applicare.* ibid.
IV. *Non eſt illicitum Miſſam pro Defunctis applicare, eleemoſyna vel nondum collata, vel nondum diſtributa.* ibid.
V. *Superiores Regulares tenentur Miſſam applicare, ſicut Parochi.* 235
VI. *Quid Parochis egentibus concesſerit Pontifex quoad applicationem Miſſæ pro populo.* 236
VII. *Capellani, qui ad ſolam celebrationem Miſſæ tenentur, poſſunt pro applicatione fructus medii eleemoſynam accipere.* ibid.

CAPUT IX.

De Miſſæ eleemoſyna, ſive ſtipendio celebranti erogando.

Doctrina.

I. *ELeemoſyna loco oblationum ſucceſſit.* 236
II. *Simoniacum non eſt eleemoſynam pro Miſſa accipere.* 237
III. *Omnia pacta, mercimonia, & exactiones pro Miſſis vetitæ.* ibid.
IV. *A quibus ſit deſignanda congrua pro Miſſis eleemoſyna.* ibid.
V. *Epiſcopi prohibere non poſſunt, ne pinguior detur; vetare tamen poſſunt, ne minor taxata accipiatur.* ibid.
VI. *Eleemoſyna in adminiculum ſuſtentationis datur.* 238
VII. *Non eſt illicitum etiam diviti Sacerdoti eleemoſynam pro Miſſa accipere.* ibid.
VIII. *Non licet acceptam eleemoſynam minuere, ſi alteri Miſſa celebranda committitur.* 239
IX. *Qui ex Beneficio celebrant, conſuetam eleemoſynam dare poſſunt.* ibid.
X. *Pro Miſſis perpetuis ſervanda Decreta Pontificum.* ibid.

CAPUT X.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *QUi aliquid ſupra eleemoſynam taxatam exigit, & legem Eccleſiæ, & juſtitiam violat.* 240
II. *Quando a culpa, & injuſtitia excuſetur.* ibid.
III. *Non licet pro una Miſſa plures eleemoſynas accipere.* 241
IV. *Qui ſtipendium accepit, Miſſam celebrare ſub gravi tenetur.* ibid.
V. *Qui quotidie per ſe celebrare tenetur, num poſſit a celebratione ceſſare.* 242
VI. *Quinam ſubjaceant pœnis a Benedicto XIV. conſtitutis contra colligentes eleemoſynas pro Miſſis.* ibid.

CAPUT XI.

De Loco Sacrificii.

Doctrina.

I. *NOnniſi in ſacris locis licet Sacrificium offerre.* 243
II. *Quando liceat in loco profano celebrare.* ibid.
III. *Quando in mari, vel fluminibus.* 244
IV. *In Oratoriis tum publicis, tum privatis licet celebrare* ibid.
V. *Adempta eſt Epiſcopis facultas concedendi domeſticum Oratorium.* ibid.
VI. *Soli Indultarii Miſſam poſſunt in Oratorio celebrandam jubere.* 345
VII. *Quinam eſſe debet locus Oratorii domeſtici.* ibid.
VIII. *Quod eſt ab Epiſcopo viſitandum, & adprobandum.* ibid.
IX. *Una tantum Miſſa in privato Oratorio celebranda conceditur.* ibid.
X. *Non omnibus diebus licet in Oratorio celebrare.* ibid.
XI. *Quinam intereſſe poſſint Miſſæ in Oratorio privato ad ſatisfaciendum præcepto.* 246

CAPUT XII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *ORatoria publica debent eſſe ſaltem benedicta.* 246
II. *Quomodo inepta fieri poſſint ad celebrationem.* 247
III. *Epiſcopis non eſt ſublatum prorſus privilegium Altaris portatilis.* 248
IV. *Templa, & Oratoria a ſimplici Sacerdote benedici poſſunt.* ibid.
V. *In Altari celebrandum eſt.* 249
VI. *In diebus vetitis celebrare in Oratorio privato nec ad præceptum implendum licet.* ibid.

CAPUT XIII.

De tempore Miſſæ, aliiſque requiſitis ad celebrandum conditionibus.

Doctrina.

I. *NOnniſi unam in die Miſſam celebrare Sacerdotibus conceſſum.* 250
II. *Nonnullæ hujus legis exceptiones.* ibid.
III. *Quando urgeat neceſſitas bis celebrandi.* ibid.
IV. *Non omnibus diebus conceſſum eſt celebrare.* 251
V. *Qua hora liceat celebrare.* ibid.
VI. *Num Regulares privilegiis gaudeant præveniendi horam.* ibid.
VII. *Num liceat in die Feſto celebrare ante Miſſam Parochialem.* ib.
VIII. *Quo idiomate ſit Miſſa celebranda.* 252

IX. *Quibus veſtibus utendum, & quidem benedictis.* ibid.
X. *Sunt & ſacra vaſa cum ſuis ornamentis neceſſaria.* ibid.
XI. *Nudato capite celebranda Miſſa, & cum calceis, ac ſine annulo.* 253

CAPUT XIV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *IN nocte Natalis Domini una tantum celebranda Miſſa.* 254
II. *Quando liceat in domeſtico Oratorio in feſtis exceptis celebrare.* ibid.
III. *Quando nulla adſit neceſſitas vera bis eodem die celebrandi.* ibid.
IV. *Non omnibus licet in Fer. V. in Cœna Domini celebrare, nunquam, nec in ficto Sporcrii caſu, in Paraſceve.* ibid.
V. *Non licet in populi commodum horam celebrationis prævenire, vel protrahere.* 255
VI. *Nec Miſſam, niſi urgente neceſſitate, abrumpere, interpolare, vel repetere.* ibid.
VII. *Omnia ad Altaris Sacrificium inſervientia benedicta eſſe debent.* 256
VIII. *Sine Miſſali libro celebrare non licet.* 257

CAPUT XV.

De Partibus, Ritibus, & Rubricis Miſſæ.

Doctrina, et Consectaria.

I. *MIſſæ partes præcipuæ enumerantur.* 257
II. *Qualis culpa ſit illarum omiſſio.* ibid.
III. *Ritus ab Eccleſia inſtituti ſunt diligenter cuſtodiendi.* 258
IV. *Similiter & Rubricæ ſervandæ.* ibid.
V. *Matutinum ante Miſſam recitandum.* ibid.
VI. *Ablutio manus Miſſæ præmittenda.* 259
VII. *Quomodo ſupplendum abruptum in conſecratione Sacrificium.* ibid.
VIII. *In vino ſumenda purificatio.* 260
IX. *Sumenda eſt hoſtia in ipſo Sacrificio conſecrata.* ibid.
X. *Miſſa eſt exteriori devotione celebranda.* ibid.
XI. *Multoque magis interiori.* ibid.
Reflexio. 261

ETHI-

ETHICÆ CHRISTIANÆ,

SIVE

THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS X.

DE SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTIS.

A*Mpliſſimam aggredimur de ſacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis operoſam Tractationem. Hujus utilitatem ſimul, & neceſſitatem nemo eſt, qui vel primo ſtatim intuitu non perſpiciat. Cum enim Chriſtiana Religio ea parte, qua divinis vacat obſequiis, vel moribus purgandis incumbit, tota ferme in legitima Sacramentorum adminiſtratione, vel perceptione poſita ſit, per quæ teſte Tridentino Concilio in Proœmio ſeſſ.* 7. Omnis juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur; *hinc fit, ut illorum notitia omnibus quidem Chriſtifidelibus ſit quadantenus neceſſaria, ſed affatim colere eam debeant, quos proximorum ſuorum ſaluti procurandæ, aut ex debito paſtoralis officii, quò obſtringuntur, vel cui ſuſcipiendo ſe idoneos præſtare velint, aut ex caritatis inſtinctu, quæ homines Eccleſiaſticos potiſſimum decet, vel ex peculiaribus vitæ rationibus, ut in omnibus fere Religioſis Ordinibus præſcribuntur, curam impendere interſit. De Sacramentis agit D. Thom. 3. p. a q. 60. ad 90. incluſive, quæ eſt poſtrema illius admirabilis Operis, quam Theologiæ ſummam inſcripſit, non quia ibi Summam ipſam abſolverit expeditis omnibus, quæ ſibi tractanda ſuſceperat, ſed quia immatura morte ſublatus, ibidem deſiſtere coactus fuit, ita ut nec doctrinam de Sacramentis, cui plura adjicere propoſuerat, compleverit: præfata enim quæſtio 90. de partibus Pœnitentiæ eſt, & quidem prout eſt virtus, cujus conſideratio eam præcedit, quæ de ipſa, prout Sacramentum eſt, ſubjicienda erit. Ne tamen ſic mutila remaneret, ſed potius omnia promiſſa argumenta utcumque contineret, aliæ 99. quæſtiones, ex Commentario ejuſdem S. D. in IV. Sententiarum librum deſumptæ, illuc tranſpoſitæ reliqui Operis exhibet ſupplementum. Ex quibus ſexaginta priores pertinent ad Sacramenta, videlicet ad Pœnitentiam, & alia, quæ juxta notorium ordinem ſubſequuntur. Porro in diſſerendo de Sacramentis ea utitur methodo S. D. ut prius de ipſis generatim inſpectis, ſpeciatim deinde loquatur de ſingulis. Huic itaque ordini inhærentes & nos totam Tractationem in octo dividemus Partes, quarum prima erit de Sacramentis in genere. Septem reliquæ ſingulæ circa ſingula Sacramenta inſumentur. Divino igitur invocato nomine, & S. Thomæ Præceptoris noſtri patrocinio, operi manum illico admovemus.*

DE SACRAMENTIS

PARS PRIMA,

QUÆ EST DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TOtam hanc de Sacramentis in genere diſputationem, quæ multa complectitur, perſpicuitatis ordiniſque gratia in duas partiemur Diſſertationes. In priori expoſitis indole, natura, numero Sacramentorum, de iis diſputabimus, quæ ipſis Sacramentis velut extrinſeca eorum exiſtentiam quodammodo præcedere concipiuntur: nimirum de illorum Numero, Neceſſitate, Auctore, Miniſtro, & ſubjecto. In altera vero, quæ ipſa Sacramenta & conſtituunt, & ſubſequuntur expendentur, nimirum materia, forma, & effectus, gratia videlicet & character, nec non Cæremoniæ in ipſis adminiſtrandis adhibendæ. Diſſertatio quæcumque conſtabit capitibus, quæ, ſi rei amplitudo poſtulabit, fortaſſis identidem paragraphis dividentur.

DISSERTATIO I.

DE NATURA, ET NUMERO SACRAMENTORUM, NECNON DE EORUM AUCTORE, MINISTRO, ET NECESSITATE.

CAPUT PRIMUM.

Notio, & eſſentia Sacramenti accurata definitione exhibetur. Numerus & ordo exponuntur.

DOCTRINA.

I. *Sacramenti varia nomina, & ſignificationes.*
II. *Sacramenti definitio exhibetur.*
III. *Sacramenta ſunt ſigna in re ſenſibili conſtituta.*
IV. *Ad divinum beneplacitum ſignificandum ordinata.*
V. *Non ſolum gratiam ſignificant, ſed & conferunt.*
VI. *In quo differunt a Sacramentis veteris Legis.*
VII. *Septenarius numerus Sacramentorum admittendus.*
VIII. *Illius analogia ad corporalem vitam.*
IX. *Triplex ordo in Sacramentis, Ordo naturæ.*
X. *Ordo neceſſitatis.*
XI. *Ordo dignitatis explicatur.*

I. SAcramenti vox latina eſt, & a ſacro ortum ducere ipſamet conſtructione, & ſono intelligitur; proinde habitudinem, & ordinem ad res ſacras, & divinas afferre dignoſcitur. A Græcis Patribus Sacramenta *Myſteria* vocantur, quaſi arcana quædam ſacra & occulta, quæ nefas ſit in vulgus efferre. Ab Eccleſiaſticis vero Tractatoribus, atque Theologis contractum eſt Sacramenti vocabulum, ut non pro quibuſcumque rerum ſacrarum ſignis, & cæremoniis acciperetur, ſed pro aliquibus ſolum certis, & præſtantioribus ritibus, ſignis, & cæremoniis, quorum inſtitutio divinam creditur habuiſſe originem, & uſus maximam ad hominum ſanctificationem conferre vim; cujuſmodi ſunt Baptiſmus, Chriſmatio, Euchariſtia &c. Similis quoque apud Græcos de voce Myſterii abſolute poſita inolevit determinatio. Utrique enim & Latini, & Græci Patres, & Theologi in Sacramenti, ſive Myſterii nomenclatura reſtringenda non tam ad ſignificationem ſacram, quæ ineſt functionibus illis, quibus eam appropriaverunt, quam & ad ſanctitatem inde promanantem reſpexiſſe videntur, ut Sacramenta a ſacrandi, ſeu conſecrandi munere voluerint appellare. Hinc Sacramentis homines initiari paſſim docent Catholici Patres, & antiqui Scriptores, Tertull. *de Præſcript.* Sanctus Ambroſius *de iis qui initiantur Myſteriis*, Sanctus Auguſtinus tum lib. 15. de Civit. Dei cap. 26. tum epiſt. 23. Edit. Lovan. & alibi. Unde Magiſter Sent. in IV. diſt. 5. quos plures ſequuntur Scholaſtici, Sacramenta dici putat a ſacrando: quibus & favet Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 102. art. 5. ſcribens: *Sacramenta quoque dicuntur illa, quæ adhibentur a Dei cultoribus ad quandam conſecrationem, per quam ſcilicet deputantur ad cultum Dei*. Nobis in præſenti de Sacramentis tractatione in hac ultima, & auguſtiori ſignificatione, quæ ſola Theologicæ locutionis proprietatem habet, agendum eſt.

II. Sacramentum itaque definitur a S. Thom. 3. p. q. 60. art. 2. *Signum rei Sacræ, in quantum eſt ſanctificans hominem*. Quam definitionem & amplexi ſunt Catechiſmi Concilii Tridentini Auctores, & aliquantulum amplificarunt, ſic definientes: *Sacramentum eſt res ſenſibus ſubjecta, quæ ex inſtitutione Dei ſanctitatis, & juſtitiæ, tum ſignificandæ, tum efficiendæ, vim habet*. Singula ſunt explicanda verba, ut inde claram conſequamur

mur Sacramentorum notitiam, eſſentiam probe intelligamus.

III. Dicitur itaque primo *Signum*, ſive *res ſenſibus ſubjecta*, quibus verbis illi ſignificantur ritus & cæremoniæ in Eccleſia, & vera Religione exercitæ, quibus Sacramenti nuncupatio ſpecialiter, & preſſe ſumpta tributa fuit. Porro hæ ſemper adhibitæ fuerunt ad alicujus rei ſacræ ſignificationem, proinde vera ſigna ſunt. Sic externa ablutio in Baptiſmo ſignum eſt internæ emundationis a peccatis in anima, ut latius in ſingulis explicandis Sacramentis exponemus. At non qualecumque ſignum eſt, ſed *ſenſibile*, adeoque, ut in definitione Catechiſmi Concilii Tridentini dicitur, in rebus corporeis, & ſub ſenſu cadentibus conſtituitur. Cujus rei rationem reddit hic D. A. q. 60. a. 4. quia nempe Sacramenta talia ſigna eſſe debent, quæ hominibus, ad quorum utilitatem, & ſpiritualem profectum ſunt inſtituta, conſentanea inveniantur. Porro humanæ cognitioni, quæ ab objectis ſenſibilibus incipit, atque excitatur, ſenſibilia ſigna dumtaxat accommodantur, eiſque ea convenit definitio, quæ tradita a Divo Auguſtino lib. 2. de Doctrina Chriſt. a cunctis Theologis commendatur, & ſuſcipitur, ut nempe ea res ſit ſignum, *quæ præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*. Oportebat igitur, ut ad ſpiritualia, & intelligibilia bona, quibus homo ſanctificatur, cognoſcenda, & perſpicienda manuductione quadam ſignorum ſenſibilium proveheretur; quoniam ejus natura, & ingenium poſtulabat, ex ſenſibilibus ad intelligibilia, a corporalibus ad ſpiritualia, a tranſitoriis ad æterna traduci. Sed D. Thom. omittenda verba non ſunt, qui clare, breviter, & ſapienter ſic dicta illuſtrat: „ Sapientia divina (inquit l. l.) „ unicuique rei providet ſecundum ſuum modum ... „ Eſt autem homini connaturale, ut per ſenſibilia „ perveniat in cognitionem intelligibilium. Si„ gnum autem eſt; per quod aliquis devenit in „ cognitionem alterius. Unde cum res ſacræ, „ quæ per Sacramenta ſignificantur, ſint quædam „ ſpiritualia, & intelligibilia bona, quibus homo „ ſanctificatur, conſequens eſt, ut per aliquas res „ ſenſibiles ſignificatio Sacramenti impleatur .... „ Et inde eſt, quod ad Sacramenta requiruntur „ res ſenſibiles “.

IV. Additur ex inſtitutione divina, non ſolum quia, ut ſuo loco oſtendemus, a Chriſto Domino, & Salvatore noſtro ſunt inſtituta, ſed ulterius ad ſignificandum Sacramenta non eſſe ſigna naturalia, ut fumus ignis, odor floris, riſus lætitiæ, gemitus doloris, ſed ſigna vuluntaria, &, ut Philoſophi loquuntur, *ad placitum*, ideſt libero inſtituentis arbitrio, placitoque propoſita, ut ſunt vexilla militum, inſignia Familiarum, vocabula rerum. Et revera, cum Sacramenta ſint in rebus ſenſibilibus poſita, hæ profecto ad res ſacras, & ſanctificantes, quæ & ſpirituales ſunt, immo & ſupernaturales, omni naturali carent habitudine; proinde illorum naturalia eſſe ſigna omnino non poſſunt. Neceſſe eſt igitur, ut extrinſeca inſtitutione ad id muneris fuerint aſſumptæ. Licet tamen pro Inſtitutoris voluntate, & arbitrio fuerint ad ſignificandum adhibitæ; in ſe tamen præbebant quandam ſimilitudinem, & analogiam ad rem ipſam ſupernaturalem ſignificandam: ut videre eſt in Baptiſmo, in quo exterior ablutio interioris ablutionis corpoream imaginem exhibet; & in Pœnitentia abſolutio, quæ ore pronuntiatur, criminum remiſſionem interius a Deo conceſſum accommodatiſſime adumbrat: quæ analogia & in Chriſmate, & in Euchariſtico cibo, & in Matrimonio conſpicitur.

V. Additur, Sacramenta eſſe *ſigna ſanctitatis, & juſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ:* quandoquidem novæ legis Sacramenta non ſolum ſignificant, ſed & conferunt habitualem gratiam, per quam homines ea ſuſcipientes vere, & interius juſtificantur, niſi divinæ operationi voluntarium obicem ponant. Et revera ita docet adverſus Heterodoxos Catholica Eccleſia, quæ in Concil. Trid. ſeſſ. 7. cap. 6. pronuntiat: *Si quis dixerit Sacramenta non continere gratiam, quam ſignificant ... anathema ſit.* Et ſeſſ. 13. cap. 3. declarat *commune omnibus noſtris Sacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem.* Hinc noſtrorum efficacitatem Sacramentorum Scripturæ luculenta oſtendunt teſtimonia, præſertim de Baptiſmo, & Eucharitia, dum de illis dicitur: *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Quod probant latiſſime Theologiæ Polemicæ Scriptores, & nos quoque & inferius, & de ſingulis agentes Sacramentis oſtendemus.

VI. Hinc apparet diſcrimen inter Veteris, & Novæ Legis Sacramenta. Illa ſiquidem gratiæ ſanctificantis a Chriſto promeritæ ſignificationem aliquam præferebant, at gratiam, & ſanctificationem minime conferebant, ut perſpicue docet Florentinum Concilium in Decreto edito pro Armenorum inſtructione, ubi de Sacramentis agendo ſic dicit: *Sacramenta novæ Legis multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis: illa enim non cauſabant gratiam, ſed ſolum per paſſionem Chriſti dandam præfigurabant; hæc vero noſtra & continent gratiam, & eam digne ſuſcipientibus conferunt.* Idem prædocuerant duo magna Eccleſiæ lumina SS. Auguſtinus, & Thomas. Ille quidem in Pſ. 73. ubi de utriuſque legis Sacramentis differens ſcribit: *Sacramenta N. T. dant ſalutem: Sacramenta V. T. promittebant Salvatorem.* Et epiſt. 19. Edit. Lovan. de poſterioribus loquens dicit: *Eis homines non juſtificantur, umbræ ſunt prænuntiantes gratiam, qua juſtificamur.* Alter vero ſic priori adſtipulatur hic quæſt. 61. art. 4. ad 3. dicens: *Sacramenta veteris Legis fuerunt ſigna gratiæ futuræ.*

VII. Quoad noſtrorum Sacramentorum numerum, certum eſt, & fide Catholica tenendum, nec plura eſſe, nec pauciora, quam ſeptem. Ita definivit Trident. Concil. ſeſſ. 7. can. 1. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis ... eſſe plura, aut pauciora, quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere, & proprie Sacramentum; anathema ſit.* Præiverat Concilium Florent. in Decreto Eugen. IV. pro Armenorum inſtruct. dicens: *Novæ Legis ſeptem ſunt Sacramenta, videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium.* Porro utriuſque Synodi Patres non novum ali-

aliquid hiſce definitionibus invexerunt; ſed quod jamdudum perpetua traditione confirmatum invenere, tradiderunt. Nam ante Lutheri, & Calvini tempora adeo ratus erat ſeptenarius Sacramentorum numerus, ut illum nec Uſſitæ, nec Waldenſes auſi ſunt inficiari. Immo & perpetua cum Latina Eccleſiæ Græcæ, jamdudum diro Schiſmate ab illa ſeparatæ, conſenſio hanc veritatem confirmat. Non enim Græci a Latinis, quos odio habent, Sacramentorum numerum ſuſceperunt, ſed ab antiquis eorum Patribus acceptum religioſiſſime cuſtodierunt, & etiam poſt ſchiſma cuſtodiunt; neque ullam unquam de hoc Latinæ Eccleſiæ quæſtionem intentarunt: quinimmo recentiores Lutheranos, & Calviniſtas hunc numerum minuentes condemnarunt; ut videre eſt in Synodo Hieroſolymitana ſub Doſitheo Patriarcha anno 1672. contra Cyrillum Lucari olim Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui Calvini errores amplexus fuerat, coacta, in qua, inquam, Synodo in Confeſſione fidei edita cap. 15. ſic Græci loquuntur: *Credimus eſſe in Eccleſia legis novæ Sacramenta, eaque ſeptem, nec majorem, minoremque in eadem Sacramentorum numerum admittimus. Siquidem hæreticorum dementiæ fœtus eſt alius Sacramentorum numerus, quam ſeptenarius.* Quod & latius probant Polemici Theologi, & nos quoque de ſingulis tractantes Sacramentis oſtendemus, probantes ſingulis Sacramentis illa tria convenire, quæ veri Sacramenti notionem præferunt, nimirum quod ſit ſenſibile ſignum, ſit a Chriſto inſtitutum, adſit promiſſio gratiæ.

VIII. Sacramentarii numeri veritas nonniſi ex divina revelatione per miniſterium Eccleſiæ propoſita innoteſcere poteſt; cum non alia eorum, quæ a Dei beneplacito pendent, cujuſmodi eſt Sacramentorum numerus & conditio, prior, potior, & efficacior cauſa poſſit afferri, quam inſtituentis voluntas; nec aliunde voluntas, quam revelatione, innoteſcere; nec majus revelationis argumentum, quam perpetua, & conſtans Eccleſiæ ſic edoctæ de hac re doctrina. Nihilotamen ſecius D. Thom. eumque ſequuti Theologi, quinimmo & Florentinum Concilium, & Tridentini Catechiſmus nonnullas afferre non omiſerunt hujus ſeptenarii numeri probationes, quas congruentes vocant, & quas afferre ex D. A. hic q. 67. a. 1. operæ pretium duco, non ipſius S. D. verbis, quæ loco cit. legi poſſunt, ſed compendiaria forma ad prolixitatem vitandam. Obſervat itaque A. P. ad ſpiritualem vitam hominis ordinandam juxta varias ejus indigentias multiplicanda fuiſſe ſubſidia. Porro tot ferme modis hominem in ſpirituali vita procedere intelligitur, quot in corporali progreditur, in qua ſeptem ei neceſſaria noſcuntur, quinque, ut ſibi commode vivat, duo, ut & Reipublicæ vivat utiliter. Nam quo ſibi vivat, oportet 1. ut naſcatur. 2. Ad debitum incrementum corpus perducat. 3. Quod acquiſivit, ope nutrimenti conſervet: & hæc quidem per ſe. Sed quia non ſufficit utilia comparare, niſi & noxia removeantur, præterea neceſſe eſt, ut & morbos, in quos inciderit, ſalubribus medicamentis depellat, & vires diuturnitate morbi quaſſatas reſtauret. Hactenus ut ſibi vivat. Deinde vero & Reipublicæ vivit Magiſtratus prudenter adminiſtrando, & prolem generando, quorum uno, paci, & tranquillitati conſulat Civitatis, altero ejus perpetuitati: illam enim, niſi ſobole reparetur, cito interire civium mortalitas coget. Analogia hac itaque retenta totidem ſpiritualis vitæ ſubſidia chriſtiano homini erant præſtanda, & per Sacramenta a Chriſto inſtituta præſtita deprehenduntur. Nam per Baptiſmum, qui eſt regenerationis Myſterium, homo inchoat vitam ſpiritualem; per Confirmationem auget, & roborat; per Euchariſtiam nutrit, & reparat; per Pœnitentiam lethalibus culparum vulneribus ſibi ereptam recuperat; per Extremam Unctionem delictorum reliquias perpurgat. His in ſe ipſo perfectus, Eccleſiæ quoque per miniſteria in Sacra Ordinatione ſuſcepta deſervit, eamque per caſta connubia propagat. Septenarius itaque numerus Sacramentorum ad exemplata beneficia conſequenda optima ratione conſtitutus apparet.

IX. In hoc autem Sacramentorum numero triplicem ordinem agnoſcit D. Thom. q. 65. a. 2. ſcilicet *naturæ*, ſive *generationis*, *dignitatis*, & *neceſſitatis*. De quo triplici ordine ſic ſcribit: „ Sicut unum prius eſt, quam multitudo; ita Sa„ cramenta, quæ ordinantur ad perfectionem u„ nius perſonæ, naturaliter præcedunt ea, quæ „ ordinantur ad perfectionem multitudinis. Et id„ eo ultimo inter Sacramenta ponuntur Ordo, & „ Matrimonium, quæ ordinantur ad multitudinis „ perfectionem: Matrimonium autem poſt Ordi„ nem, eo quod minus participat de ratione vitæ „ ſpiritualis, ad quam ordinantur Sacramenta. „ Inter ea vero, quæ ordinantur ad perfectionem „ unius perſonæ, naturaliter ſunt priora illa, quæ „ per ſe ordinantur ad perfectionem ſpiritualis vi„ tæ, quam ea quæ ordinantur per accidens, ſci„ licet ad removendum accidens nocivum ſuperve„ niens: cujuſmodi ſunt Pœnitentia, & Extrema „ Unctio: poſterior tamen eſt naturaliter Extrema „ Unctio, quæ conſummat ſanationem, Pœniten„ tia, quæ inchoat. Inter alia vero tria manife„ ſtum eſt, quod Baptiſmus, qui eſt ſpiritualis re„ generatio, eſt prius: & deinde Confirmatio, quæ „ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis: & „ poſtmodum Euchariſtia, quæ ordinatur ad per„ fectionem finis “.

X. Ordinem vero neceſſitatis ſic explicat D. Th. a. 4. „ Neceſſarium reſpectu finis dicitur aliquid „ dupliciter. Uno modo, ſine quo non poteſt ha„ beri finis; ſicut cibus eſt neceſſarius vitæ hu„ manæ; & hoc eſt ſimpliciter neceſſarium ad fi„ nem. Alio modo dicitur eſſe neceſſarium id, ſi„ ne quo non habetur finis ita convenienter; ſic„ ut equus neceſſarius eſt ad iter; hoc autem non „ eſt ſimpliciter neceſſarium ad finem. Primo igi„ tur modo neceſſitatis ſunt tria ſacramenta neceſ„ ſaria: duo quidem perſonæ ſingulari: Baptiſmus „ quidem ſimpliciter, & abſolute: Pœnitentia au„ tem, ſuppoſito peccato mortali poſt Baptiſmum, „ Sacramentum autem Ordinis eſt neceſſarium Ec„ cleſiæ: *quia ubi non eſt Gubernator, populus corruet*, ut dicitur Proverb. 11. v. 14. Sed ſecun„ do modo ſunt neceſſaria alia ſacramenta. Nam „ Confirmatio quodammodo perficit Baptiſmum, „ Extrema Unctio Pœnitentiam: Matrimonium „ vero Eccleſiæ multitudinem per propagationem „ conſervat “.

XI. Ordinem denique dignitatis, & excellentiæ ſic diſponit S. D. a. 3. Nam 1. ſtatuit, Sacra-

men-

mentum Euchariſtiæ eſſe potiſſimum inter alia Sacramenta, quod ſimpliciter oſtendit ſcribens: „ Primo quidem ex eo, quod in eo continetur. „ Nam in Sacramento Euchariſtiæ continetur ipſe „ Chriſtus ſubſtantialiter: in aliis vero Sacramentis continetur quædam virtus inſtrumentalis participata a Chriſto .... 2. Ex ordine Sacramentorum ad invicem: nam omnia alia Sacramenta „ ordinari videntur ad hoc Sacramentum, ſicut ad „ finem. Manifeſtum eſt enim, quod Sacramentum Ordinis ordinatur ad Euchariſtiæ conſecrationem; Sacramentum vero Baptiſmi ordinatur „ ad Euchariſtiæ ſuſceptionem: in quo etiam perficitur aliquis per Confirmationem .... per „ Pœnitentiam etiam, & extremam Unctionem „ præparatur homo ad digne ſumendum Corpus „ Chriſti. Matrimonium etiam ſaltem ſua ſignificatione attingit hoc Sacramentum, inquantum „ ſignificat conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ, „ cujus unitas per Sacramentum Euchariſtiæ figuratur .... 3. Hoc apparet ex ritu Sacramentorum. Nam fere omnia Sacramenta in Euchariſtia conſummantur. “ Quoad alia vero Sacramenta hunc ſtatuit dignitatis ordinem ſubdens: „ In via perfectionis Sacramentum Ordinis eſt potiſſimum Sacramentorum, medio autem modo „ (ſcilicet inter perfectionem, & neceſſitatem) „ ſe habet Sacramentum Confirmationis. Sacramentum vero Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis ſunt inferioris gradus a prædictis Sacramentis, quia ordinantur ad vitam chriſtianam non „ per ſe, ſed per accidens, ſcilicet in remedium „ ſupervenientis defectus: Inter quæ tamen Extrema Unctio comparatur ad Pœnitentiam, ſicut „ Confirmatio ad Baptiſmum, ita ſcilicet quod „ Pœnitentia eſt majoris neceſſitatis, ſed Extrema Unctio majoris perfectionis “. Hæc S. Thomæ doctrina in triplici ordine exponendo & perſpicua eſt, & Theologorum omnium calculis adprobata, qui eandem & in ordine ſeriem, & in uſu neceſſitatem, & in dignitate præſtantiam omni ævo ſervarunt, & Concilii Tridentini, & Florentini auctoritate munitur, nec non Catechiſmi Romani adprobatione, ſic pariter Sacramenta diſponentis.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Sacramenta non ſunt ſigna privata, ſed publica, & perpetua.*

II. *Nec inſtituta ſolum ad fideles ab infidelibus diſcernendos.*

III. *Cum gratiam ſanctificantem, & Chriſti paſſionem ſignificent.*

IV. *Tria requiruntur, ut ritus aliquis ſit Sacramentum.*

V. *Lotio pedum non eſt inter Sacramenta connumeranda.*

VI. *Quinam ordo ſervandus in ſuſceptione Sacramentorum.*

Conſectarium Primum.

I. Sacramenta omnia ſigna ſunt rei ſacræ publica, & permanentia, ideſt univerſali ſtabili lege, quæ durat ſaltem pro ſtatu aliquo, in quo homines ex divina ordinatione certum modum colendi Deum profitentur, ſancita. Ita docet S. Th. 1. 2. q. 102. a. 2. quem omnes ſequuntur Theologi, & oſtendunt inductione: Nam Circumciſio, & antiqua V. T. ſacramenta inſtituta fuerunt in ritum perpetuum, ut dicitur Gen. 17. & Exod. 13. aliiſque pluribus in locis V. T. ideſt in ritum multo tempore duraturum, quandiu ſcilicet Synagogæ ſtatus, legiſque Moſaicæ ad Chriſtum uſque protenſæ permanſurus erat: Similiter Sacramenta novæ Legis inſtituta ſunt pro toto tempore legis gratiæ, ideſt uſque ad conſummationem ſæculi, ut Matt. ult. ſignificatur per illa verba: *Baptizate omnes gentes .... vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Et de Sacramento Euchariſtiæ Sanctus Paulus dicit 1. ad Corinth. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*; ideſt hic ritus, quo mortem Domini commemoramus, perſeverabit, uſque dum ille ad judicandum ſæculum venerit. Ratio etiam eandem veritatem evincit. Nam Sacramenta inter ea ſigna, quibus juxta Auguſtinum lib. 19. contra Fauſtum, homines in unum viſibile corpus, & ejuſdem Religionis profeſſionem adunantur, primum & eminentiorem obtinent locum. Sicut ergo ſtatus Religionis, & Eccleſiæ eſt permanens & durabilis, ita & Sacramenta permanentem habere debent inſtitutionem; præſertim cum omnia ſigna ad placitum, quæ communi hominum uſui deſerviunt, communi lege, ac ſtabili conſuetudine ſervanda proponantur. Et revera aliqua occurrunt in ſcripturis ſigna divina, quæ nonniſi ob defectum præfatæ communis, & ſtabilis inſtitutionis a Sacramentorum ordine excluduntur: e. g. remiſſio criminum per verba illa Chriſti Domini ad Mariam Magdalenam, *remittuntur tibi peccata tua*, Luc. 7. & Joan. 20. illa inſufflatio in Apoſtolos, cui Chriſtus illa adjunxit verba, *accipite Spiritum Sanctum*, quæ ideo inter Sacramenta non recenſentur, quia Dominus Jeſus hæc ſemel fecit, & ad unius, vel paucorum hominum ſanctificationem ea ſigna adhibuit, non vero cæremoniam in Eccleſia frequentandam ſtatuere voluit. Nec obſtat: majorem, vel minorem durationem rei eſſentiam non mutare. Hoc ſiquidem verum eſt, ſi phyſica ſignorum natura ſpectetur: at in ordine morali, & quoad uſus, & fines humanos diverſitas temporis talem inducere poteſt varietatem, ob quam res moraliter eadem reparari non poſſit.

Conſectarium Secundum.

II. Tametſi Sacramenta ſigna ſint publica, & permanentia, abſit tamen, ut ſint mere indicativa veræ Religionis, quibus fideles ab infidelibus diſcernuntur; ut docuere Andreas Carloſtadius, Lutheri primo amicus & aſſecla, poſtea deſertor & æmulus, nec non Philippus Melancton lib. de locis Theol. cap. *de ſignis*: quam doctrinam poſtea totis ulnis amplexi ſunt Sociniani, ut ex Catecheſi Cracoviana liquido apparet. Hi enim Sacramenta comparant teſſeris militaribus, aut diverſæ formæ coloris veſtibus, quibus homines unius exercitus, vel inſtituti ab extraneis internoſcantur. Horum autem doctrinam rejicimus, non quidem eo

eo nomine; quod falſum quidpiam tribuat Sacramentis; ſed quod multum veri, immo, quod in ipſis præcipuum eſt, adimat. Libenter enim fatemur Sacramenta & hunc uſum habere, quod veram Religionem a quibuſdam falſis ſectis diſtinguat, at negamus id unice, & principaliter eis convenire. Nam numquam legimus in N. T. Baptiſmum, Euchariſtiam, aliaque Chriſtianæ Religionis Myſteria in hunc finem inſtituta, ut Eccleſiam Chriſti ab aliis ſocietatibus ſepararent; bene vero, ut per illa homines ſalutem conſequerentur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit* (dicitur Marci ult.) *ſalvus erit*. Audis ne? *Salvus erit*, inquit, non mere diſcernetur a non baptizato. Et Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti*. Et de Euchariſtia ſcriptum eſt Jo. 4. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Præterea ad diſtinguendum Dei populum ab aliis cœtibus alia ſigna magis, quam ſacramenta, quæ & a multis hæreticis celebrantur, conferre videntur. Certe integra Fidei confeſſio ſymbolis orthodoxis expreſſa ſolis catholicis convenit, mutuæ etiam caritatis ſinceritas extra Eccleſiam non invenitur; cum Baptiſmus, Euchariſtia, aliaque novæ legis Sacramenta ab Arianis, Neſtorianis, Eutychianis, aliiſque peſſimis ſectis minime negligantur. Denique Sacramenta novæ legis vim omnem ſuam ex Chriſti paſſione derivaſſe Sanctorum omnium Patrum celebris eſt, & trita ſententia, quorum plurimi ad aquæ baptiſmalis acceptam a Chriſto efficaciam ſignificandam, ex ipſius in Cruce pendentis perfoſſo latere cum ſanguine aquam manaſſe animadvertunt. Sed quid opus eſt Patrum teſtimoniis? Paulus ad Epheſ. 5. ſic loquitur: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* At, ſi nihil aliud præſtant Sacramenta, quam vexilla militum, Pallia Philoſophorum, Togæ Romanorum, Monachorum varia indumenta, videlicet ſolam extrinſecam diſtinctionem, an neceſſe erat illa a Chriſti latere educi, Chriſtique paſſione, & meritis fulciri? Immo neque ulla Divina ordinatio ad hujuſmodi ſigna ſtabilienda requirebatur, quippe quæ ſola potuiſſent humana adinventione, & voluntate præſcribi. Non itaque ad ſolam diſtinctionem fidelium ab infidelibus, ſed ad eorum ſanctificationem ſunt inſtituta ſacramenta. Unde Auguſtinus ajebat quæſt. 84. in Leviticum: *Sine ſanctificatione inviſibilis gratiæ Sacramenta viſibilia ... quid proſunt?*

Conſectarium Tertium.

III. Sacramenta novæ legis cum gratia ſanctificante ſimul & paſſionem Chriſti, & gloriam cæleſtem ſignificant. Ita docet S. Th. hic q. 40. a. 3. ſcribens: „ Sacramentum proprie dicitur, quod ordinatur ad ſignificandam noſtram ſanctificationem. In qua tria poſſunt conſiderari; videlicet ipſa cauſa ſanctificationis noſtræ, quæ eſt paſſio Chriſti; & forma noſtræ ſanctificationis, quæ conſiſtit in gratia; & ultimus finis ſanctificationis noſtræ, qui eſt vita æterna. Et hæc omnia per Sacramenta ſignificantur. Unde Sacramentum eſt & ſignum rememorativum ejus, quod præceſſit, ſcilicet paſſionis Chriſti; & demonſtrativum ejus, quod in nobis efficitur per Chriſti paſſionem, ſcilicet gratiæ; & prognoſticum, ideſt prænuntiativum futuræ gloriæ “. Quæ doctrina illuſtratur exemplo Baptiſmi, & Euchariſtiæ. Nam in Baptiſmo Chriſti mortem commemorari docet Apoſtolus ad Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus, in morte ipſius baptizati ſumus*. Deinde juſtificationem per gratiam in eodem ſignificari, aperit ſequentibus verbis: *Qui mortuus eſt, juſtificatus eſt a peccato: conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Tertio æternæ quoque vitæ in Baptiſmo ſignificationem edicit: *Si conſepulti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus*. In Euchariſtia pariter ſignificatio gratiæ indicatur in verbis Chriſti Domini, *qui manducat me, & ipſe vivet propter me*: gloriæ cæleſtis ſignificatio oſtenditur ſequentibus verbis, *qui manducat hunc panem vivet in æternum*; divinæ denique memoria paſſionis tribuitur Euchariſtiæ ab Apoſtolo 1. ad Corinth. 11. dicente: *quotieſcumque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*. Quas omnes ſignificationes Eccleſia complectitur, & celebrat in illa Antiphona: *O Sacrum Convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*. Obſervandum tamen, non æque illa tria in noſtrorum Sacramentorum ſignificatione comprehendi: ſed gratiæ ſanctificantis principem eſſe locum, cum ad humanam ſanctificationem eadem ſacramenta ſint inſtituta, quæ a gratia provenit.

Conſectarium Quartum.

IV. Ut ritus aliquis inter Sacramenta novæ legis recenſeatur, tria requiruntur, nimirum 1. ut ſit a Chriſto inſtitutus: 2. ut ſigno aliquo ſenſibili componatur: 3. ut gratiæ promiſſionem habeat adnexam. Veritas hujus doctrinæ partim ex his, quæ diximus; partim ex inferius dicendis patebit. Nam revera cum Sacramenta noſtra gratiam conferant ſanctificantem, quæ nobis ex Chriſti meritis, & paſſione confertur, ſolum ab iſto inſtitui poterant, & ad tantum bonum promovendum ordinari: proinde, ut inferius oſtendemus, Chriſtum Dominum habent Auctorem. Signi autem ſenſibilitatem, & viſibilitatem in Sacramentis cap. præced. abunde probavimus. Promiſſionem vero gratiæ, tanquam ſalutarem effectum Sacramenti, neceſſariam eſſe patet ex ipſorum Sacramentorum indole, quæ ad animæ ſanctificationem ſunt ordinata. Id etiam patet ex ipſa Sacramentorum inductione. Nam Baptiſmus fuit a Chriſto Domino inſtitutus Apoſtolis mandante Matth. ult. *Euntes, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*. Signum ſenſibile in ipſa ablutione habetur. Promiſſio gratiæ indicatur illis verbis Apoſtoli, *abluti eſtis, ſanctificati eſtis*, & alibi, *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Quod pariter manifeſtum eſt in Sacramento Euchariſtiæ, in quo habetur inſtitutio Chriſti, dicentis Apoſtolis in ultima Cœna: *Hoc facite in meam commemorationem*: ſignum ſenſibile in verbis, *acci-*

cipite, & manducate: promiſſio gratiæ per ea verba, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum: qui manducat me, & ipſe vivet propter me*. Quod & de ſingulis Sacramentis agentes, ſingulis convenire oſtendemus.

Conſectarium Quintum.

V. Lotio pedum non eſt inter novæ Legis Sacramenta connumeranda. Huic poſitioni cauſam dedit mos, qui olim in pluribus Eccleſiæ (non tamen in Romana) viguit lavandi pedes recens baptizatorum, in quo ritu ea reperiri videntur, quæ mox diximus ad Sacramenti dignitatem requiri: nempe inſtitutio, & mandatum Chriſti in illis verbis Jo. 13. *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*; ſignum ſenſibile in ipſa pedum ablutione; promiſſio demum gratiæ in iis verbis, quæ dixit Chriſtus Petro recuſanti eam lotionem, *ſi non lavero te, non habebis partem mecum*; quæ hunc ſenſum implicare videntur, ſi lavero te, habebis partem mecum, utique per ſanctitatem, & gratiam. Accedit auctoritas nonnullorum Patrum, nimirum S. Ambroſii in 3. de Sacram. cap. 1. Sancti Bernardi in Cœna Domini, & Auctoris Sermonum de ablutione pedum inter Opera Sancti Cypriani, qui omnes hunc ritum Sacramentum appellare non dubitarunt. Verum poſita aſſertio noſtra unice vera eſt. Nam deeſt prima conditio ad Sacramentum requiſita, nimirum Chriſti Domini inſtitutio: verba enim illa, *debetis alter alterius lavare pedes*, potius ad humilitatis, & caritatis, ut exponunt SS. Jo. Chryſoſtomus, & Cyrillus, quam ad externæ lotionis imitationem, & praxim conjungendam referuntur. Quod comprobatur ex Eccleſiæ interpretatione, quæ nullam ſibi ea de re legem impoſitam ſenſit, variamque permiſit diſciplinam. Nam, ut ipſe Ambroſius fatetur l. l. Romæ mos ille non ſervabatur, ut recens baptizatis, vel mox baptizandis pedes ablueerentur; & in Concilio Illiberitano prohibitus invenitur; & alibi uſque ad capitilavium, ut vocabant, in Dominica Palmarum ampliatus, ut conſtat ex Sancto Iſidoro lib. 6. Etymol. cap. 17. & de Officiis Eccleſ. cap. 26. alibi vero de medio ex toto ſublatus. Quare ſcribit S. Auguſtinus ep. 119. vel 55. ad Januarium. *Ne ad ipſum Baptiſmum pertinere videretur* (pedum lotio) *multi hoc in conſuetudinem recipere noluerunt, nonnulli & de conſuetudine auferre non dubitarunt*. Deeſt & promiſſio gratiæ: nam quod dixit Chriſtus Petro, *ſi non lavero te, non habebis partem mecum*, nudam pœnæ comminationem ob inobedientiam incurrendæ ſignificat, ut explicat Sanctus Baſilius lib. 1. de Bapt. cap. 2. Patres vero lotioni pedum ſacramenti nuncupationem dedere in ampla ſignificatione, quæ omne ſignum rei ſacræ comprehendit: non vero quia a Chriſto ad ſanctificandos fideles perenniter inſtitutum exiſtimarent: & non tam ejus, quæ ab Eccleſia celebrabatur, quam a Chriſto ſemel factæ myſticas alluſiones commendavere.

Conſectarium Sextum.

VI. Naturalis ordo Sacramentorum non ita neceſſario eſt ſervandus, ut in inverſo ipſorum valor, vel fructus impediatur. Patet manifeſte. Nam uno excepto Baptiſmo, qui eſt reliquorum janua, per quam non ingreſſus eſt prorſus incapax alia percipiendi, poſſunt Sacramenta eo ordine, quam occaſio, & opportunitas offert, niſi obſtent Eccleſiaſticæ leges (quas ſuis locis exponemus, & expendemus) fructuoſe etiam ſumi, ut Confirmatio poſt Euchariſtiam, & Matrimonium ante Confirmationem. Et S. Th. hic q. 65. a. 2. ad 3. Euchariſtiam, docet, poſſe præmitti Confirmationi. Immo & de ipſa Pœnitentia ſcribit, „ non ſemper „ eſſe Euchariſtiæ præmittendam: nam ſi aliquis „ eſſet ſine peccato mortali, non indigeret pœni- „ tentia ad ſumptionem Euchariſtiæ “. Proinde merito Pœnitentiam in ordine poſtponi poteſt Euchariſtico Sacramento; licet & ſemper bene ad ipſum diſponat, & aliquando ſit neceſſario præmittenda; quia inquit „ per accidens pœnitentia præ- „ parat ad Euchariſtiam, ſcilicet ſuppoſito pecca- „ to, unde dicitur Paralip. ult. (ſed habetur in „ oratione apocrypha ante 3. lib. Eſdræ) *Tu Do-* „ *mine juſtorum non poſuiſti pœnitentiam juſtis*.

CAPUT TERTIUM.

De Sacramentorum exiſtentia, & neceſſitate in omni hominum ſtatu.

DOCTRINA.

I. *Varii hominum ſtatus in ordine ad Sacramenta.*
II. *Nulla fuere in ſtatu innocentiæ Sacramenta.*
III. *In ſtatu legis naturæ aliqua extitere Sacramenta.*
IV. *Et quidem ad ſalutem neceſſaria.*
V. *In Lege ſcripta plura fuerunt inſtituta Sacramenta.*
VI. *Solis Judæis neceſſaria.*
VII. *In nova Lege plura ſunt Sacramenta, & quidem neceſſaria.*

I. IN quadruplici ſucceſſive ſtatu conſtituti ſunt homines, ad quorum quemlibet Sacramentorum inſtitutio, & neceſſitas referri poſſunt. Primus eſt innocentiæ ſtatus ante Protoparentum peccatum. Secundus ſtatus legis naturæ, ſcilicet ab Adæ lapſu uſque ad Legis Moſaicæ promulgationem, vel ut citius uſque ad præceptum Abrahamo, ejuſque poſteris de Circumciſione latum. Tertius ſtatus legis ſcriptæ uſque ad Chriſtum. Quartus denique ſtatus legis Evangelicæ a Chriſti morte uſque ad conſummationem ſeculi duraturus. Num in ſingulis hiſce ſtatibus & aliqua extiterint, & neceſſaria fuerint Sacramenta, modo videndum eſt, & exponendum.

II. In ſtatu innocentiæ nonniſi temere dici poteſt, aliqua fuiſſe inſtituta, & data Adamo Sacramenta. Nam de rebus ex divina voluntate, & arbitrio (cujuſmodi eſt Sacramentorum inſtitutio) pendentibus, citra gratuitam, & peculiarem revelationem, ſolum ex ſcriptura, & Patrum traditione aliquid noſſe poſſumus, & prudenter affimare. Porro nec ex Scriptura, nec ex Patrum traditione aliquid educere poſſumus circa Sacramentorum pro ſtatu innocentiæ inſtitutionem: eſſet proinde minus prudentis, & cordati viri aliquid de hoc affirmare. Immo, ſi locus datur conjectationi, potius

dicendum, nulla pro eo ſtatu inſtituta Sacramenta, quæ, ut ſuperiori capite diximus, eſſe debent ſigna communia, atque ad diuturnum, ſtabilemque uſum ordinata: quod certe locum habere non poterat in ſtatu innocentiæ, ubi & duo ſolum erant, Adam & Eva, & ſtatus ille mox erat abrumpendus, ut revera ceſſavit per illorum inobedientiam. Fruſtra igitur data fuiſſent Sacramenta, nullo uſui futura. At longe certius eſt, in eo ſtatu non fuiſſe ullo modo neceſſaria, nec ea neceſſitate, quæ abſoluta dicitur, nec alia minore, congruentiæ videlicet, & perfectionis. Ita docet Sanctus Thomas hic a. 2. q. 61. ſcribens: „ In ſtatu innocentiæ ante peccatum Sacramenta neceſſaria non fuere. Cujus ratio accipi poteſt ex rectitudine ſtatus illius, in quo ſuperiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis: ſicut enim mens ſuberat Deo; ita menti ſuberant inferiores animæ vires, & ipſi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem eſſet, ſi anima perficeretur, vel quantum ad ſcientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale, quod fit in Sacramentis. Et ideo in ſtatu innocentiæ homo Sacramentis non indigebat, non ſolum in quantum Sacramenta ordinantur ad remedium peccati; ſed etiam in quantum ipſa ordinantur ad animæ perfectionem ". Nec obſtat, quod homo & pro illo ſtatu, gratia indigeret. Nam, ut explicat S. Th. in reſp. ad 1. „ hanc gratiam eo in ſtatu non conſequi oportebat per aliqua ſenſibilia ſigna, ſed ſpiritualiter, & inviſibiliter ".

III. In ſtatu legis naturæ, quæ non ſolum uſque ad Abraham, ſed & ad Moyſen extendimus, credibile omnino eſt, apud veræ Religionis cultores aliqua extitiſſe ſenſibilia ſigna. Sacramentis analoga, quibus ſuam in Chriſtum venturum fidem proteſtarentur. In Tract. de Virt. Theol. Diſp. 1. de Fide cap. 3. §. 3. late probavimus, ſemper neceſſariam fuiſſe, & quidem neceſſitate medii, ad ſalutem fidem Incarnationis Chriſti, vel implicitam, vel explicitam. Hac igitur præſuppoſita veritate ſic noſtram aſſertionem probamus. Vera Religio ſine aliqua ſaltem ſubobſcura, & implicita in Chriſtum venturum fide non ſtetit; ſed neque hæc fides carere poterat aliquibus extraneis ſignis ad ipſam exprimendam accommodatis: ſunt igitur hujuſmodi ſigna admittenda. Quod autem præfatis ſignis carere non poſſet, hæc ſuadent argumenta: 1. naturalis hominum conditio, qui in aliquo cœtu convenire, & condonari non poſſunt, niſi per exteriora aliqua, & ſenſibilia ſigna, cum interiores animi ſenſus, & affectus aliis innoteſcere non poſſint. Hinc nihil magis ex hominum ingenio, & conſuetudine, quam internos ſenſus ſignis exterioribus manifeſtare. 2. Idem colligitur ex ejuſdem fidei objecto, quod erat Deus Dei filius manifeſtandus in carne, & ſenſibilibus modis, corporeaque paſſione homines redempturus. 3. Ex Religionis inſtinctu, & obligatione, quæ cum ſit de Deo colendo, nedum mente, ſed & corpore, profecto hic cultus exerceri non poteſt ſine ſignorum ſenſibilium uſurpatione. 4. Ex ipſa indole ſocietatis, atque communionis illorum, in quibus prædicta fides vigebat; nam, ut obſervat Sanctus Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum, *in nullum nomen Religionis coadunari poſſunt homines, niſi in aliquo ſignaculorum, ſeu Sacramentorum viſibili conſortio colligantur*. Fuiſſe igitur & in eo ſtatu ad fidem Chriſti venturi proteſtandam exteriora aliqua ſymbola, & Sacramenta, credendum eſt.

IV. Sed quod magis eamdem confirmat veritatem eſt talium ſignorum admodum probabilis neceſſitas ad parvulos ab originali peccato expiandos. Quandoquidem quis perſpecta Dei miſericordia, & ſincera omnes homines ſalvandi voluntate, credere poterit, parvulos illius temporis, & ſtatus omni prorſus deſtitutos remedio, quo ab originali peccato liberarentur? Et revera SS. Patribus abſurdum viſum eſt, ejus temporis infantes expiatione caruiſſe. Porro hoc remedium non niſi in fide Chriſti venturi reponendum eſſe patet ex iis, quæ l. l. de Fide diximus. At quomodo ex hac fide hocce beneficium conſequi poſſent, diſſentiunt Theologi. Nonnulli enim putant, parentum fidem in Chriſtum (ipſi enim parvuli talis fidei concipiendæ incapaces ſunt) vel ſolo corde retentam ſatisfeciſſe ad tantum parvulis beneficium impetrandum. At alii longe melius, & probabilius, non niſi aliquo externo ſigno patefactam, & eis applicitam profuiſſe arbitrantur. Ita ſentiunt SS. Auguſtinus, & Thomas. Ille ſiquidem lib. 3. cont. Julian. cap. 11. ſic ſcribit: *Nec ideo credendum eſt, ante circumciſionem famulos Dei, quandoquidem ipſis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eos opitulatos fuiſſe parvulis ſuis, quamvis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa latere voluerit ſacra ſcriptura: nam & ſacrificia illorum legimus, quibus utique ſanguis ille figurabatur, qui ſolus tollit peccata mundi.* Alter vero in iv. Diſt. 1. q. 1. a. 2. inquit: *Dicendum eſt, quod ante Legem ſcriptam erant quædam Sacramenta neceſſitatis, ſicut illud fidei Sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem peccati originalis.* Et in Diſp. 4. de Malo a. 4. ad 12. repetit: *Fides antiquorum cum aliqua proteſtatione fidei valebat parvulis ad ſalutem*. Hanc veritatem confirmant & valida argumenta. Nam ſi in lege ſcripta, & Evangelica hominibus externi ritus, & cæremoniæ ad parvulorum expiationem ex divina inſtitutione ſunt neceſſariæ, profecto temere, & ex libito, tempore legis naturæ ab hac neceſſitate eximuntur, & humanorum ſtatuum, ac remediorum conſtanter a Dei providentia ſervata invertitur analogia. Præterea abſurdiſſimum apparet, parvulorum ab originali labe emundationem multo faciliorem fuiſſe in ea ætate, quæ longius a Chriſti redemptione diſtabat: quod tamen neceſſe eſt dicere, ſi interna parentum fides ad eam præſtandam ſuffeciſſe credatur. Immo nedum natos pueros, ſed etiam in utero pereuntes ea ratione ſalvari potuiſſe, conſequens foret; quod nec in gratiæ Evangelicæ plenitudine conceſſum eſt: neque enim aliud impedit illorum ſanctificationem, quam quia externa Sacramenta ad fœtus in materno utero concluſos pertinere nequeunt; cum tamen nihil vetet internam fidem ad eos ibi latitantes extendi. Denique fides parentum, niſi aliquo modo applicaretur, & veluti transferretur in parvulos, quo pacto eis ad ſalutem adjumento eſſe poſſet, nequaquam percipitur: neque enim proderat ob credentis meritum, & ſanctitatem; nam alioqui ſoli filii juſtorum hocce beneficium con-

conſecuti fuiſſent: & potius credendum eſt, etiam caritate deſtitutam eumdem habuiſſe effectum, ut docet Sanctus Thomas l. q. de malo. Sed quia venturi Redemptoris paſſionem, & virtutem expiando infanti admovebat; quæ applicatio, & conjunctio, ut fieret modo hominibus conſentaneo, & uſitato, alicujus externi ſigni interventum poſtulabat. Eſt igitur admittendum, tanquam neceſſarium, aliquod Sacramentum etiam in lege naturæ.

V. In Lege ſcripta plura extiterunt divinitus inſtituta Sacramenta. Non deſunt plures Theologi, qui Sacramenti prærogativam ſoli deferunt Circumciſioni; & alii, licet pauciores, eam & iſti denegant. Verum noſtra propoſitio certam continet, & communem Theologorum doctrinam. Hanc ſua firmant auctoritate Concilia Florentinum, & Tridentinum, quæ inter Sacramenta Moſaica, & Chriſtiana plura aſſignant diſcrimina, illud quidem in Decreto pro Armenorum inſtructione; iſtud vero ſeſſ. 7. can. 2. Accedunt SS. Patres, & præſertim Sanctus Auguſtinus multis in locis, & maxime lib. 19. contra Fauſtum cap. 13. & de vera Religione cap. 17. de Doctrina Chriſtiana cap. 9. & Epiſtola 118. cui adjungendi & Auctor Libri de Cæleſti Hierarchia, & Euſebius Emiſſenus homil. de Transf. Ratio etiam ſuadet, quia multi in ea lege ritus, & cæremoniæ ſtabili, ac firma inſtitutione præſcriptæ reperiuntur, quæ & ex una parte legalem, ac externam ad minus ſanctitatem conferebant, & ex alia perfectam, ac intrinſecam, quæ per Chriſtum danda erat, præfigurabant: unde & Apoſtolus dicit: *Omnia in figura contingebant illis*. Hi autem ritus, & cæremoniæ in libris Exodi, & Levitici clare exponuntur, quæ profecto Sacramenti rationem habebant: erant enim a Deo inſtituta, per ſigna ſenſibilia perficiebantur, & gratiam quidem præfigurabant, licet non conferebant; propterea noſtris virtute, & efficacitate concedebant.

VI. Hæc Legis ſcriptæ Sacramenta ſolis Judæis neceſſaria erant, & quidem potius præcepti, quam medii neceſſitate, & ſolum uſque ad Chriſti mortem. Et quidem pro ſolis Judæis neceſſitatem evincunt ipſa Lex Moſaica, ejuſque cæremoniæ, quæ pro ſola Judæorum gente, & Proſelytis, qui ſponte ei populo ſe vellent adjungi, & ad ejus ſacra tranſire, fuerunt a Domino inſtitutæ. Neceſſitatem vero præcepti indicant graviſſimæ pœnæ tranſgreſſoribus indictæ, cujuſmodi eſt illa circumciſionem omittentibus, quod *delendi erant de populo*, ideſt, ut plurimi interpretantur, morte puniendi. At medii neceſſitatem excludere videtur ipſa Sacramentorum indoles, & natura, quippe quæ non ad dandam vi ſua propria, & ratione operis externi, ſed ad ſignificandam dumtaxat gratiam inſerviebant: unde poterant adulti, immo & debebant per fidem in Chriſtum venturum, & aliarum virtutum actibus ſe ad juſtificationem, adeoque ad ſalutem diſponere. Perpetua autem eſſe non poterant: nam cum umbræ eſſent, & figuræ, ceſſare debebant adveniente luce veritatis; & completo Redemptionis opere, ejus prænuntiæ figuræ, & typi inutiles evaſere. Quamobrem Chriſtus expanſis in cruce manibus exclamavit: *Conſummatum eſt*. Ac tum poſtea *velum Templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum*.

VII. In Lege Evangelica plura ſunt inſtituta Sacramenta omnibus aliis præſtantiora, quippe quæ perfectam illam ſanctitatem, quæ per inhærentem Chriſti gratiam habetur, nedum præfigurant, & ſignificant, ſed etiam digne ſumentibus abunde conferunt: ſunt autem omnia, licet non omnibus aliquo modo neceſſaria. In hac catholica veritate probanda, & exponenda non eſt, cur diutius immoremur; cum jam & plura dixerimus, & totus tractatus in eam enucleandam incumbat; & de ſingulis agendo virtutem, efficacitatem, neceſſitatem exponemus.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Sacramenta antiqua nonniſi analoga ſunt noſtris Sacramentis*.
II. *In ſtatu naturæ credibile eſt aliqua fuiſſe Sacramenta*.
III. *Sacramenta Veteris Legis ad quatuor tantum revocari poſſunt*.
IV. *Judæorum Sacramenta viva fuere, & ſancta uſque ad mortem Chriſti*.
V. *Sacramenta Novæ Legis alia iterabilia, alia non iterabilia*.

Conſectarium Primum.

I. Sacramenta tum ſtatus naturæ, tum ſtatus legis Moſaicæ nonniſi per quandam analogiam, & proportionem cum Sacramentis novæ legis conveniunt. Ita aperte docet Sanctus Thomas in IV. diſt. 1. q. 1. a. 1. quæſtiuncula 3. ad 5. dicens: *Sacramentum non dividitur per Sacramentum veteris, & novæ Legis, ſicut genus per ſpecies, ſed ſicut analogum per ſuas partes*. Et deinde ſic rationem reddit ſubdens: *Sacramentum enim ſimpliciter eſt, quod cauſat ſanctitatem* (videlicet internam, & ſimpliciter talem), *quod autem ſignat tantum, non eſt Sacramentum, niſi ſecundum quid*. Et revera, cum perfecti, & veri Sacramenti indoles expoſcat, ut non ſolum ſanctitatem ſignificet, ſed & conferat; profecto hoc nonniſi Evangelicis Sacramentis convenit, aliis vero nonniſi diminute admodum, & imperfecte. Unde & *egena elementa* vocantur ab Apoſtolo, *quæ perfectum facere non poſſunt credentem*; quippe quæ non niſi legalem ſanctitatem conferebant, & externam, & veram internam nonniſi adumbrabant, & ſignificabant. Non ſunt igitur niſi per quandam analogiam, & proportionem cum Evangelicis Sacramentis conferenda.

Conſectarium Secundum.

II. In ſtatu naturæ credibile eſt aliqua fuiſſe Sacramenta præter illud ad puerorum ab originali noxa emundationem adhibitum. Et primo quidem illi ſigno pro pueris adhibito nec nomen, nec naturam Sacramenti deeſſe, docet Sanctus Auguſtinus, qui lib. 5. contra Julianum, illud *Sacramentum* non eſt veritus appellare, ut ex ejus verbis cap. præced. num. 4. relatis apparet. Ipſa etiam

ratio

ratio oſtendit, cum illi ſigno nihil defuerit ad Sacramenti ſaltem imperfecti dignitatem obtinendam. Non defuit ſigni ſenſibilis ratio, non gratiæ ſanctificantis ſignificatio: qui enim per illud ſe a Chriſto venturo ſalutem expectare profitebantur, profecto ab eodem gratiam, & veram animæ ſanctitatem humano generi promerendam, & comparandam fore ſignificabant. Non deerat præſentis alicujus ſanctitatis efficientia, non quidem peccati originalis emundatio, quæ fidei non ſigno externo debebatur, cujus poſitio ſolum per accidens, & ob pueri incapacitatem requirebatur; ſed quia per eam proteſtationem exterius applicitam infantes Dei veri cultoribus aggregabantur, & in ejus temporis qualemcumque Eccleſiam veluti legitima membra transferebantur; quod ipſis quandam externam, & veluti legalem ſanctitatem adſciſcebat. At deficiebat; quis dicet, divina inſtitutio, quippe quia nulla Dei poſitiva lege, ſed ſolo interiori inſtinctu ad ea adhibenda ſigna homines inducebantur. Verum reponimus, illum internum inſtinctum vocem fuiſſe Dei docentis, & inſpirantis, qui proinde ſuam inſpiratis ſignis auctoritatem adjungebat. Quod autem & alia non defuerint pro eo ſtatu Sacramenta, licet plurimi negent, credibile tamen reddit auctoritas Sancti Thomæ, qui & pro perſonalibus peccatis delendis etiam in eo ſtatu aliquod non defuiſſe Sacramentum affirmat in IV. Sentent. diſt. 1. a. 2. quæſtiuncula 3. ad 2. ſcribens: *Ante legem ſcriptam erant quædam Sacramenta neceſſitatis, ſicut illud fidei Sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem peccati originalis; & ſimiliter Pœnitentiæ, quæ ordinabatur ad deletionem actualis*. Et ipſa ratio ſuadet. Nam pœnitentia etiam exterior, & per ſenſibilia doloris ſigna, & per opera ad ſatisfaciendum Deo, eumque placandum aſſumpta ſe manifeſtans, ipſa lege naturali præcipitur, ut docet D. Thom. hic quæſt. 84. a. 7. ad 1. ſcribens: *De jure naturali eſt, quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit . . . & quod etiam aliqua ſigna doloris oſtendat, ſicut & Ninivitæ fecerunt*. Valebat vero in fide Chriſti venturi, & perfecta cordis contritione adjecta, ſin ad gratiam impetrandam, ex qua potius fluebat, ſaltem ad pœnæ temporalis imminutionem: quod ipſum aliquod expiationis, & ſanctificationis modum involvit. Immo nec in lege naturæ Sacramenta defuiſſe ad juvamen proficiendi in gratia, nonnulli, & non inepte colligunt ex ſacrificio Melchiſedechi, quod ſimul & Sacramentum fuiſſe credunt. Et certe Sacramentum illud vocat S. Thom. hic q. 61. a. 3. ad 3. dicens: *Sacramentum Melchiſedech, quod fuit ante legem, magis aſſimilatur Sacramento novæ legis, inquantum ſcilicet obtulit panem, & vinum*. Et plurimi SS. Patres in illo eximiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ noſtræ figuram, atque imaginem agnoſcunt, ut Clemens Alex. in IV. Stromatum, S. Cyprian. epiſt. 2. lib. 4. S. Ambroſ. de Sacram. cap. 3. S. Hieron. in cap. 25. Matth. S. Auguſt. in Pſalm. 109. & alii. Denique ſi certo ex Sacra Scriptura conſtat, in legis naturæ ſtatu vera fuiſſe Sacrificia ad Deum colendum inſtituta, conſentaneum videtur, & valde credibile, etiam Sacramenta extitiſſe ad homines ſanctificandos; cum utriuſque generis ritus poſt hominis lapſum ad fidem, pietatem, & Religionem fovendam ſemper neceſſarii agniti fuerunt.

Conſectarium Tertium.

III. Sacramenta veteris Legis ad quatuor tantum revocari poſſunt, videlicet ad circumciſionem, ad immolationem Agni Paſchalis, ad Sacerdotum ordinationem, & ad varias expiationes legalium immunditiarum. Ita S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 5. ſcribens: „ In Sacramentis veteris legis quædam „ pertinebant communiter ad totum populum, „ quædam autem ſpecialiter ad Miniſtros. Et circa utroſque tria erant neceſſaria. Quorum primum eſt inſtitutio in ſtatu colendi Deum: & „ hæc quidem inſtitutio communiter quantum ad „ omnes fiebat per *Circumciſionem*, ſine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium; quantum „ vero ad Sacerdotes, per *Sacerdotum conſecrationem*. Secundo requirebatur uſus eorum, quæ „ pertinent ad divinum cultum: & ſic quantum „ ad populum erat eſus *paſchalis convivii*; & „ quantum ad Sacerdotes oblatio victimarum . . . . „ Tertio requirebatur remotio eorum, per quæ aliqui impediebantur a cultu divino, ſcilicet immunditiarum. Et ſic quantum ad populum erant „ inſtitutæ *quædam purificationes* a quibuſdam exterioribus immunditiis; & Levitis erat inſtituta „ ablutio manuum, & pedum, & raſio pilorum“. Noſtra autem aſſertio ſic per ſuas partes explicatur potius, quam probatur.

Nam certe primum, & præcipuum legis Moſaicæ Sacramentum erat Circumciſio, de quo ſcribit S. Auguſtinus lib. de Anima, & ejus origine: *Circumciſio fuit illius temporis Sacramentum, quod præfigurabat noſtri temporis Baptiſma*. Et licet ante Moyſem invecta fuerit, unde Jo. 7. dicitur: *Circumciſio non eſt ex Moyſe, ſed ex Patribus*; quia tamen a lege Moſaica nacta eſt ſolemniorem confirmationem, & rigidiorem obſervantiam, inter ipſius ſacros ritus principe ſemper loco recenſita invenitur. Continebat autem fidei in Chriſtum ex Abrahæ ſemine naſciturum ſenſibilem proteſtationem, quoniam ea erat Synagogæ fides: quamobrem eam appellare non dubitavit Apoſtolus, *Signaculum juſtitiæ Fidei*.

Alterum Sacramentum erat Agni Paſchalis eſus, noſtro Euchariſtiæ Sacramento reſpondens, de quo edere non licebat niſi circumciſis, & purificatis, & repræſentabat Paſcha noſtrum, Chriſtum ſcilicet immolatum. Audiatur D. Thom. 1. q. 102. a. 5. ad 2. ſcribens: „ Per hujuſmodi Convivii paſchalis celebrationem profitebantur, ſe ad illum „ populum pertinere, quem Deus ſibi aſſumpſerat „ ex Ægypto . . . . præceptum eſt eis, ut ſanguine „ Agni linirent ſuperliminaria domorum, quaſi „ proteſtantes, ſe recedere a ritibus Ægyptiorum, „ qui Arietem colebant . . . . Figuralis autem ratio . . . . quia per immolationem Agni Paſchalis ſignificabatur immolatio Chriſti . . . . Sanguis „ vero Agni liberans ab exterminatore . . . ſignificat fidem paſſionis Chriſti in corde, & ore fidelium, per quam liberantur a peccato & morte . . . . Comedebantur autem carnes illæ ad ſignificandum eſum corporis Chriſti in Sacramento“.

Tertium Sacramentum eſt Leviticorum, ſeu Aaronicorum Sacerdotum conſecratio, quæ novæ legis Sacram adumbrat ordinationem. Quamobrem ſcri-

ſcribit D. Thom. ad 3. „ Conſecrationi autem „ Pontificis, & Sacerdotum reſpondet Sacramentum Ordinis “. Et in reſp. ad 8. ſubdit: „ Sicut populus conſtituebatur ad cultum Dei per „ circumciſionem, ita Miniſter per aliquam ſpecialem purificationem, vel conſecrationem. Unde & ſeparari ab aliis præcipiuntur, quaſi ſpecialiter ad miniſterium cultus divini præ aliis „ deputati. Et totum, quod circa eos fiebat in „ eorum conſecratione, vel inſtitutioue, ad hoc „ pertinebat, ut oſtenderetur, eos habere quandam prærogativam puritatis, virtutis, & dignitatis .... ſpecialiter autem Pontifex oleo unctionis in capite ungebatur, ut deſignaretur, quod „ ab ipſo diffundebatur poteſtas conſecrandi ad alios .... minorum vero Sacerdotum ſolæ manus „ conſecrabantur; quæ erant applicandæ ad Sacrificia “.

Quartum Sacramentum ex pluribus conſtabat expiationibus, quæ in plura diſtributæ genera, multa quoque ejus ſtatus Sacramenta complectebantur, quæ omnia late, erudite, ſapienterque exponit D. Tho. in reſp. ad 4. & oſtendit omnes fere illas expiationes pœnitentiæ efficaciam prænuntiaſſe: non enim incongruum eſt, unius rei plures typos, & imagines præcedere. Denique animadvertit D. A. in reſp. ad 3. „ Sacramento noſtro Confirmationis, „ quod eſt Sacramentum plenitudinis gratiæ, non „ potuiſſe reſpondere in veteri lege aliquod Sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis; eo quod *neminem ad perfectum adduxit lex* “. Similiter autem nec Sacramento Extremæ Unctionis, quod eſt quædam immediata præparatio ad introitum in gloriam, cujus aditus nondum patebat in veteri lege, pretio non ſoluto. „ Matrimonium autem fuiſſe quidem in „ veteri lege, prout erat officium naturæ, non autem prout eſt Sacramentum conjunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, quæ nondum erat facta “.

Conſectarium Quartum.

IV. Præfata Judæorum Sacramenta viventia fuere, & ſancta uſque ad Chriſti mortem: mox a Chriſti morte uſque ad pleniorem Evangelii promulgationem mortua quidem reputata, ſed non ſtatim mortifera, conceſſum erat enim Judæis ad Chriſti fidem converſis ipſa interim retinere, dummodo nec neceſſaria ad ſalutem reputarent, nec in iis ſalutem, & juſtitiam quærerent. Hinc & Apoſtolus Paulus Act. 16. v. 28. ea legitur celebraſſe, ne ſe contemptorem, quemadmodum a Judæis accuſabatur, paternorum rituum oſtenderet; & hujuſmodi œconomia cum Neophytis ex Judaiſmo, ad honorificam Synagogæ tumulationem, aliquando ſervata fuit, donec fide Chriſti jam per totum orbem dilatata, cœperunt eſſe mortifera, ideſt non amplius ſine peccato uſurpanda. Legantur mutuæ D. Hieronymi, & Auguſtini epiſtolæ, in quibus de licita poſt mortem Chriſti legalium obſervantia acriter diſputarunt.

Conſectarium Quintum.

V. Sacramenta Novæ Legis, præter ordinem naturæ dignitatis, & neceſſitatis, in duas partiuntur claſſes, nimirum alia, quæ nonniſi ſemel ſumi poſſunt, nec unquam iterari, quia indelebilem imprimunt in anima characterem; & alia, quæ pluries repeti poſſunt, quippe quæ nullum in anima ſignum relinquunt. Priora ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. Poſteriora reliqua quatuor Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium, quando iterari poſſint, de ſingulis Sacramentis agendo, diſputabimus. Sicut; quid ſit character a Sacramentis impreſſus, inferius in ſequenti Diſſertatione explicabimus. De diviſione Sacramentorum, in Sacramenta vivorum & mortuorum dicemus cap. 5. n. 7. & 8. Diſſert. ſeq.

CAPUT QUINTUM.

De novæ Legis Sacramentorum Auctore.

DOCTRINA.

I. *Chriſtus omnia Sacramenta immediate inſtituit.*
II. *Chriſtus, prout Deus, & prout homo eſt, Sacramenta inſtituit.*
III. *Quorumdam Sacramentorum formas, & materias Chriſtus quoad ſpeciem determinavit.*
IV. *Nec non Confirmationis, Ordinis, & Pœnitentiæ ritus eſſentiales.*
V. *Quomodo potuerit Chriſtus poteſtatem inſtituendi Sacramenta aliis communicare.*

I. CHriſtus Dominus Salvator noſter omnia, & ſingula Sacramenta immediate inſtituit. Adverſantur huic noſtræ poſitioni nonnulli antiquiores Scholaſtici, qui aliquorum Sacramentorum vel Apoſtolis, vel Eccleſiæ immediatam tribuunt inſtitutionem. Nam Alexander Alenſis, & D. Bonaventura Confirmationis inſtitutionem longe poſt Chriſti tempora, & ſolo Meldenſis Concilii tempore (ut putat Alenſis) circa dimidium ſeculi noni celebrati collocant. Hugo vero a S. Victore, Magiſter Sententiarum, & D. Bonaventura Extremam Unctionem a S. Jacobo Apoſtolo fuiſſe inſtitutam, arbitrati ſunt. Pœnitentiam quoque, ſaltem quoad ritum confeſſionis oralis, ad recentiorem ætatem revocandam ſenſere prælaudati Alenſis, & Sanctus Bonaventura, quibus & Altiſiodorenſis addendus. Verum aſſertio noſtra & auctoritate fulcitur, & ratione evincitur. Auctoritate & quidem maxima Concilii Tridentini, qui ſeſſ. 7. can. 1. de Sacramentis ſic definivit: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia a Chriſto Domino inſtituta, anathema ſit*. Nec negotium faceſſat, in illis verbis non fuiſſe definitam *immediatam* inſtitutionem. Nam verbum immediate ſubintelligendum evincunt hæc rationum momenta. Primo in communi loquendi more ille non dicitur aliquid inſtituere, qui per ſeipſum non inſtituit, ſed ſolum alteri inſtituendi tribuit facultatem. Alioquin omnia humana jura, & leges dici poſſent a Deo inſtitutæ, cum eas ferendi & promulgandi temporales Reges, & Principes a Deo acceperint poteſtatem, juxta illud in libro Sapientiæ effatum, *per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*. Et tamen quis dixerit, leges de dominio, diviſione rerum, poſſeſſione, præſcriptione, contractibus eſſe a Deo inſtitutas? 2. Quia Concilium eo canone Lu-

ne Lutheranorum, & Calviniſtarum errorem profligare intendit, aſſerentium duo tantum Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet & Euchariſtiam, ceu a Chriſto inſtituta, eſſe admittenda, aliis rejectis, tanquam ab humana ſolum auctoritate invectis. Cui falſæ, erroneæque doctrinæ veram oppoſuit Concilium ſententiam, Chriſtum ſcilicet, non homines, omnia & ſingula Sacramenta inſtituiſſe. Quod ſi non intelligatur de immediata inſtitutione, non omnem nanciſcitur Canon efficacitatem ad oppoſitum retundendum errorem. 3. De ipſa Extrema Unctione, quam præ aliis Sacramentis non a Chriſto, ſed ab Apoſtolis inſtitutam plurimi, & quidem celeberrimi Theologi autumabant, loquens S. Synodus, Apoſtolum quidem ejus promulgatorem enunciat, at ejus inſtitutionem uni Chriſto tribuit, definiens ſeſſ. 14. can. 1. *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non eſſe vere, & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, & a B. Jacobo promulgatum, ſed ritum acceptum a Patribus, vel humanum figmentum, anathema ſit*. 4. De ſingulis Sacramentis agendo immediatam eorum inſtitutionem a Chriſto Domino factam peculiaribus, & aptis argumentis oſtendemus. Sed longe ante Tridentinam Synodum hanc doctrinam tanquam a Patribus hauſtam, & univerſim in Eccleſia adprobatam, docuerat S. Thom. pluribus in locis, nimirum IV. ſent. in Scripto ad Annibaldum, & denique in Summa 3. p. q. 64. a. 2. & 4. Sic enim ſcribit art. 2. „ Sacramenta inſtrumentaliter operantur ad ſpirituales effectus. Inſtrumentum autem habet virtutem a principali agente. Agens autem reſpectu Sacramenti eſt duplex, ſcilicet inſtituens Sacramentum, & utens Sacramento inſtituto.... Virtus autem Sacramenti non poteſt eſſe ab eo, qui utitur Sacramento; quia non operatur niſi per modum miniſterii. Unde relinquitur, quod virtus Sacramenti ſit ab eo, qui inſtituit Sacramentum. Cum igitur virtus Sacramenti ſit a ſolo Deo, conſequens eſt, quod ſolus Deus eſt Sacramentorum inſtitutor “. Hauſit, ut dixi, S. D. hanc doctrinam a Patribus, ita enim revera docuerunt S. Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 4. inquiens: *Auctor Sacramentorum quis eſt, niſi Jeſus Chriſtus? De cælo iſta Sacramenta venerunt*. S. Auguſtinus tract. 120. in Jo. ſcribens: *Vigilanti verbo Evangeliſta uſus eſt, ut non diceret, latus ejus percuſſit, ſed aperuit, ut illic quodammodo oſtium panderetur, unde Eccleſiæ Sacramenta manarunt, ſine quibus ad vitam, quæ vere vita eſt, non intratur*. Idem docuit & Auctor Libri de Cœleſti Hierarch. cap. 1. nu. 4. dicens de Chriſto: *ipſe Sacramentorum Auctor, & Princeps*, quod & repetit de Eccleſ. Hier. S. Leo Magnus ſerm. 1. de Aſſumpt. Domini, loquens de quadraginta dierum ſpatio, quo Chriſtus poſt ſuam Reſurrectionem eſt inter Apoſtolos verſatus, ſcribit: *Et hi dies, qui inter Reſurrectionem Domini, Aſcenſionemque fluxerunt, non otioſo tranſiere decurſu, ſed magna in his confirmata Sacramenta, magna ſunt revelata myſteria*. Quibus verbis declarat, eorum etiam Sacramentorum ad Chriſtum eſſe referendam inſtitutionem, quæ in Scriptura ab ipſo inſtituta fuiſſe non adeo traditur diſertiſſime. Et revera cum omnium, & ſingulorum Sacramentorum in Scripturis Apoſtolicis mentio occurrat, manifeſtum ſit nullum poſt Apoſtolorum ætatem fuiſſe inſtitutum Sacramentum. Nam, ut omittam de Sacramentis Baptiſmi, & Euchariſtiæ teſtimonia, Confirmationis habetur ſermo Act. 4. Ordinis Act. 6. Matrimonii ad Epheſ. 5. Extremæ Unctionis Jacob. epiſt. cap. 5. v. 14. Immo nec ab ipſis Apoſtolis inſtituta fuiſſe ipſemet teſtatur aliorum Apoſtolorm nomine D. Paulus 1. ad Corinth. 4. dicens: *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*. Et cap. 3. *Quid eſt Apollo? Quid vero Paulus? Miniſtri ejus, cui crediſtis*. Miniſtri ergo, & diſpenſatores Sacramentorum, non illorum Auctores ſe agnoſcebant, & prædicabant Apoſtoli. Hæc omnia noſtram doctrinam adeo probant luculenter, ut nemo videatur poſſe ab ipſa recedere; & contraria ſententia erroris ſaltem, ac temeritatis cenſura digna reputetur.

II. Chriſtus, prout Deus, & prout homo, Sacramenta novæ legis inſtituit, ſed aliter, & aliter. Nam, ut Deus, in illis inſtituendis primariam, ſupremam, & independentem adhibuit auctoritatem; ut homo, ſeu melius ut talis homo, principale exercuit miniſterium ſecundum ampliſſimam illam facultatem delegatam, quam D. Thom. aliique Theologi *excellentiæ* poteſtatem appellant, quæ ſibi, ut capiti Eccleſiæ, competebat. Et revera ſuprema illa originalis, & independens auctoritas in Sacramentis inſtituendis, quæ ſua efficacitate gratiam producerent ſanctificantem ex opere operato, ſoli Deo convenire poteſt, qui ſolus ſanctificationis eſt cauſa principalis. Cum vero, ut docet S. Thom. cujus verba mox dabimus, ad poteſtatem excellentiæ, ſive miniſterii principalis, quæ Chriſto ut homini conveniebat, pertineret, quod ipſe daret virtutem Sacramentis (ſcilicet merito, & virtute ſuæ paſſionis, quæ operatur in illis) hinc ſequitur, quod eadem potuerit inſtituere, quod & inſinuatur a Tridentino ſeſſ. 13. cap. 1. dicente de Euchariſtia: *Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit*. Et ſeſſ. 14. cap. 1. de Pœnitentia hæc habet: *Dominus noſter Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit, cum a mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos* &c. Certum ſiquidem eſt, ſanctam Synodum in utroque loco de Chriſto ut homine eſſe locutam. Ex qua ratione conſtat, Chriſtum qua hominem munere ſibi conceſſo fundandi Eccleſiam, ejuſque utilitatibus proſpiciendi, deſignaſſe, & elegiſſe materias, atque cæremonias ſenſibiles, quarum uſu, & applicatione homines ſanctificarentur, recipiendo infallibiliter ex opere operato eam gratiam, quam ille ſua paſſione jam promeritus eſſet; & ſic etiam ut homo Sacramentorum inſtitutor merito diceretur. Audiatur D. Thom. hic qu. 64. a. 3. ſic egregie docens: „ Interiorem Sacramentorum effectum operatur Chriſtus, & ſecundum quod eſt Deus, & ſecundum quod eſt homo: aliter tamen, & aliter. Nam ſecundum quod eſt Deus, operatur in Sacramentis per auctoritatem: ſecundum autem quod eſt homo, operatur ad interiores effectus Sacramentorum meritorie, & efficaciter, ſed inſtrumentaliter... nam paſſio Chriſti, quæ competit ei ſecundum humanam naturam, cauſa eſt noſtræ juſtificationis, & meritorie, & effective, non quidem per modum principalis agentis, ſive per aucto-

„ auctoritatem, ſed per modum inſtrumenti, in- „ quantum humanitas eſt inſtrumentum divinitatis „ ejus... ſed tamen quia eſt inſtrumentum conjun- „ ctum divinitati in perſona, habet quandam prin- „ cipalitatem, & cauſalitatem reſpectu inſtrumen- „ torum extrinſecorum, qui ſunt Miniſtri Eccleſiæ „ ... Et ideo ſicut Chriſtus, inquantum Deus, ha- „ bet poteſtatem auctoritatis in Sacramentis: ita „ inquantum homo, habet poteſtatem miniſterii „ principalis, ſive poteſtatem excellentiæ". Explicat ſubinde S. D. in quo hæc excellentiæ poteſtas conſiſtat: Scilicet 1. quod meritum, & virtus paſſionis ejus operatur in Sacramentis. 2. Quod in ejus nomine Sacramenta ſanctificantur. 3. Quod ipſe, qui dedit virtutem Sacramentis, potuerit inſtituere Sacramenta. 4. Denique quod ipſe potuerit Sacramentorum effectum etiam ſine exteriori Sacramento conferre.

III. Quorumdam Sacramentorum materias, & formas Chriſtus Dominus quoad ſpeciem determinavit. Hæc doctrina certa eſt, & explorata apud omnes Theologos, cum certo conſtet ipſum determinaſſe aquam naturalem pro Sacramento Baptiſmi, & panem triticeum & vinum de vite pro Euchariſtiæ Sacramenti materia; nec non verba pro forma deſignaſſe, quæ quoad ſenſum, & ſignificationem etiam literaliter principaliter intentam omnino conveniunt cum iis, quibus Eccleſia utitur in Sacramentorum confectione, & ſemper adhibuit, ut clarius conſtabit ex iis, quæ de ſingulis Sacramentis agendo dicemus.

IV. Confirmationis, Ordinis, & Pœnitentiæ ritus eſſentiales in ſpecie immediate Chriſtus Dominus ordinavit, præſertim quoad materias remotas, & proximas. Licet probabilis ſit oppoſita plurium Theologorum doctrina, affirmantium præfatorum trium Sacramentorum materias, & formas, & præſertim Pœnitentiæ formam fuiſſe a Chriſto ſolum in genere determinatas, non vero in ſpecie; tamen quam poſui aſſertionem, præſertim iis limitibus circumſcriptam, probabiliorem puto, quam ſuſtinet & major pars Theologorum, & omnes communiter Thomiſtæ. Et primo quidem ſermo eſt de materia proxima. Nam de formis, quæ in verbis conſiſtunt, facilius concedendum videtur, aliquam facultatem ultimæ determinationis fuiſſe Eccleſiæ auctoritati relictam; quandoquidem non ita preſſe univerſali Chriſti lege, & inſtitutione poterant decerni, & deliberari formæ quemadmodum res ipſæ; cum verba etiam ad eumdem ingerendum ſenſum aſſumptibilia, & in eadem lingua, & multo magis diverſis plane linguis multifarie, multiſque modis poſſint variari. Hoc igitur præmiſſo, hæc noſtræ doctrinæ veritatem argumenta ſuadent. 1. Superius nu. 1. ex Tridentino Concilio oſtendimus, Chriſtum Dominum immediate omnia, & ſingula Sacramenta inſtituiſſe. At ſi nec materias, nec formas in ſpecie determinavit, ſed determinandas reliquit Eccleſiæ, concipi nequit, quomodo fuerit Sacramentorum immediatus Auctor, qui eſſentialia ad eorum conſtitutionem non determinavit. 2. Eccleſia ipſa fatetur, ſibi non datam poteſtatem conſtituendi, & mutandi ſubſtantialia Sacramentorum, ſed ſolum aliqua circa eorum adminiſtrationem ordinandi. Sic enim definit Trident. Synodus ſeſſ. 21. cap. 2. „ Declarat S. Synodus, hanc poteſtatem in Eccle„ ſia fuiſſe, ut in Sacrmentorum diſpenſatione, „ *ſalva illorum ſubſtantia*, ea ſtatueret, vel mu„ taret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum „ Sacramentorum venerationi pro rerum, tempo„ rum, & locorum varietate magis expedire judi„ caret". Non aliam igitur agnoſcit Eccleſia ſibi datam a Chiſto poteſtatem, niſi circa ea, quæ adventitias cæremonias, & ritus pro auguſtiore, & religioſiore illorum adminiſtratione reſpiciunt; non vero quæ ſubſtantialia tangunt, cujuſmodi ſunt materiæ, & formæ. 3. Cum Eccleſia ſemper eadem fuerit, eademque perſeveratura ſit uſque ad conſummationem ſeculi, & ſemper una, & per totum orbem diffuſa, eadem ſemper conſervare debet Sacramentorum ſigna, quæ ejus unitatem, perpetuitatem, perſeverantiam oſtendant. At quomodo apparebit eadem, ſi ejus Sacramenta ſint mutationi obnoxia, & eorum formæ, & materiæ mutari poſſint? Quomodo oſtendemus, in diverſis nationibus, & gentibus, unam eſſe Eccleſiam, & eandem, quam Chriſtus fundavit, ſi nedum accidentales ritus, ſed & eſſentiales, ac fundamentales cultus divini, cujuſmodi ſunt Sacramenta, non uniformes ſint ubique, ſed plane diverſi? Si quæ igitur factæ ſunt mutationes, has non eſſentiam reſpicere, & formam Sacramentorum, quam Chriſtus a principio inſtituit, dicendum eſt, ſed aliquas acceſſiones eſſe ad majorem effectuum Sacramentorum explicationem, ut ſuo loco fuſius oſtendemus de ſingulorum Sacramentorum materia, & forma differentes.

V. Facultas Sacramenta inſtituendi, quam Chriſtus ut homo habuit, & exercuit, potuit etiam Apoſtolis, & Eccleſiæ communicari, reipſa tamen minime fuit demandata. Adverſantur huic doctrinæ plures Theologi, Scotus, Gabriel, Durandus. Sed ſic clare probatur. Facultas Sacramenta inſtituendi in eo ſita eſt, ut poſſit purus homo ſigna aliqua ſtatuere, & determinare, per quorum uſum ex divina aſſiſtentia, elevatione, & virtute gratia ſanctificans daretur, ut contingit in noſtris Sacramentis. Porro hæc poteſtas delegata perfectionem vel phyſice, vel moraliter infinitam in illo, cui concederetur, non expoſcit, vel indicat: non enim potentia, & efficacitas ſanctificandi in creaturæ dignitatem, & vires refunderetur, ſed in ſolam Dei potentiam, diſpoſitionem, & efficacitatem. Nulla ergo eſt repugnantia in tantæ, & tam ſublimis poteſtatis communicatione. Hanc autem poteſtatem revera non fuiſſe a Chriſto Apoſtolis, vel Eccleſiæ concreditam fatentur, ut vidimus, & Apoſtoli, qui ſe ſolum Miniſtros Sacramentorum, non Auctores deprædicant; & Tridentina Synodus docet, dum ſtatuit, *Nullam Eccleſiæ circa ſubſtantialia Sacramentorum convenire poteſtatem*. Immo & S. Thom. art. 4. aperte docet, ipſam excellentiæ dignitatem, quæ Chriſto ut homini competebat, potuiſſe & puræ creaturæ concedi. Sic enim ſcribit: „ Chriſtus ... poteſtatem habuit ex„ cellentiæ, quæ competit ei, ſecundum quod ho„ mo eſt: & talem poteſtatem potuit Miniſtris com„ municare, dando ſcilicet eis tantam gratiæ ple„ nitudinem, ut eorum meritum operaretur ad „ Sacramentorum effectus, ut ad invocationem „ nominum ipſorum ſanctificarentur Sacramenta, „ & ut ipſi poſſent Sacramenta inſtituere, & ſi„ ne ritu Sacramentorum effectum Sacramento„ rum

„ rum conferre ſolo imperio “. Quam doctrinam hauſerat ex S. Auguſtino tract. 5. in Joan. ſic ſcribente : „ Poterat D. N. J. C. ſi vellet, da„ re poteſtatem alicui ſervo ſuo, ut daret Baptiſ„ mum ſuum, tanquam vice ſua, & transferre a ſe „ baptizandi poteſtatem, & conſtituere in aliquo „ ſervo ſuo, ut tantam vim daret Baptiſmo trans„ lato in ſervum, quantam vim haberet Baptiſ„ mus datus a Domino “. Nulli tamen communicatam hanc poteſtatem uterque S. D. evincit; nam S. Auguſtinus ſubdit : „ Hoc noluit, adeo ut in illo „ ſpes eſſet baptizatorum, a quo ſe baptizatos a„ gnoſcerent: noluit ergo ſervum ponere ſpem in „ ſervo “. Et S. Thom. in reſp. ad 1. „ Chriſtus „ non ex invidia prætermiſit poteſtatem excellentiæ „ Eccleſiæ Miniſtris communicare; ſed propter fi„ delium utilitatem, ne in homine ſpem pone„ rent, & ne eſſent diverſa Sacramenta, ex quibus „ diviſio in Eccleſia oriretur “, & ne, ut ſubdit in reſp. ad 3. „ multa capita in Eccleſia eſſent “. Illud præterea animadvertendum, hanc excellentiæ poteſtatem puræ creaturæ communicatam longe fore inferiorem poteſtate excellentiæ in Chriſto reſidente. Quia poteſtas excellentiæ, quam habuit Chriſtus, ob unionem hypoſtaticam Verbi Divini, conjuncta erat cum infinita dignitate perſonæ, unde pretium, & æſtimabilitas meritorum ejus ad infinitum pondus aſſurgebat, & vim habebat ſatisfaciendi ad æqualitatem, & ex toto rigore juſtitiæ pro totius mundi delictis, & gratiam ſanctificantem quantuncumque impiis, & indignis comparandi : quod certe puræ convenire creaturæ omnino non poteſt.

CAPUT SEXTUM.

De Sacramentorum Miniſtro.

D o c t r i n a.

I. *Soli homines viatores eſſe poſſunt Sacramentorum Miniſtri.*

II. *Non tamen omnes, & ſinguli.*

III. *Miniſtri ſunt veræ cauſæ Sacramentorum, licet non principales.*

IV. *Ad Sacramentorum valorem non requiritur in Miniſtro Fides.*

V. *Nec officit improbitas.*

VI. *Peccant tamen lethaliter improbi Miniſtri Sacramenta conficientes.*

VII. *Curam animarum habentes tenentur Sacramenta miniſtrare.*

VIII. *Et aliquando Regulares, & cæteri Sacerdotes.*

IX. *Non licet illis Sacramenta indignis miniſtrare.*

X. *Nec publicis peccatoribus, ſive occulte, ſive publice petant: occultis autem, ſi publice petant, dare poſſunt.*

XI. *Nec licet Sacramenta ſimulare.*

I. SOli homines, & quidem viatores, eſſe poſſunt Sacramentorum Miniſtri. Huic doctrinæ nonnulli putant adverſari Scotum, qui & Sanctos, & Angelos eſſe poſſe Sacramentorum miniſtros docuerit; ſed fortaſſis immerito: noſtra enim aſſertio eſt de ordinario miniſterio ex Chriſti inſtitutione, & communi providentia præſtituto, dum ille forſitan locutus eſt de miniſterio inuſitato, & præter ordinem. Certe tamen Luthero adverſatur, qui auſus eſt aſſerere, & dæmones in corporibus aſſumptis eſſe poſſe idoneos Sacramentorum Miniſtros. Noſtræ autem doctrinæ veritas ſic oſtenditur. 1. Solis hominibus Sacramentorum confectionem, & adminiſtrationem a Chriſto commiſſam teſtantur Scripturæ. Nam ſolis hominibus dixit Matt. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Euchariſtiæ confectionem, & adminiſtrationem illis ſolis commiſit Lucæ 22. cum dixit, *hoc facite in meam commemorationem*. Pœnitentiæ miniſterium dedit Joan. 20. dicens, *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis*. Et Jacobus Apoſtolus ſolis hominibus loquebatur, cum de Extrema Unctione dicebat: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ*. Et univerſim Apoſtolus ad Epheſ. 4. de ſolis hominibus dicebat: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam vero Prophetas, alios autem Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii*. Præterea præcipui Sacramentorum Miniſtri Sacerdotes ſunt, qui ſolum ex hominibus deliguntur: unde ajebat idem Apoſtolus ad Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum*. Denique, cum Sacramenta ſint pro hominum, non aliorum ſalute inſtituta, a ſolis hominibus, ut debita ſervetur proportio, ſunt conficienda, & miniſtranda. Quod autem homines, & quidem viatores, ſint Sacramentorum Miniſtri, declarat Apoſt. ad Heb. 5. dum dicit, Sacramentorum Miniſtrum eum eſſe oportere, *qui condolere poſſit iis, qui ignorant & errant; quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate*. Quare & D. Jo. Chryſoſt. de Sacerd. lib. 3. ait : „ Iis, qui terram incolunt, atque in ea verſantur, „ commiſſum eſt, ut ea, quæ in cœlis ſunt, diſ„ penſent “.

II. Licet ſoli homines, & quidem viatores, eſſe poſſint ordinarii Sacramentorum Miniſtri, non tamen omnes, & ſinguli. Et primo quidem a Sacramentorum adminiſtratione repelluntur infantes, & amentes, & qui organis ad Sacramentales functiones obeundas ſunt deſtituti, ut muti, & alii: illi quidem, quia cum mente careant, & ratione, nec quid faciant, norunt, nec requiſitam afferre poſſunt intentionem; iſti vero, quia legitimam applicare non valent materiam, & formam. Præterea, ſi Baptiſmum excipias, & ſecundum vulgarem ſententiam etiam Matrimonium, reliqua Sacramenta conficere, & miniſtrare non valent, qui Ordinis characterem non habent, contra perverſam Lutheri doctrinam, qui omnibus baptizatis Sacerdotium, & miniſterium Eccleſiaſticum, ſin quoad uſum, ſaltem quoad poteſtatem, facit commune. Cujus errorem, immo & Blaſphemiam anathemate feriit Trid. Synodus ſeſſ. 7. can. 10. definiens. *Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandi habere poteſtatem, anathema ſit*. Quid enim revera contrarium magis Apoſtoli teſtimonio cap. 4. ad Epheſ. mox citato aperte dicentis, *Quoſdam in Eccleſia, ſecundum menſuram donationis Chriſti, conſtitutos Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores*. Nec obſtat a S. Petro epiſt. 1. appellatos omnes Chriſtianos, *Genus electum, regale Sacerdotium*, & in Apocalypſi 1. dici

ei de Chriſto, *Qui fecit nos Regnum & Sacerdotes Deo Patri*: ſermo ſiquidem eſt inibi de Sacerdotio ſymbolico & metaphorico, per quod ſpirituales hoſtiæ precum, & bonorum operum Deo offeruntur; ut clare indicat Princeps Apoſtolorum, dum cap. 5. ejuſdem epiſtolæ dicit, *Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias Deo per Jeſum*.

III. Miniſtri ſunt veræ cauſæ Sacramentorum, non quidem principales, ſed inſtrumentales. Ita aperte colligitur ex Scripturis, in quibus Sacramentis confectio Miniſtris demandatur. Jo. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Et Matt. 10. *Quodcumque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Et Chriſtus Dominus mandavit Apoſtolis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quamobrem Concilium Conſtantienſe ſuſpectos de hæreſi Wiclephiana interrogandos juſſit, num credant, quod *malus Sacerdos cum debita materia, forma, & intentione faciendi quod facit Eccleſia vere conſecret, vere baptizet, vere abſolvat*. Et in Trident. ſeſſ. 14. can. 9. & 10. & ſeſſ. 23. can. 1. declaratur, *Miniſtros conferentes Sacramenta, vere gratiam conferre, & peccata remittere*. Et revera, ſi hæc cauſalitas, & ipſis ſymbolis, & inſtrumentis non denegatur; quomodo erit deneganda Miniſtris? Ita docet & S. Thom. hic q. 64. a. 1. ſcribens: „ Operari aliquem effectum contingit dupliciter, „ uno modo per modum principalis agentis, alio „ modo per modum inſtrumenti . . . . ſecundo „ autem modo homo poteſt operari ad interiorem „ effectum Sacramenti, inquantum operatur per „ modum Miniſtri. Nam eadem eſt ratio & Miniſtri, & inſtrumenti: utriuſque enim actio exterius exhibetur, ſed ſortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, qui eſt „ Deus “.

IV. Ad Sacramentorum valorem non requiritur in Miniſtro fides. Hæc doctrina certa omnino eſt omnium Catholicorum judicio, & tanquam Catholicum dogma fidei recipitur. Nam poteſt quidem apertis Sacræ Scripturæ teſtimoniis demonſtrari, & perpetuæ, ac conſtantis traditionis ſuffragio munitur. Hanc conſtantem Eccleſiæ traditionem opponebat S. Cypriano, aliter cum pluribus tum Orientis, tum Africæ Epiſcopis ſentienti, Stephanus Papa ex Pontificali Throno ſic definiens: „ *Si* „ *quis a quacumque hæreſi venerit, nihil innovetur præter id, quod traditum eſt, ut manus illi imponatur ad Pœnitentiam* “. Intelligebat ſiquidem vir ſanctus & prudens (verba ſunt Vincentii Lirinenſis in ſuo aureo Commonitorio cap. „ 9.) nihil aliud ratione pietatis admittere, niſi „ ut omnia, quæ fide a Patribus ſuſcepta forent, „ filiis conſignarentur, noſque Religionem, non „ qua vellemus ducere, ſed potius qua illa duceret, ſequi oportere; idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ, & gravitatis, non ſua poſteris „ tradere, ſed a majoribus accepta ſervare “. Et S. Auguſtinus errorem Cypriani excuſans ſcribit lib. 2. de Baptiſmo cap. 7. „ Nondum erat diligenter illa Baptiſmi quæſtio pertractata, ſed tamen ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia, in ipſis quoque ſchiſmaticis, & hæreticis corrigere quod pravum eſt, non iterare quod datum „ eſt, ſanare quod vulneratum eſt, non curare quod „ ſanum eſt. Quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica traditione venientem. Sicut multa, quæ „ non inveniuntur in literis eorum, nec in Conciliis poſteriorum, & tamen quia per univerſam „ cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita, „ & commmendata inveniuntur “. Et cap. 9. hujus controverſiæ exordium reſpiciens ajebat: „ Conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & „ hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem “. Veritatem vero extra omnem dubitationis aleam poſuere plura Concilia Laodicenum, Conſtantinopolitanum I. Arelatenſe II. & noviſſime Tridentinum ſeſſ. 7. can. 4. definiens: *Si quis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſma; anathema ſit*: Quod autem de Baptiſmo dicitur, idem & de ceteris Sacramentis dicendum: nam illud, quod Baptiſmi valori non obſtat Miniſtri vitium, neque cæterorum Sacramentorum validitati impedimentum poteſt afferre, cum parem eſſe quoad hoc illorum omnium conditionem appareat manifeſte.

V. Nec improbitas Miniſtri, licet manifeſta, valori officit Sacramentorum. Hæc quoque doctrina Fidei dogma complectitur adverſus Donatiſtas, qui non ſolum ab hæreticis, ſchiſmaticis, ſed a quibuſcumque lethali peccato obſtrictis hominibus Sacramenta Chiſti irrito tractari arbitrabantur; licet inter eos nonnulli ſolos manifeſtos peccatores a Sacramentorum valida confectione repellerent. Hunc errorem ſemper deteſtata eſt Eccleſia, ut videre licet apud Auguſtinum in ſuis adverſus Donatiſtas libris. Quamobrem Nicolaus Papa I. in reſp. ad Conſulta Bulgarorum cap. 7. ajebat: *Non poteſt aliquis, quantumcumque pollutus ſit, Sacramenta Divina polluere*. Et S. Thom. hic q. 1. a. 5. ſcribit: „ Miniſtri Eccleſiæ inſtrumentaliter operantur in Sacramentis . . . & ideo accidit inſtrumento, inquantum eſt inſtrumentum, qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id, quod exigitur ad rationem inſtrumenti: ſicut quod corpus Medici, quod eſt inſtrumentum animæ habentis artem, ſit ſanum, vel „ infirmum; & ſicut quod fiſtula, per quam tranſit „ aqua, ſit argentea, vel plumbea. Unde Miniſtri Eccleſiæ poſſunt Sacramenta conferre, etiamſi ſint mali “. Catholicam veritatem definivit Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 8. damnans quartam Joannis Hus propoſitionem, qua blaſphemabat: *Si Epiſcopus, vel Sacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat*. Et Trid. ſeſſ. 7. can. 3. definiens: *Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conferendum, & conficiendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit*.

VI. Graviſſimo ſacrilegii reatu, abſolute loquendo, certiſſime conſtringuntur quicumque exiſtentes in peccato mortali, licet occulto, Sacramenta conficiunt, vel miniſtrant, tanquam ex officio ſuo, aut ſacra ordinatione, aut ſpeciali Eccleſiæ deputatione inſtituti. Et quidem lethaliter illos peccare, qui Sacramenta cum conſcientia lethalis peccati conficiunt, patet manifeſte 1. quia ſic agentes gravif-

viſſimam irrogant Chriſto injuriam, cujus perſonam gerunt, & miniſterium uſurpant: debent enim eſſe, ut jubet Apoſtolus ad Tit. 2. *ſine crimine*. 2. Indigne res ſanctiſſimas tractant, & functiones obeunt a Chriſto ſanctificatas, & ad hominum ſanctificationem ordinatas. 3. Status, ad quem per ſacram ordinationem aſſumpti ſunt, obligationes, & leges Eccleſiæ, immaculatam eis præſcribentes adminiſtrationem, & confectionem Sacramentorum, violant, & conculcant. Quamobrem SS. Patres unanimiter eos graviſſimi criminis reos redarguunt. S. Auguſtinus contra Parmenionem ait: *Omnia Sacramenta obſunt indigne tractantibus*. S. Greg. M. lib. 1. epiſt. 25. *Neceſſe eſt, ut eſſe munda ſtudeat manus, quæ diluere ſordes curat*. S. Bernardus lib. de Converſione ad Clericos: *Væ Miniſtris infidelibus, qui nondum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia ſuſcipiunt*. Hinc Rituale Romanum docet: *Impure, & indigne Sacramenta adminiſtrantes in æternæ mortis reatum incurrunt*. Eodem vero coinquinari peccato, qui licet non conficiant, miniſtrant tamen Sacramenta (quod in ſola Euchariſtia contingit) negant quidem plures Probabiliſtæ. At eorum opinio falſa eſt, & improbabilis, talemque evincunt & laudata Romani Ritualis verba, ubi non de ſolis conficientibus, ſed & de miniſtrantibus loquitur. Confirmat & Catechiſmus Tridentini Concilii P. 2. cap. 1. §. 26. docens: *Paſtores, aliique Sacramentorum Miniſtri . . . meminiſſe debent, Sacramenta divinam quidem virtutem; quæ illis ineſt, nunquam amittere; at vero impure ea miniſtrantibus æternam perniciem, & mortem afferre*. Et aperte traditur a D. Thom. hic a. 6. „ Non eſt dubium, quin mali, „ exhibentes ſe Miniſtros Dei, & Eccleſiæ in diſ„ penſatione Sacramentorum, peccent. Et quia „ hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & „ contaminationem Sacramentorum, quantum eſt „ ex parte ipſius peccatoris (licet Sacramenta in „ ſe incontaminabilia ſint) conſequens eſt, quod „ tale peccatum ex genere ſuo ſit mortale “. Et hic animadvertendum, tum Rituale Romanum, tum Catechiſmum, tum D. Thom. vocabulo *adminiſtrationis*, potius, quam confectionis, vel celebrationis uſos, ut utrumque peccatum deſignarent, tum illorum ſcilicet, qui Sacramentum adminiſtrando conficiunt, quam qui confectum adminiſtrant. Sed apertius hoc docet S. Th. in IV. diſt. 24. q. 1. a. 3. q. 5. ſcribens: „ Lex „ præcipit, ut homo juſte ea, quæ ſunt juſta, „ exequatur: & ideo quicumque homo, quod ſi„ bi competit ex ordine, facit indigne, quod ju„ ſtum eſt, injuſte exequitur, & contra præceptum „ legis facit; & per hoc mortaliter peccat. Qui„ cumque autem cum peccato mortali aliquod of„ ficium pertractat, non eſt dubium, quin indi„ gne illud faciat: unde patet, quod mortaliter „ peccet “. Et revera, ſi Iſaiæ 53. mundari jubebantur, qui vaſa Domini ferebant, & Exo. 19. præcipiebatur, Levitas, qui accederent ad Arcam Domini, *ſanctificari*, *ne Deus percuteret eos*, & Sacerdotibus indictum erat, *Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus*; *incenſum enim, & panes Dei ſui offerunt*, *ideo ſancti erunt*: quanto magis, qui Corpus, & Sanguinem Chriſti in Novo Teſtamento diſpenſant, ſive Sacerdos ille ſit, ſive Diaconus, mundari, & a lethalibus vacuam conſcientiam gerat oportet, ne Filium Dei conculcare, & ſanguinem Teſtamenti pollutum ducere convincatur.

VII. Miniſtri curam animarum habentes tenentur ſuis ſubditis ex jure naturali, & Divino Sacramenta miniſtrare. Ita ſtatuit, & declaravit Tridentinum Concilium ſeſſ. 23. cap. 1. *Præcepto divino mandatum eſt omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas cognoſcere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, & bonorum operum exemplo paſcere . . . & in cetera munia paſtoralia incumbere*. Et revera ita poſtulat tum aſſumptum ab ipſis miniſterium, quod ad animarum ſalutem eſt ordinatum, tum quia ab ipſis ovibus aluntur & ſuſtentantur, ut eorum ſpiritualibus conſulant indigentiis. Tenentur autem non ſolum rogati Sacramenta miniſtrare, ſed & de ovium indigentiis ſollicite inquirere, eaſque ad Sacramenta percipienda allicere, & compellere. Infirmis præſertim tenentur ſubvenire opportune, ſive interdiu, ſive nocte, Sacramenta miniſtrando, nec ſe moroſos, & difficiles petentibus oſtendere. Propterea præ oculis habeant ſaluberrima monita, & documenta a D. Carolo Borromæo data, & habentur in Eccleſiæ Mediolanenſis Actis P. 4. per hæc verba: „ Quacumque „ vero diei, vel noctis hora ad Sacramenta infir„ mis miniſtranda Parochus vocabitur, præſto ſit; „ cum præcipuum ejus munus, cujus cauſa a reli„ quo populo ſeparatur, & ab Eccleſia ſuſtentatur, „ præter cætera eorum adminiſtratio eſt. Nullam „ tam ſanctis pietatis officiis moram interponat, „ immo populum ſæpe numero, prout occaſio tule„ rit, accurate præmonebit, ut, cum opus eſt pa„ rochiali adminiſtratione, atque officio, quampri„ mum libere ſe acceſſat, nulla habita neque tem„ poris, neque loci diſtantia, neque alterius cujuſ„ cumque incommodi ratione “. Debent autem Sacramenta miniſtrare, nec Capellano, aut Cuſtodi ea miniſtranda committere; ut ſtatuitur in jure cap. Extirpandæ 30. de Præbendis §. *qui vero*. „ Qui vero Parochialem habet Eccleſiam, non per „ Vicarium, ſed per ſeipſum illi deſerviat in or„ dine, quem ipſius Eccleſiæ cura requirit, exce„ ptis tamen caſibus, in quibus expreſſis verbis Ca„ nonum, & Decretorum Concilii eſt ipſis conceſ„ ſum, ut per Vicarios, vel Cooperatores poſſint „ ſuo officio fungi “.

VIII. Miniſtri Sacramentorum Regulares, ſeu alii curam animarum non habentes, tenentur nihilominus deficientibus Parochis, vel urgente neceſſitate, flagitantibus Sacramenta miniſtrare. Et quidem omnes, tum charitatis præcepto, quod quidem, ſi aliquando, tunc maxime urget, quando ex Parochorum deficientia non ſint, qui vel petentibus, vel indigentibus Sacramenta miniſtrent; tum ſacræ Ordinationis titulo, quem non gratis, nec ad ornatum datum cenſendum eſt, ſed ad utilitatem populi, & in Eccleſiæ famulatum. Regulares autem alio ſpeciali titulo: ideo enim ſunt a fidelibus, & populis in Civitates, vel Oppida admiſſi, illis monaſteria erecta, agri & reditus conceſſi, vel eleemoſynis enutriti, ut plebis ſpirituali deſerviant utilitati, ut Parochis in animarum ſalute cooperentur, eiſque deficientibus ſubſidia ſpiritualia petentibus, & indigentibus ſuppeditent. Quapropter & ipſi Regulares ſoli vitæ contempla-

ti-

tivæ addicti, ſi neceſſitas urgeat, ſi ſint Sacerdotes, poſtulantibus Epiſcopis, & indigente plebe, debent, ſolitudine relicta, Sacramenta adminiſtrare, ita urgente præcepto naturali caritatis jubentis, ut in gravi, & extrema neceſſitate proximo indigenti ſpecialiter in ſpiritualibus ſubveniatur.

IX. Non licet Miniſtris Sacramenta indignis miniſtrare. De hujus doctrinæ veritate nullus eſt, qui ambigat, vetante Domino Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos*. Immo & ipſa lex naturalis hoc dictat, ſive ſpectetur miniſterium, ſive res, quæ miniſtratur. Miniſterium enim ſacrum eſt, & poſtulat in Miniſtro fidelitatem in miniſtrando: qui autem indignis miniſtrat, profecto fidelis miniſter non eſt; cum non ſancte, quæ ſancta ſunt, præbeat. Res vero ipſa, quæ datur, ſancta eſt, & ad ſanctitatem vel conferendam, vel augendam ordinata: profanationi itaque exponitur, ſi indignis concedatur. Hinc non licet, hæc timore cujuſvis graviſſimi mali, etiam mortis, indignis aut abſolutionem impertiri, vel ſacram ordinationem. Immo Sacramentorum Miniſter non ſolum cavere debet, ne indignis Sacramenta diſtribuat; ſed etiam diligenter attendere, utrum qui petunt, digni ſint, ut patet in Sacramento Pœnitentiæ, quod non eſt pœnitentibus adminiſtrandam, niſi certus ſit Miniſter, debitas eos afferre diſpoſitiones; & ſimiliter Epiſcopo non licet Ordines conferre, niſi iis, quos certo moraliter noverit eſſe dignos; quamobrem, quod primo loco indicitur in Pontificali Romano, eſt, ut Epiſcopus exploret, num accedentes digni ſint ſacra Ordinatione. Sed de hoc fuſius ſuo loco.

X. Miniſtri Sacramenta adminiſtrare non debent publicis peccatoribus, ſive publice, ſive privatim petant; occultis autem peccatoribus publice petentibus denegare non debent. Non deſunt benigniores Theologi, qui licet ſentiant, ordinarie veram eſſe primam poſitæ doctrinæ partem, aliquam tamen putant exceptionem admittere, quando ſcilicet metus mortis immineat; tunc enim cenſent, Sacramenta & indignis petentibus tum publice, tum occulte adminiſtrari poſſe, hac unica permoti ratione. Nam inquiunt, ſi licet occulto peccatori publice petenti Sacramentum miniſtrare, ne ejus fama lædatur, quem tamen certum eſt indigne ſumere; ergo a pari licebit Miniſtro indignis miniſtrare, ne de ſua vita, aut alio graviſſimo malo periclitetur. At falſam, & laxam hanc doctrinam explodunt omnes communiter Theologi, & ejus oppoſitam aperte docet S. Thom. qui abſolute affirmat, nunquam peccatoribus publicis eſſe Sacramenta miniſtranda, ſive occulte petant, ſive publice; at occultis peccatoribus publice petentibus concedenda. Sic enim ſcribit hic q. 80. art. 6. in corp. „ Circa peccatores diſtinguendum eſt. Quidam enim ſunt occulti, quidam vero manifeſti ... „ Manifeſtis peccatoribus non debet etiam petentibus ſacra Communio dari ..... Si vero non „ ſunt manifeſti peccatores, ſed occulti, non poteſt eis ſacra Communio denegari “. Quod & repetit in IV. Diſt. 9. q. 1. a. 1. q. 1. ſcribens: „ Aut peccatum eſt occultum, aut manifeſtum: ſi „ eſt occultum, aut exigit in occulto, aut in manifeſto; ſi in occulto debet ei denegare (Sacramentum): & monere ne in publico petat; ſi autem in manifeſto petit, debet ei dare. Si vero „ peccatum eſt manifeſtum, debet ei denegare, ſive in occulto, ſive in manifeſto petat “. Quod „ autem etiam cum diſcrimine vitæ ſint Sacramenta indignis deneganda, patet manifeſte: nam hujuſmodi miniſtratio eſt de ſe ſacrilega, illicita, & non aliquo præcepto poſitivo vetita, ſed juri naturæ adverſa, quod dictat nunquam eſſe Sacramenta profanationi exponenda. Ergo non licet, nec ad vitam tuendam. Quamobrem antiqui fideles mortem, & dira ſupplicia libentius ſubibant, potius quam ſacros Codices, vel ſacra Vaſa infidelibus traderent. Nec urget ſophiſtica paritas inducta. Nam qui miniſtrat occulto peccatori publice petenti, non tantum ad ejus famæ conſulendum miniſtrat; ſed ne ipſe denegando peccet, eum infamando. Porro non licet peccato peccatum alterius impedire; ita docet Sanctus Thomas 3. p. q. 80. a. 6. ad 2. ſcribens: „ Licet pejus ſit peccatori occulto peccare mortaliter ſumendo Corpus Chriſti, quam infamari; tamen Sacerdoti „ miniſtranti Corpus Chriſti pejus eſt peccare mortaliter infamando injuſte peccatorem occultum, „ quam quod ille mortaliter peccet: quia nullus „ debet peccatum mortale committere, ut alium „ liberet a peccato “. At qui miniſtrat indigno, ne occidatur, vitam propriam divinæ præfert offenſæ, quam impedire jure naturæ tenetur denegatione Sacramenti; proinde debet potius mortem oppetere, quam indigno Sacramentum metu mortis miniſtrare: præceptum enim de non danda indignis communione negativum eſt, & obligat ſemper, & pro ſemper. Quamobrem Sacramenta ſunt deneganda publicis uſurariis, concubinariis, hiſtrionibus, magis &c. ſive publice, ſive occulte petant: petenti autem occulte ſunt deneganda, etiamſi mortem minitetur, ſi abſolutio c. ex. ipſi denegetur.

XI. Non licet unquam Miniſtris Sacramenta ſimulare, nec urgente gravi malo. Et quidem duplicem ſimulationem diſtinguunt Theologi, aliam formalem, per quam directe alterius deceptio inducitur; & hanc malam eſſe, & perverſam ad unum omnes fatentur Theologi, ſive in Sacramentis adminiſtrandis, ſive in alia quacumque materia, cum formale mendacium includat: aliam materialem, per quam ſolum alterius deceptio permittitur; & hanc eſſe damnatæ propoſitionis ſcopum nemo ambigit, cum nullus unquam Chriſtianus Theologus priorem formalem ſimulationem, nec urgente metu mortis, licitam docuerit, & ſolum aliqui ſecundam materialem in gravis urgentis mali neceſſitate, ceu licitam, propugnaverint. Damnata autem propoſitio eſt 29. inter proſcriptas ab Innoc. XI. quæ aſſerebat: *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi*. Certum eſt igitur ex adductæ propoſitionis damnatione licitum nunquam eſſe Sacramenta nec materialiter ſimulare, etiam urgente mortis metu. Ita jam antea docuerat D. Thom. Quodl. 5. art. 12. in corp. ſcribens: „ Veritati non eſt fictio aliqua adjungenda, quia *nulla eſt conventio lucis ad tenebras*, ut dicit Apoſtolus 2. ad „ Corinth. Et ideo in Sacramentis Eccleſiæ nihil „ eſt per fictionem agendum, & præcipue in Sacramento Altaris “. Non licet itaque nec metu mortis dare hoſtiam non conſecratam indigno,

gno, ſive ipſe ſimulationi conſentiat, ſive ignoret; nec fingere adminiſtrationem Euchariſtiæ verba proferendo adminiſtrationis „ Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam “, & poſtea hoſtiam non præbendo; nec datam ſimulare abſolutionem indiſpoſito, mortem Confeſſario minitanti, niſi abſolutionem largiatur, & ſimilia, quæ de ſingulis Sacramentis agendo expendemus.

CAPUT SEPTIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *In Sacramentis alii ſunt Miniſtri ordinarii, alii extraordinarii.*

II. *Miniſter, qui in peccato baptizat ex neceſſitate, non peccat.*

III. *Miniſtri in ſacris Ordinibus conſtituti, ſi in lethali peccato ſua officia exercent, peccant lethaliter.*

IV. *Non ſunt tuti in conſcientia, qui ſola contritione, ſine confeſſione præmiſſa, Sacramenta in lethali adminiſtrant.*

V. *Parochi tenentur urgente peſtilentia in Parœcia & reſidere, & Sacramenta indigentibus miniſtrare.*

VI. *Qui coinquinati peccato lethali Sacramentum celebrent Matrimonii, graviter peccant: quando excuſentur.*

Conſectarium Primum.

I. IN Sacramentis diſtinguendi ſunt Miniſtri ordinarii, & extraordinarii. Illi ſiquidem ſunt, qui ex officio, ordine, gradu ad Sacramenta miniſtranda ſunt ab Eccleſia ordinati. Iſti vero, qui ſolum vel ex neceſſitate, vel ex diſpenſatione aſſumuntur. Omnium Sacramentorum ordinarii Miniſtri ſunt Epiſcopi: exceptis autem Ordine & Confirmatione, cæterorum Miniſtri ſunt Sacerdotes, qui ex diſpenſatione Summi Pontificis eſſe poſſunt Miniſtri extraordinarii Confirmationis, & aliquorum Ordinum. Diaconi ſunt quoque Miniſtri extraordinarii Baptiſmi ſolemniter collati. Omnes vero, ſive mares, ſive fœminæ, ſive fideles, ſive infideles, ſunt Miniſtri neceſſitatis Sacramenti Baptiſmi, quem omnes valide conferre poſſunt, ſervatis tamen omnibus ad ejus valorem requiſitis conditionibus, ut ſuo loco dicemus. Quin & Angelos aſſumi poſſe in extraordinarios Sacramentorum miniſtros, docet S. Thom. hic qu. 61. a. 7. ſcribens: „ Sicut Deus virtutem ſuam non alligavit Sacramentis, quin poſſit ſine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre, ita etiam virtutem ſuam non alligavit Eccleſiæ Miniſtris, quin etiam Angelis poſſit virtutem tribuere miniſtrandi Sacramenta. Et quia boni Angeli ſunt nuntii veritatis, ſi aliquod Sacramentale miniſterium a bonis Angelis perficeretur, eſſet ratum habendum: quia deberet conſtare, hoc fieri voluntate divina “. Nec obſtat, hocce Sacramentale miniſterium ab Angelis exerceri non poſſe, niſi in aſſumpto corpore, per quod verba quidem fingere, & imitari poſſent, vitali tamen locutione dearticulare omnino non poſſent. Nam licet ea verba Angelico efformata artificio ab humanis verbis phyſice quidem, & materialiter forent diverſa; formaliter tamen in ratione ſigni ſenſibilis, & quoad ſignificandi modum, & poteſtatem nihil differunt; idonea proinde ad Sacramentum conficiendum. De malis autem Angelis, licet abſolute non repugnet, etiam eos ad extraordinarium Sacramentale miniſterium, a Deo aſſumi; incredibile tamen prorſus videtur unquam ad tale munus vel fuiſſe aſſumptos, vel fore aliquando aſſumendos. Quamobrem S. Th. IV. ſent. Diſt. 5. q. 2. a. 9. q. 1. docet: Si Dæmon baptizare ſe „ fingeret, ſemper eſſet timendum, quod non faceret intentione baptizandi, quod ad Sacramentum requiritur, ſed intentione decipiendi; quia non eſt probabile, quod tantum bonum homini procuraret, ſicut eſt ſpiritualis regeneratio “. Et in Summa lo. mox laud. univerſaliter dicit: „ Si vero Dæmones, qui ſunt ſpiritus mendacii, aliquod Sacramentale miniſterium exhiberent, non eſſet ratum habendum “. Denique & ipſi Sancti, ac Beati Sacerdotes, ſi reaſſumpto corpore Sacramenta miniſtrarent, adhuc non ordinarii forent, ſed extraordinarii Sacramentorum Miniſtri, non quidem ob conditionem perſonæ, ſed ratione beatifici ſtatus; cum, ut diximus, ordinarii Sacramentorum Miniſtri non ſint niſi homines viatores, & infirmitate circumdati.

Conſectarium Secundum.

II. Miniſter, qui ex neceſſitate Baptiſmi Sacramentum ſine ſolemnitate adminiſtrat, ſive laicus, ſive Sacerdos, licet lethali coinquinatus peccato, non tamen lethaliter peccat. Et quidem ſi laicus eſt, non peccat, quia ex officio ſacramentale miniſterium non exercet, & neceſſitati ſervit, non voluntati: peccaret tamen, & quidem dupliciter, ſi abſque neceſſitate baptizaret in peccato lethali: tum quia miniſterium ſacrum ſibi uſurparet; tum quia rem ſacram criminis labe inquinatus contrectaret. Sacerdotem vero excuſat S. Thom. hic q. 64. a. 6. ad 3. ſcribens: „ In articulo neceſſitatis non peccat baptizando in caſu, in quo etiam laicus poſſet baptizare. Sic enim patet, quod non exhiberet ſe Miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti. Secus eſt autem in aliis Sacramentis, quæ non ſunt tantæ neceſſitatis, ſicut baptiſmus “. Ex quibus poſtremis verbis nemo inferat, Sacerdotem peccato lethali commaculatum poſſe abſque lethali peccato Sacramentum Pœnitentiæ moribundo adminiſtrare. Quandoquidem teneretur actum contritionis elicere, cum etiam in tali neceſſitate ſe Miniſtrum præbeat Eccleſiæ, a qua poteſtatem, & juriſdictionem accepit abſolvendi a peccatis. Hoc eodem loco oſtendit S. Thom. dum dicit „ perplexum non eſſe “ (ideſt in neceſſitate peccandi, ſive miniſtret, ſive non miniſtret, ut videri poſſet: ſi enim non miniſtrat, peccat proximum non adjuvando; ſi miniſtrat, peccat male miniſtrando) nam ſubdit, „ Qui eſt in peccato mortali, non eſt perplexus ſimpliciter, ſi *ex officio* ei incumbat Sacramenta diſpenſare; quia poteſt pœnitere de peccato, & licite miniſtrare. Non eſt autem inconveniens, quod ſit perplexus, ſuppoſito quodam, ſcilicet quod velit remanere in peccato “. Ex officio autem Sacramenta adminiſtrat, non ſolum qui

qui Parochus eſt, ſed quicumque Sacerdos eſt; cum Sacerdotibus ex officio conveniat Sacramenta adminiſtrare, quotieſcumque vel ſponte ſuſcipitur, vel ipſis adminiſtratio committitur. Diſcrimen ſolum eſt, quod Parochi & ex officio adminiſtrant, & ex debito; alii vero ex officio quidem miniſtrant, at non ex debito, ſed ſolum ex caritate.

Conſectarium Tertium.

III. Miniſtri ſacro Ordine inſigniti, ſi peccato commaculati ſua munia ſolemniter, & ex officio exerceant, peccant lethaliter. Huic propoſitioni ita generali plurimi adverſantur Probabiliſtæ, qui plura putant poſſe a Miniſtris ſui munera officii, etiam ſolemniter exerceri, quin novo inquinentur crimine. Verum noſtra propoſitio doctrinam S. Th. continet, ſcribentis in IV. Sent. diſt. 24. q. 1. a. 3. quæſtiuncula 6. „ Quicumque homo, *quod ſibi competit ex ordine*, facit indigne, quod juſtum eſt, „ injuſte exequitur, & contra præceptum legis facit; ac per hoc mortaliter peccat. Quicumque „ autem cum peccato mortali aliquod *ſacrum officium pertractat*, non eſt dubium, quin indigne „ illud faciat; unde patet, quod mortaliter peccet “. Et luculentius in Suppl. q. 36. a. 5. ſcribit: „ Peccat mortaliter, qui cum peccato „ mortali ad ordines accedit: ergo multo fortius „ peccat mortaliter *in qualibet executione ſui Ordinis* “. Confirmatur Gregorii IX. auctoritate „ lib. Decret. tit. 11. cap. ult. ſic ſtatuentis: „ Quæſitum eſt de Sacerdotibus, vel aliis Clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, aut falſi teſtimonii, bonum conſcientiæ „ rectæ perdiderunt. Reſpondemus, quod ſi propoſita crimina ordine judiciario, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos „ homicidii) poſt pœnitentiam jam ſuſceptis, vel „ ſuſcipiendis Ordinibus impediri: qui ſi non pœnituerint, monendi ſunt, & ſub interminatione „ divini Judicii obteſtandi, ut in teſtimonium ſuæ „ damnationis in ſuſceptis etiam ordinibus non miniſtrent “. In hoc autem Decreto Summus Pontifex loquitur non de ſolis Sacerdotibus, ſed de omnibus Clericis in ſuſceptis Ordinibus miniſtrantibus. Confirmat & D. Antoninus, qui generalem S. Thom. regulam adoptat, ſcribens: „ Dicit Thomas in quolibet actu cujuſcumque Ordinis, quandocumque ſe exhibet ut Miniſter Eccleſiæ; peccat mortaliter, & toties quoties hoc „ agit “. Quid, quod & hanc generalem regulam tradidit D. Auguſt. tract. 5. in Joan. ſic ſcribens: „ Sed Miniſtros, inquiunt, tanti Judicis „ juſtos oportet eſſe, per quos baptizatur. Et ego „ dico, & omnes dicimus, quia juſtos oportet eſſe tanti Judicis Miniſtros “. Et revera, ſi in Veteri Teſtamento jubebatur Levit. c. 21. *Sacerdos, in quo fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino*, cum tamen illa ſacrificia, & oblationes non niſi umbræ eſſent, & figuræ: quanto magis mundi ſint oportet in nova Lege Miniſtri Domini, dum ſacra pertractant? Ex hac itaque regula recte infertur, 1. peccare lethaliter Sacerdotes, & Diaconos Sacram Euchariſtiam populo miniſtrantes in lethali peccato; & quidem vel tot multiplicari peccata, quot ſunt Perſonæ, quibus Sacramentum miniſtrant; vel eo gravius peccare, quo majori numero perſonarum ſacram Communionem diſtribuunt. 2. Peccare lethaliter Sacerdotes Confeſſiones audientes, ſive abſolutionem impertiantur, ſive non. Et ridenda merito eſt doctrina La-Croixii, dicentis non peccare lethaliter Sacerdotem, ſi inchoata forma abſolutionis, antequam eam perficiat, contritionis actum eliciat. 3. Peccant lethaliter Sacerdotes SS. Euchariſtiæ Sacramentum indigne tractantes, ſive de loco in locum transferendo, ſive populo benedictionem impertiendo, ſicut & Diaconi illud contrectando. Ita enim docet S. Thom. laud. q. 36. a. 5. ad 4. ſcribens: „ Quandocumque homo ſe exhibet „ in aliquo actu ut Miniſtrum Eccleſiæ, in mortali peccato exiſtens, mortaliter peccat, & toties quoties hujuſmodi actum facit: quia, ut dicit Dionyſ. 1. cap. Cæl. Hier. *immundis nec ſymbola*, ideſt Sacramentalia ſigna, *tangere fas eſt.* „ Unde quando tangunt res ſacras, quaſi ſuo officio utentes, peccant mortaliter. Secus autem „ eſſet, ſi in aliqua neceſſitate aliquod ſacrum „ contingerent, vel exequerentur, in illo caſu, in „ quo etiam Laicis liceret, ſicut ſi baptizarent in „ aliquo articulo neceſſitatis, vel ſi Corpus Chriſti in terra projectum colligerent “. 4. Peccant Diaconi, & Subdiaconi propria officia ſolemniter in Miſſa exercentes. Et certe ut falſa, & laxa eſt habenda La-Croixii doctrina aſſerentis, Diaconum, ſolemniter miniſtrantem Euchariſtiam in peccato mortali, lethaliter non peccare, quamvis etiam ex conſuetudine id ſæpius faciat. 5. Peccant & Epiſcopi lethaliter, dum Fer. V. in Cœna Domini Chriſma, Oleum Infirmorum, & Catechumenorum conficiunt; ſicut & quando Eccleſias, Altaria, Calices conſecrant: ſunt enim hæc Epiſcopalia munia, quæ ipſis ex officio incumbunt, & in quibus, ut inquit Sanctus Thomas, *ſe exhibent ut Miniſtros Eccleſiæ*. 6. Peccant lethaliter, qui cum conſcientia peccati mortalis minores Ordines ſuſcipiunt. Num autem peccent etiam, cum ſua munia exercent, doctrina Sancti Thomæ dubitare non ſinit: & ſolum excuſari a lethali poſſunt, quia raro admodum illorum Ordinum munia ex officio exercentur, cum ſoleant communiter & a Laicis exerceri; ut videre eſt in Religioſis Ordinibus, in quibus & Laici Acolytatus officium exercent ex Prælatorum commiſſione. 7. Quoad Concionatores vero non eſt a doctrina Sancti Thomæ recedendum, affirmantis Concionantem, ſive Sacram Scripturam docentem ex officio prælationis, peccare lethaliter, ſi doceat, vel concionetur in peccato lethali, ſive occulto, ſive notorio. Et quidem ſuæ ſemper doctrinæ inhæret, ſcilicet quia tunc *ſe exhibet ut Miniſtrum Eccleſiæ*: dicitur enim Epiſcopis in eorum conſecratione: *Accipe Evangelium, & vade, & prædica populo tibi commiſſo*. Sacerdotibus pariter prædicationis officium committitur: illis enim dicitur in eorum conſecratione: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare*; & hoc potius ex Epiſcopi commiſſione, & ratione Beneficii quam ex ipſa Ordinatione. Quamobrem peccant quidem, ſi notorii peccatores ſint, ſecus vero, ſi occulti; præſertim ſi pio affectu in Deum, & ſuorum criminum deteſtatione concionentur. Sed audiatur D. Tho. in IV. diſt. 19. q. 1. a. 2. ad 2. ſcribens: „ Do-

„ cere Sacram Scripturam dupliciter contingit : „ uno modo *ex Officio prælationis* .... alio mo„ do ex officio Magiſterii, ſicut Magiſtri Theo„ logiæ docent. Dicunt ergo quidam, quod ille „ qui primo modo docet, peccat mortaliter, ſi ſit „ in peccato mortali notorio, non autem ille, qui „ ſecundo modo docet. Sed hoc eſt falſum; quia „ eorum qui docent Sacram Scripturam, eſt idem „ finis, & eorum, qui Sacram Scripturam edide„ runt. Unde cum ad hoc ordinetur Scripturæ e„ ditio, ut ad vitam æternam homo perveniat.... „ Quicumque impedit finem doctrinæ docendo pec„ cat. Impedit autem, qui Sacram Scripturam in „ peccato docet, quia ore ſe profitetur noſſe De„ um, factis autem negat. Et dicendum, quod „ ille, qui eſt in *peccato notorio*, peccat, ſive ſic „ (ideſt ex officio prælationis), ſive ſic (ideſt „ ex officio magiſterii) docet. Sed ille, qui eſt „ in *peccato occulto*, peccat, ſi primo modo (id„ eſt ex officio prælationis) non autem ſi ſecun„ do ". Quod & rurſum confirmat lect. 1. in cap. 6. 2. ad Corinth. „ Cujus vita deſpicitur, reſtat, „ ut ejus prædicatio contemnatur. Unde publicus, „ & famoſus peccator cavere ſibi debet, ne præ„ dicet; alias peccat ".

Conſectarium Quartum.

IV. Non ſatis ſuæ conſulunt conſcientiæ Miniſtri, qui ſibi conſcii lethalis peccati cum ſola contritione ſacra peragunt, ſi confiteri poſſint, nec neceſſitas urgeat. Adverſantur huic doctrinæ plures Probabiliſtæ, hac ducti ratione: quia nimirum nullum datur præceptum, ſive naturale, ſive divinum, ſive eccleſiaſticum præmittendi confeſſionem ſacris actionibus, ſi qui eas exercere debet, ſit peccato coinquinatus; ſed ſolum præcipitur, ne indigne adminiſtret, a quo ſatis cavetur per contritionem. Excipiunt tamen Euchariſtiæ ſuſceptionem, cui ex lege eccleſiaſtica in Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 7. lata, præmittendam dicunt Confeſſionem. Verum aſſertio noſtra unice vera eſt, & oppoſita plane falſa, & laxa. Quod ſic oſtenditur. 1. Nemo certus eſſe poteſt, ſe tanta contritione moveri, ut ſibi abſque confeſſione remiſſam culpam prudenter credere poſſit. Nam hæc difficilis admodum eſt, fatentibus ipſis Probabiliſtis, qui nec favillam inchoatæ Caritatis in Sacramento Pœnitentiæ ad juſtificationem obtinendam neceſſariam putant, ſed formidoloſam attritionem ſufficere arbitrantur. At verius eſt, quod inquit Cathechiſmus Romanus 2. part. cap. 5. §. 36. „ Ut „ hoc concedamus, contritione peccata deleri, „ quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, „ & intenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas „ cum ſcelerum magnitudine æquari, conferrique „ poſſit? At quoniam pauci admodum ad hunc „ gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a paucif„ ſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet ". Imprudenter igitur ſibi blandiuntur de hac contritione, qui copiam habentes peragendæ confeſſionis, ſola præſumpta contenti contritione, ad ſacra munia peragenda ſe temere accingunt: ſe enim manifeſto ſacrilege adminiſtrandi periculo exponunt; quod ex lege naturali, & divina vitare debent; & ſi timere debent obtenta criminum remiſſione, etiam poſt ipſam Sacramenti Pœnitentiæ ſuſceptionem; quanto juſtius timere debent, ea omiſſa. 2. Contritio non ſufficit ad remiſſionem peccatorum, niſi ſit cum voto ſuſcipiendi Sacramenti conjuncta. At votum, & deſiderium tunc quidem Sacramenti vicem ſupplet, quando haberi non poteſt Sacramentum: at quando ipſum ſuſcipi poteſt, profecto ludicrum eſt hujuſmodi votum, & fruſtraneum, nullumque ſincere creditur deſiderare, & in votis habere, quod facile conſequi poteſt, & cujus aſſecutio eſt in ejus voluntate, & libertate conſtituta. 3. Accedit auctoritas Tridentini Concilii ſeſſ. XIII. cap. 7. ſtatuentis de Sacramento Euchariſtiæ: „ Eccleſiaſtica autem „ conſuetudo declarat, eam probationem neceſſa„ riam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mor„ talis, quantumvis contritus ſibi videatur, abſ„ que præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sa„ cram Euchariſtiam accedere debeat: quod a „ Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, „ quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc San„ cta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, „ modo non deſit illis copia Confeſſarii: quod ſi „ neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia con„ feſſione celebraverit, quam primum confiteatur ". Porro licet Euchariſtiæ Sacramenti ſumma ſit dignitas, & excellentia, hæc tamen ceterorum Sacramentorum, & officiorum dignitatem non tollit, nec minuit. Qui igitur ad ea vel conficienda, vel peragenda ſe accingit, non minus eſſe debet certus de conſcientiæ puritate, & munditia, quam in confeſſione, vel ſumptione Euchariſtiæ. Non igitur ſola Contritione ad ea miniſtranda accedere debet, ſed conſcientiam in tuto ponat ſacra Exomologeſi oportet. Et revera jubet Rituale Romanum monens: *Sacerdos, ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius (quod abſit) ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat. Sed ſi habeat copiam Confeſſarii, & temporis, & loci ratio ferat, ea curet confiteri*. Ita & docet Rom. Catech. 2. p. de Sacr. Pœnit. n. 45. „ Verum, ſi quid ſalutis noſtræ ratio po„ ſtulet, conſideremus profecto quoties vel peri„ culum mortis imminet, vel aliquam rem tra„ ctare aggredimur, cujus tractatio homini pecca„ tis contaminatio non conveniat (veluti cum Sa„ cramenta adminiſtramus, vel percipimus) toties „ Confeſſio prætermittenda non eſt ". Sed in re adeo luculenta diutius non arbitror immorandum. Quod ſi urgeat neceſſitas ſubveniendi proximo, quæ moram non patiatur, contritionem quidem quantum poteſt vehementiorem in ſe concipiat Sacerdos, & Sacramenta miniſtret. At, quam primum poteſt, ad Sacramentum Pœnitentiæ confugiat. Et ita quidem indictum eſt Sacerdoti celebranti cum ſola contritione in Concilio Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. ſtatuente: *Quod ſi neceſſitate urgente abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur*. In quibus verbis non merum contineri conſilium, ſive monitum, ſed rigoroſum præceptum, declaravit Alexand. VII. damnando propoſitionem 38. aſſerentem: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, eſt conſilium, non præceptum*. Similiter & verbum illud *quam primum* non eſſe intelligendum, quaſi liceat Sacerdoti confeſſionem ad ſuum beneplacitum differre, ſed eſſe quantocius confeſſionem

nem habendam, declaravit idem Pontifex ſequentem 39. propoſitionem damnando: *Illa particula quam primum intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.* Quod onus Confeſſionis quam primum habendæ videtur impoſitum & iis, qui ex neceſſitate alia Sacramenta cum ſola contritione vel conficiunt, vel miniſtrant; cum in utroque caſa eadem videatur ratio, & cauſa, nimirum & reverentia Sacramentis habenda, & puritas conſcientiæ in Miniſtris neceſſaria.

Conſectarium Quintum.

V. Parochi tenentur peſtis tempore in Parochia reſidere, & quidem etiam cum diſcrimen vitæ per ſe Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, immo & Viatici, & Extremæ Unctionis indigentibus miniſtrare, niſi populi neceſſitas aliter poſtulet. Et primo quidem eos teneri ad priora duo Socramenta ſummæ neceſſitatis miniſtranda nullus eſt, qui ambigat, cum ita poſtulet officium Paſtoris, qui animam ſuam ponere debet pro ovibus ſuis, & neceſſitas graviſſima plebis, quæ deſtituta paſtore miſere ſpiritualiter periret. At major difficultas videtur de viatico, & Extremæ Unctionis adminiſtratione, quæ non ſunt Sacramenta tantæ neceſſitatis, ſicut priora. Et quidem de Viatico peſte infectis miniſtrando optime docet Suarez in 3. p. D. Thom. diſp. 44. num. 7. „ Abſolute teneri Parochum Viaticum miniſtrare infirmis tempore peſtis cum ordinario periculo contagii, quod in tali occaſione eſſe ſolet . . . . Hæc concluſio eſt magis pia, & judicio meo valde neceſſaria ad bonum regimen animarum, ne facile tanto bono in illa neceſſitate priventur". Eamque confirmat uſus Eccleſiæ: „ Nam omnes Parochi timorati hoc obſervant, etiamſi intelligant, ægros eſſe diſpoſitos per Sacramentum Confeſſionis. Epiſcopi etiam illos compellunt ad Euchariſtiam miniſtrandam, quod non eſſet juſtum, ſi ipſi ex vi officii non tenerentur. Populo item eſſet ſcandalum, ſi Parochus ſubditos ſuos ſine Viatico mori ſineret, quod ſignum eſt ejuſmodi obligationis". De extrema Unctione vero cautius loquitur, & num. 20. ſtatuit, Parochos teneri & hoc Sacramentum miniſtrare lue infectis, dummodo tamen id valeant ſine morali mortis periculo; cum hoc Sacramentum non ſit tantæ neceſſitatis, & jam præceſſerint bina Sacramenta Pœnitentiæ, & Viatici. Nam, ſi non alia via neceſſitati infirmi ſubvenire poſſit, niſi Extremam Unctionem miniſtrando, quippe quia alia duo Sacramenta non ſuſceperit, tunc & cum periculo vitæ tenetur ovi indigenti auxiliari. A Suarezio non diſſentit Sylvius in 3. Part. quæſt. 33. art. 3. concl. 3. ſcribens: „ Securior, & veriſimilior eſt aliorum ſententia, Parochum ſub mortali peccato teneri adminiſtrare Sacramentum Euchariſtiæ ſuis Parochianis peſte, vel alio morbo contagioſo infectis, etiam cum propriæ ſuæ vitæ periculo, niſi per aliquem alium id fiat, & niſi quædam circumſtantiæ occurrant, propter quas merito poſſit excuſari". Poſtea vero de Extrema Unctione verba faciens a doctrina Suarezii non recedit. Circumſtantiæ vero, quibus excuſari poteſt Parochus ab adminiſtratione per ſe facienda etiam Baptiſmi, & Pœnitentiæ, hæ occurrunt, nimirum ſi non omnes paſſim Parochiani, ſed aliqui tantum morbo inficiantur, tunc enim cautius eſt, ſi per alium Sacerdotem ab Epiſcopo adprobatum, ea Sacramenta adminiſtret: nam tunc ii, qui bene valerent, nollent Sacramenta recipere a Parocho, quem noſſent peſte infectis Sacramenta adminiſtraſſe, & ſic ut minori parti ſubveniret, majorem deſerere cogeretur. 2. Quoad duo vero reliqua Sacramenta, tunc cogeretur Parochus omittere, ſi tanta eſſet infirmorum copia, ut volens ea Sacramenta infirmis miniſtrare, non poſſet petentibus Pœnitentiam ſubvenire: tunc enim magis neceſſaria Sacramenta forent minus neceſſariis præferenda. De cautionibus vero adhibendis in miniſtrandis Sacramentis tempore peſtis diſputavit egregie Joannes Capenevilla Vicarius Leodienſis in ſuo Tractatu *De neceſſitate, & modo miniſtrandi Sacramenta tempore peſtis.* De quibus & nos nonnulla dicemus in Tract. de ſingulis Sacramentis.

Conſectarium Sextum.

VI. Qui coinquinati peccato Sacramentum Matrimonii celebrant, ſacrilegium committunt; ſed excuſantur, qui illud ex metu gravi cadente in virum conſtantem ineunt. Nam Matrimonium eſt Sacramentum vivorum, quod gratiam in ſuſcipiente ſupponit. Qui ergo illud ſuſcipit conſcius ſuæ iniquitatis, Sacramentum profanat, & ſacrilegium committit. Qui vero ex metu gravi celebrat Matrimonium, quod nullum omnino eſt, peccat quidem, ſi interius Matrimonio non conſentiat, cum aperte mentiatur, & dicat ore, ſe uxorem vel maritum accipere, cum mente omnino diſſentiat. Si vero intus conſentiat, non mentitur; ſed cum Matrimonium nullum ſit, nullum quoque eſt, quod profanat Sacramentum. Nec dicendum, peccare, quia irritat, & nullum reddit Sacramentum, ſicut qui ſine intentione conſecraret, vel abſolveret. Quandoquidem nullitas, & irritatio Matrimonii non ex contrahentis voluntate pendet, cum ſive conſentiat, ſive non conſentiat, Matrimonium ex ſtatuto Eccleſiæ irritum ſit, & nullum. Ita communiter ſentiunt Theologi, paucis, inter quos Sotus, & Ledeſma, diſſentientibus.

CAPUT OCTAVUM.

De Intentione Miniſtri ad valorem & perfectionem Sacramenti requiſita.

DOCTRINA.

I. *Quid intentionis nomine deſignetur.*
II. *Ad valorem Sacramenti non requiritur intentio, quæ ipſius effectum reſpiciat.*
III. *Nec qua velit Sacramentum ut Sacramentum.*
IV. *Requiritur intentio ſaltem generalis faciendi, quod facit Eccleſia.*
V. *Non ſufficit intentio, qua velit externum ritum Sacramenti per jocum imitari, & quæ exterius ſit manifeſta.*
VI. *Nec ſi intus in animo dicat: non intendo facere,*

cere , quod facit Eccleſia , licet exterius ſcrio , & decenter ritum obſervet .

VII. *Objectiones ex D. Thomæ doctrina deſumptæ proponuntur .*

VIII. *Et ſolvuntur .*

IX. *Proponuntur ex ratione deſumptæ .*

X. *Et ſolvuntur .*

XI. *De variis intentionis modis .*

XII. *Ad valorem Sacramenti non ſufficit intentio habitualis , interpretativa , indirecta .*

XIII. *Nec requiritur actualis , ſed ſufficit virtualis .*

XIV. *Neceſſaria eſt intentio determinata .*

XV. *Quando valori Sacramenti obſit intentio conditionata*

OB materiæ amplitudinem Caput hoc in duas partiemur paragraphos . Primus ea complectetur , quæ ad legitimam , & validam intentionem requiruntur ex parte objecti . In altero vero varios exponemus modos , quibus intentio in objectum fieri poteſt. Sit itaque

§. I.

De intentione Miniſtri requiſita ex parte objecti ad valorem , & pietatem Sacramenti .

I. Intentionis nomine in præſenti ſignificatur *actus internus deliberatus , quo quis aliquid intendit , ſeu aſſequi vult , dum externam aliquam exequitur actionem .* Porro hæc intentio , ſive deliberatus actus in hac Sacramenti materia tria reſpicere poteſt tanquam objecta , nimirum 1. ritum dumtaxat externum in materiæ , & formæ legitima exhibitione , & applicatione conſiſtentem . 2. Rationem Sacramenti , quæ præfato externo ritui conjungitur . 3. Effectum ſpiritualem , & ſupernaturalem , quem idem ritus perfectus parit in ſuſcipiente , nimirum gratiam ſanctificantem , vel etiam characterem . Qualis autem pro valida , & licita Sacramentorum confectione in Miniſtro deſideretur intentio ex parte objecti , claritatis majoris gratia diſtinctis propoſitionibus explicabimus .

II. Ad valorem Sacramenti non requiritur intentio , qua Sacramenti effectum , ideſt gratiam , & characterem reſpiciat , & intendat Miniſter Sacramenti ; immo effectum , & valorem Sacramenti non impedit contraria intentio , quæ præfatos effectus excludat . Prima pars certa omnino eſt . Quandoquidem hujuſmodi intentio profecto locum habere non poteſt in Infideli , Mahumetano , Hebræo , Atheo , a quibus tamen certum eſt , ut ſuperius diximus cap. 6. n. 4. tum Baptiſmum , tum alia Sacramenta , ſi nihil aliud obſtet , valide conferri , prout Eccleſia ſemper ſenſit . Et certe in Lutheranis , & Calviniſtis præfata intentio præſumi minime poteſt , quippe qui & gratiam dari , & characterem per Sacramenta imprimi pervicaciſſime inficiantur : & tamen collatum ab ipſis Baptiſmus ab Eccleſia ratus , validuſque agnoſcitur . Quamobrem & de hiſce Miniſtris verificatur , quod ſcribit Sanctus Auguſtinus epiſt. 23. ad Bonifacium Epiſcopum de parentibus ad Baptiſmum filios ſuos offerentibus : *Nec illud te moveat , quod quidam non ex fide ad Baptiſmum percipiendum parvulos ferant , ut gratia ſpirituali ad vitam regenerentur æternam ; non enim propterea illi non regenerentur , qui non ab ipſis hac intentione feruntur .* Quod vero nec obſtet contraria intentio , quæ præfatos effectus excludat , patet : quandoquidem effectus Sacramenti ad intimam Sacramenti conſtitutionem non pertinent ; cum non infrequenter Sacramentum valide ſuſcipiatur etiam ab illo , qui infructuoſe , immo ſacrilege ſuſcipit : intentio igitur contraria Sacramenti effectui , ejus valori non obſiſtit . Audiatur D. Thom. hic q. 64. a. 1. ſcribens : „ Poteſt perverti intentio Miniſtri quantum „ ad id , quod ſequitur Sacramentum . . . . . & „ quia prius non dependet a poſteriori , inde eſt , „ quod talis intentionis perverſitas veritatem Sa„ cramenti non tollit ; ſed ipſe Miniſter ex tali „ intentione graviter peccat “ . Nec dicas , qui effectum non vult , non videtur habere intentionem , quam habet Eccleſia : hæc enim ſpirituale illorum , qui Sacramenta ſuſcipiunt , beneficium maxime reſpicit . Nam confundenda non eſt intentio faciendi , quod facit Eccleſia , cum intentione , quam habet Eccleſia in faciendo : hæc enim ſecunda intentio nedum id , quod facit Eccleſia , ſed & finem , ob quem illa facit , amplectitur , quod minime neceſſarium oſtendimus .

III. Non eſt neceſſaria in Miniſtro intentio , quæ ipſum Sacramentum , qua Sacramentum eſt , videlicet quatenus vim habet ſanctificandi , & conferendi gratiam , expreſſe intendat , & velit . Hæc quoque propoſitio eſt certa , & evidens . Quandoquidem hæc intentio locum habere non poteſt in mente Judæi , Athei , Pagani , vel Hæretici , qui vel Eccleſiæ doctrinam ignorant de efficacia , & virtute Sacramentorum , vel etiam ab ea plane contumaci animo diſſentiunt . Sic Eccleſia ratum habuit Baptiſmum Pelagianorum , qui tamen negabant infantes in ſacro fonte regenerari , & ab originali labe purgari , ſicut & Lutheranorum , & Calviniſtarum , qui negant gratiam ſanctificantem conferri , vel imprimi characterem . Immo Nicolaus I. conſultus a Bulgaris , quid ſentiendum de Baptiſmo , de quo dubium erat , num a Judæo , vel Pagano , vel Chriſtiano collatus fuiſſet , reſpondit in Decretali Epiſtola ad eos miſſa cap. 104. „ Valere illum Baptiſmum , ſi in nomine Trinita„ tis , vel Chriſti nomine confectus fuerit “ . Et probat teſtimoniis S. Auguſtini docentis , *veritatem Baptiſmi non pendere ex privata Miniſtri opinione , vel errore , ſed ex virtute Chriſti ; nam hic eſt qui baptizat , ſcilicet principaliter .*

IV. Ad validam Sacramenti confectionem neceſſaria eſt in Miniſtro ſaltem generalis implicita , & confuſa intentio faciendi , quod facit Eccleſia , quin tamen neceſſe ſit , ut in particulari veram Eccleſiam Chriſti cognoſcat ; neque etiam nocet , ſi in ea dijudicanda erret . Hæc quoque propoſitio comperta eſt ex Eccleſiæ doctrina , & traditione . Nam in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 11. ſic ſtatutum habetur : *Si quis dixerit , in Miniſtris , dum Sacramenta conficiunt , & conferunt , non requiri intentionem ſaltem faciendi , quod facit Eccleſia ; anathema ſit .* Et antea in Concilio Florentino Eugenius IV. in Decreto pro Armenorum inſtructione docuerat : *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur , ideſt rebus tanquam materia , verbis tanquam forma , & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi , quod facit Eccle-*

cleſia. Adhuc prius in Concilio Conſtantienſi Martinus V. ſuſpectos in fide interrogandos præceperat, *num credant, quod in aliis Sacerdos cum debita materia, forma*, & intentione *faciendi, quod facit Eccleſia, vere conficiat, vere abſolvat, vere conferat alia Sacramenta*. Et ſane, qui expoſita careret intentione, dum externum Sacramenti ritum exequitur, nequaquam Chriſti miniſterium, quod Eccleſiæ demandatum eſt, humano modo cenſeretur obire, proinde nec verum Sacramentum conficere; cum hæc confectio miniſtro a Chriſto deſignato, & conſtituto opus habeat, dicente S. Paulo 1. ad Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Quamobrem vel nulla intentio in adminiſtrante Sacramentum eſt neceſſaria, quod profecto abſurdiſſimum eſt, & ab ipſis Proteſtantibus reprobatur; vel hæc ut minimum poſtulatur, qua velit, qui Sacramentum adminiſtrat, facere quod facit Eccleſia, ſaltem voluntate generali, implicita, & confuſa, ut in ſequentibus declarabimus. Quod vero non obſit error circa veræ Eccleſiæ agnitionem, conſtat ex perpetua Eccleſiæ traditione, quæ, ut ſæpe diximus, Baptiſmum ab Infidelibus, & hæreticis collatum, ſervatis materia, & forma præſcriptis, ratum ſemper habuit, & firmum; licet illi, quæ vera eſſet Chriſti Eccleſia, ignoraverint, & hæretici in ea deſignanda erraverint; ideo enim hæretici ſunt, qui veram Eccleſiam contemnunt, & deſerunt. Quis revera credat Lutheranos, & Calviniſtas, dum infantibus in ſua ſecta progenitis Baptiſmum conferunt, velle facere, quod facit Eccleſia Romana, in qua ſola veræ Eccleſiæ characteres, & dignitatem nos Catholici agnoſcimus, ipſi vero Antichriſti Regnum, & Satanæ Synagogam impie, ac imprudenter appellant, & turpiſſimis erroribus, atque idololatria comaculatam exiſtimant? Nonne potius præſumendum eſt, eos facere velle, quod Genevenſis, Anglicana, Auguſtana, reformatæ, prout ipſi dicunt, Eccleſiæ, dum baptizant, intelligunt? At quia, dum hi ſe illis conformant, veram Chriſti Eccleſiam ſe ſequi credunt, & reipſa in iis, quæ baptiſmo Chriſti ſunt eſſentialia, ſequuntur; idcirco voluntate faciendi, quod facit vera Eccleſia Chriſti, non carent, licet in ea deſignanda fallantur, & errent.

V. Non ſufficit ad valorem Sacramenti ea Miniſtri intentio, qua velit externum Sacramenti ritum per jocum, & ludicram repræſentationem imitari, vel irriſioni exponere; & hæc ejus intentio ex modo, & circumſtantiis actionis, aliique externis indiciis innoteſcat. Adverſatur huic doctrinæ non minus inſcite, quam impie Lutherus, dum lib. de Captiv. Babylon. contendit, habendum eſſe pro vero Chriſti baptiſmo etiam illum, qui mimice daretur, ſi tamen religioſo animo ſuſciperetur. Verum oppoſitam noſtram doctrinam omnes tuentur Catholici, utpote in Tridentino Concilio aſſertam, & confirmatam, dum ſeſſ. 14. can. 9. definitum eſt: *Si quis dixerit, abſolutionem Sacramentalem non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi, & declarandi, eſſe remiſſa peccata confitenti, modo tamen credat, ſe eſſe abſolutum: aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat . . . anathema ſit*. Et cap. 6. declaratur: *Illum fore ſuæ ſalutis negligentiſſimum, qui Sacerdotem jocoſe abſolventem cognoſceret, & non alium ſerio agentem ſedulo requireret*. Et revera, quis non ſtatim perſpiciat, externum Sacramentum ludicre tantum, & mimice repræſentantem intentionem non habere faciendi, quod facit Eccleſia, quæ ludendi gratia Sacramenta non celebrat; nec ut Miniſtrum Chriſti, & divinorum Myſteriorum diſpenſatores ſe gerere, ſed potius irriſorem? Præterea ad Dei opera perficienda ille agendi modus ſufficere omnino non poteſt, qui nec ad officia civilia utilis habetur: nullus enim contractus, nulla conventio, nullum in humano commercio negotium validum habetur, quod per jocum, & mimice conſtet eſſe perfectum. Doctrinam hanc catholicam jam antea docuerat D. Thom. 3. p. quæſt. 64. art. 10. ſcribens: „ Intentio Miniſtri „ poteſt perverti dupliciter. Uno modo reſpectu „ ipſius Sacramenti: puta cum aliquis non inten- „ dit Sacramentum conferre, ſed *deriſorie* aliquid „ agere: & talis perverſitas tollit veritatem Sa- „ cramenti, præcipue quando ſuam intentionem „ exterius manifeſtat “. Et confirmat in reſp. ad 2. „ Ludicra intentio, vel *jocoſa* excludit primam „ intentionem, per quam perficitur Sacramen- „ tum “.

VI. Ad Sacramenti valorem nec ea ſufficit in Miniſtro intentio, qua ejus ritum externum ſimulat, quamvis doloſus animus intus lateat, ut nullo externo valeat indicio deprehendi; immo actio externa adeo decenter, accurate, & integre peragitur, ut nemo ſit, qui in talibus circumſtantiis ſerio factam, & ad finem conficiendi Sacramenti prudenter non reputet. Adverſantur huic doctrinæ moderni plures Theologi, præſertim Galli, qui cenſent Baptiſmum, & quodcumque aliud Sacramentum validum eſſe, quoties Miniſter præſertim in illis circumſtantiis, in quibus Eccleſiæ nomine operari videtur, ritum externum integre ponit advertenter, & deliberate, & cum omni ſpecie ſerietatis, licet in corde ſuo dicat, ſe nolle facere, quod Eccleſia illo ritu facere intendit. Hanc ſententiam illuſtriorem fecit Ambroſius Catharinus Compſanus Epiſcopus in Opuſculo *de intentione Miniſtri*, cui adhæſere Alphonſus Salmeron, Jo. Viguerius, Gulielmus Æſtius, Scribonius, Paſqualigo, Sambovius, & noviſſime pro ea acriter decertarunt Vincentius Contenſonius, Gaſpar Juveninus, Hiacynthus Serry, P. le Druin, qui Catharini doctrinam propugnandam ſuſceperunt; quem tamen non in eo latu ſenſu eam ſententiam propugnaſſe arbitror, in quo ab iſtis recentioribus explicatur. Singulorum mentes diſcutere noſtri Operis ratio non poſtulat, ſed contra quoſcumque illius ſententiæ Patronos hiſce momentis doctrinam noſtram ut certe oppoſita probabiliorem oſtendimus. 1. Adverſari videtur Tridentini Concilii definitioni, quod abſolutionem joco datam a Sacerdote inutilem, & vanam declaravit. Porro quod jocus vel foris appareat, vel in animo lateat, pertinet ſolum ad vitii manifeſtationem, non ad naturam. Et revera Concilium Tridentinum, dum declaravit inutilem jocoſam Sacramenti adminiſtrationem, ſuam definitionem non ad externam irriſoriam, & jocularem adminiſtrationem reſtrinxit, ſed univerſaliter pronuntiavit, irriſorie Sacramentum adminiſtrantem nihil agere: immo potius internam irriſionem, quam externam deſi-

gnavit illis verbis: *Si deſit animus ſerio agendi*. Et certe intus animum non habet ſerio agendi, qui interius voluntatem habet irridendi, & non faciendi, quod facit Eccleſia; licet hic irriſorius animus foras non erumpat, ſed inique lateat in corde. 2. Contra Decreta Fidei non ſalvat in Miniſtro intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, qui intentionem ſimulandi, & fingendi ſufficientem exiſtimat: quod enim Eccleſia facere intendit, non eſt quid fictum, & ſimulatum. 3. Nonne in Decretis Conciliorum Florentini, & Tridentini non ſtatuuntur omnino neceſſaria ad valorem Sacramentorum, materia ſcilicet, forma, & intentio Miniſtri? At fruſtra hæc tertia exigeretur, cum neceſſaria ſit, non voluntaria. Nam neceſſaria intentio, juxta Gallorum opinionem, nunquam ſeparari poteſt a materia, & forma debito, & ſerio modo applicatis, & exhibitis, ſed in ipſo externo ritu ſemper involvitur, & implicatur: unde & paſſim a ſuis defenſoribus intentio externa, & operis, non interna, & operantis appellatur, locutione proculdubio inuſitata, & abſurda; cum intentio vocabulum ſit ad interiorem animi ſenſum ſignificandum inſtitutum, & uſurpatum, proinde non in opere ponendum, ſed in operante. 4. Matrimonium ſine intrinſeco contrahentium conſenſu in facie Eccleſiæ celebratum, in Gallorum ſententia validum, & legitimum dicendum foret, contra id quod definitum fuit ab Innoc. III. cap. *Tua nos* de Sponſal. & Matrimon. & cap. *Tuos* de Sponſa duorum. Nam & tunc totus ritus externus ſerio habetur, ſcilicet mutuus exterior conſenſus, verba illum ſignificantia, Sacerdotis benedictio; & tamen certe Matrimonium nullum eſt ſola interioris actus deficientia. 5. Deridendæ forent, & contemnendæ Rubricæ Miſſalis Romani cura, & auctoritate Clem. VIII. editæ, in quibus cap. 7. de Defectibus intentionis irrita enunciatur conſecratio. 1. *Si quis non intendat conficere, ſed deluſorie aliquid agere*. Item *Si aliquid hoſtiæ ex oblivione remaneat in altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hoſtia lateat, cum non intendat conſecrare, niſi quas videt*. Item *Si quis habet coram ſe undecim hoſtias, & intendat conſecrare ſolum decem, non determinans quas decem intendit: in his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio* (non profecto exterior, quæ certe non deeſt, cum verba conſecrationis, & cæteræ ceremoniæ rite, recte, & ſerio peragantur, ſed interior); *ſecus ſi putans eſſe decem, omnes voluit conſecrare, quas coram ſe habet, nam tunc omnes erunt conſecratæ*. 6. Alex. VIII. die 7. Septemb. 1690. hanc damnavit propoſitionem: *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem actum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo reſolvit, non intendo facere, quod facit Eccleſia*: quæ propoſitio ipſiſſimam Gallorum doctrinam exprimere videtur. Nec ſatis hanc damnationem eludit Juveninus de Sacramentis cap. 6. qu. 9. dicendo, præfatam propoſitionem damnatam fuiſſe, quia in ſenſu ſuo univerſali, & indefinito complectitur caſum Baptiſmi etiam ludo apparente collati. Quandoquidem nec illius propoſitionis Auctores ad manifeſtum ludum propoſitionem dilatarunt, nec ipſa propoſitio hunc exprimit ſenſum, immo latentem ludum expreſſe deſignat per illa verba *intus*, & *in corde ſuo, apud ſe reſolvit* &c. 7. Denique doctrinam noſtram tradit D. Thom. & argumentis confirmat hic quæſt. 64. art. 8. ſcribens: „ Quando aliquid ſe habet ad multa, oportet quod per „ aliquid determinetur ad unum, ſi illud effici „ debeat. Ea vero, quæ in Sacramentis aguntur, poſſunt diverſimode agi: ſicut ablutio a„ quæ, quæ fit in Baptiſmo, poteſt ordinari & „ ad munditiam corporalem, & ad ſanitatem cor„ poralem, & ad ludum, & ad multa alia hu„ juſmodi: & ideo oportet, quod determinetur „ ad unum, ideſt ad Sacramentalem effectum per „ intentionem abluentis “. Et iterum artic. 10. „ Dicendum, quod intentio Miniſtri poteſt per„ verti dupliciter, uno modo reſpectu ipſius Sa„ cramenti, puta cum aliquis non intendit Sacra„ mentum conferre, ſed deriſorie aliquid agere: „ & talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, „ PRÆCIPUE quando ſuam intentionem exterius „ manifeſtat “. Quod verbum *præcipue* oſtendit, veritati Sacramenti contrariam a S. Thom. putari etiam perverſam intentionem occultam, & in corde latentem. Quod & confirmat in reſp. ad 3. ubi abſolute pronunciat: „ Intentio ludicra, vel „ jocoſa (ſive latens, ſive manifeſta) excludit pri„ mam rectitudinem intentionis, per quam per„ ficitur Sacramentum “. Vim argumentationis D. Thom. enervare conantur oppoſitæ ſententiæ Patroni, dicendo externum opus non ſola intentione agentis determinari ad rationem Sacramenti, ſed vel verbis formæ Sacramentalis, vel intentione ſuſcipientis, vel Chriſti voluntate, vel denique ex circumſtantiis externis, in quibus oſtenditur baptizantem, vel aliud Sacramentum conficientem ſe gerere ut Eccleſiæ, & Chriſti Miniſtrum. At vana hæc ſunt effugia. Nam & ipſa formæ verba, quæ ſunt externi operis pars, ſunt a Miniſtri intentione determinanda, cum ad varias ſignificationes, & fines aſſumi poſſint, & adhiberi. Nec ad determinationem operis ſufficit ſuſcipientis intentio, cum hæc aliquando deſit, ut in infantium Baptiſmo. Et ut egregie animadvertit D. Thom. hic a. 8. ad 2. „ Suſcipientis intentio, fi„ des, & devotio ſatis quidem eſſe poſſunt quan„ tum ad ultimum effectum, qui eſt juſtificatio, „ non quantum ad effectum, qui eſt res, & Sa„ cramentum, ſcilicet quantum ad characterem; „ non enim videtur poſſe per devotionem accipien„ tis ſuppleri; quia character nunquam imprimi„ tur, niſi per Sacramentum “. Ipſa inſtitutione Sacramenti Chriſtus præſcripſiſſe præſumitur, ut actio externa per interiorem adminiſtrantis intentionem determinaretur: alioquin ſi nulla eſſet ex Chriſti inſtitutione Miniſtri intentio requiſita, valeret Sacramentum etiam ab ebrio, & amente collatum. Denique ipſæ exteriores circumſtantiæ poſſunt quidem actionem determinare quoad meram exteriorem apparentiam; & adſtantium judicum exiſtimationem, non quoad veritatem.

VII. Sed audiamus, quid in ſuæ doctrinæ favorem, & patrocinium proferant Galli Scriptores oppoſitæ ſententiæ Patroni. Et 1. quidem Thomiſtæ adverſus Thomiſtas auctoritate ſe muniunt Sanctiſſimi Præceptoris. Hic itaque q. 64. a. 8. ſibi objicit 2. loco. Si intentio Miniſtri interna eſſet neceſſaria ad Sacramenti valorem, nemo eſſet moraliter certus ſuæ ſalutis; quippe qui foret incertus de mente, & intentione Miniſtri. Cui ob-

je-

jectioni in hæc verba reſpondet: *Alii melius dicunt, quod Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt miniſter: in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte Miniſtri.* En igitur quomodo S. D. ad fidelium ſecuritatem, & quietem in ſuſceptione Sacramentorum, expoſcit nimirum 1. quod Miniſter agat in perſona Eccleſiæ, ſerio ritum adhibens inſtitutum ad Sacramunti confectionem, 2. quod verba formæ proferat, quæ Eccleſiæ intentionem ſignificant, quidquid ſit de interna ipſius Miniſtri privata intentione.

VIII. Verum reſpondemus S. D. eo loci ſolum indicare, non eſſe neceſſariam Miniſtri intentionem, quæ ipſum Sacramentum formaliter, qua Sacramentum eſt, reſpiciat, ideſt quatenus eſt efficax inſtrumentum: hæc enim ob miniſtri infidelitatem poteſt deeſſe, quin Sacramenti valor, aut neceſſaria ad ipſum intentio deficiat, ut ipſemet S. D. explicat in ſeq. a. 9. in reſp. ad 1. dicens: *Si patiatur fidei defectum* (Miniſter) *circa ipſum Sacramentum, quod exhibet, licet credat per id, quod agitur exterius, nullum ſequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod Eccleſia Catholica intendit per hujuſmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum: unde, non obſtante infidelitate, poteſt intendere facere id, quod facit Eccleſia, licet æſtimet id nihil eſſe. Et talis intentio ſufficit ad Sacramentum: quia, ut ſuperius dictum eſt* (in lo. a. 8. ab adverſariis objecto) *Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, ex cujus fide ſuppletur id, quod deeſt fidei miniſtri.* En igitur de qua intentione loquatur D. Thom. in loco ab Adverſariis laudato.

IX. Auctoritati addunt & rationum momenta. 1. Infideles, Judæos, Atheos profecto, dum baptizant, non eſt præſumendum habere intentionem faciendi ritum, quem ſuperſtitioſum, inutilem, profanum putant; & tamen collatum ab ipſis Baptiſma validum eſt. 2. Miniſter, ut docet S. Thom. agit ut merum inſtrumentum, ad quod ſolum ſpectat exequi, quod agens principale intendit, non vero ſua intentione, quod eſt agendum, determinare; a principali autem agente eſt jam externus ritus determinatus ad Sacramentum conficiendum, quin effectum ſua privata oppoſita intentione valeat impedire. 3. In omnibus etiam gravioribus, & graviſſimis Reipublicæ muneribus, & officiis, Legati, Miniſtri, Officiales, ſi ſerio ſe exterius agere oſtendant, valide agere Reipublicæ nomine præſumuntur, licet interius contraria prorſus voluntate diſſentiant. Idem igitur ſentiendum & de Miniſtris Chriſti, & Eccleſiæ in Sacramentis perficiendis. 4. Sacramenta vim habent, & efficaciam ex Chriſti inſtitutione, & ex opere operato: quocirca quacumque intentione applicentur, ſuo nunquam deſtituuntur effectu; alioquin eorum virtus, & efficacitas non minus a Chriſto, quam a Miniſtro penderet, immo magis a Miniſtro, quam a Chriſto virtutem acciperent operandi, quippe qui poſſet Chriſti inſtitutionem fruſtrari. 5. Poſita materia, & forma alicujus compoſiti, compoſitum reſultet, neceſſe eſt, quacumque demum intentione partes illæ a cauſa aliqua efficiente uniantur: ſic admoto igne materiæ combuſtibili incendium ſequitur, quacumque unientis intentione etiam incendio reluctante. 6. Quid, quod & ipſa Eccleſia ſemper quovis tempore in ferendo de Sacramentorum valore judicio unice expendere conſuevit, & ſollicite inveſtigare, num externus ritus a Chriſto præſtitutus, fuerit ad amuſſim ſervatus, nulla habita cura ad Miniſtri intentionem? Patet igitur manifeſte, hanc non requiri ad Sacramenti valorem, ſi ritus externus ſerio, & accurate peragatur. 7. Fideles ſemper incerti manerent de valida Sacramentorum ſuſceptione, ſi hæc ab interna, & occulta Miniſtri intentione quoad valorem penderent. 8. Quinimmo fieri poſſet, ut perpetua Eccleſiæ viſibilitas adverſus Heterodoxos demonſtrari non poſſet, cum contingere queat, omnes veros deficere Sacerdotes ob aliquam irritam ordinationem, ſemel ab uno Epiſcopo intentionem ſuam malitioſe, & occulte depravante inductam.

X. Verum his argumentis ſatisfacimus. Ad 1. Nihil impedit, quin in Atheo, Judæo, Pagano ſit voluntas faciendi aliquid, quod ipſe inutile, & inofficioſum putat, ſi ab Amico rogetur, & ille exiſtimaverit gratum officium, quod jam noverit in Chriſtiana ſocietate religioſum reputari, & animæ ſalutare. Ad 2. Eſt utique Miniſter inſtrumentum ad Sacramentorum confectionem, at non inſtrumentum inanime & mere machinale, ſicut calamus Scriptori, ſed inſtrumentum voluntarium, a quo Chriſtus poſtulat, ut voluntariam, ſpontaneam, & moralem operam tunc præſtet principali agentis intentioni ſe accommodando, non vero illi repugnando, & obſiſtendo. Ad 3. In humana Republica Miniſtri non ſemper adhibentur ad aliquid jam ſtatutum, & decretum exequendum, in quo ſolum ejus externa actio ſpectetur, & pro nihilo habetur eorum etiam aperta, & manifeſta contradictio: ſed aſſumuntur & frequentius ad aliquid proprio conſilio, & prudentia diſponendum; & tunc Miniſtrorum etiam voluntas, conſenſus, intentio poſtulantur ad geſtorum firmitatem, & valorem. Hoc autem ſecundo modo aſſumuntur Miniſtri in Sacramentorum celebratione: alioquin eorum valorem non impediret nec expreſſa ipſorum contraria voluntas exterius manifeſtata. Ad 4. Verum quidem eſt, Sacramenta effectum producere ex opere operato; at dicimus opus operatum non poni, niſi materiæ, & formæ adjungatur & ipſius Miniſtri intentio; immo ipſam formæ, & materiæ legitimam, & formalem, prout requiritur ad Sacramentum perficiendum, non haberi applicationem independenter ab ipſa applicantis voluntate, & intentione; alioquin nec ludicra, & manifeſta ipſius contraria voluntas Sacramentum impediret. Ad 5. Sacramentorum forma, quæ eſt materiæ conjungenda, in verbis conſiſtit, non quidem quocumque modo prolatis, ut a pſittaco, ebrio, amente, ſed humano modo, & rationali ipſius proferentis intentione, per quam ad Sacramentale opus (non ad aliquid aliud) perficiendum, dirigatur. Ad 6. Fatemur quidem haberi non poſſe a Fidelibus abſolutam (quæ ſine ſpeciali revelatione haberi non poteſt) certtitudinem de Sacramento valide ſuſcepto: at dicimus non deeſſe illam moralem, prudentem, fundatam, quæ in cæteris humanis gravioribus negotiis ſufficit, certitudinem; quando nullum ſuppetit in externa Miniſtri operatione ſubtractæ, vel ludi-

ludicræ intentionis indicium. Sic prudenter ut patrem veneramur, & colimus, quem ut talem agnoſcimus; licet omnino certi non ſimus de ſervata in uxore fidelitate. Sic voluntatem Teſtatoris agnoſcimus, & exequimur in Teſtamento, licet certi non ſimus Notarium fideliter, quid Teſtator dixerit, exaraſſe; dummodo nulla ſit de fidelitate Miniſtri ſuſpicio. Si hæc itaque in humanis gravioribus negotiis ſufficit prudens certitudo, cur & ſimilis & in ſpiritualibus non ſufficiat? Ad ultimum reſpondemus, Eccleſiam ſecuram, certamque reddi de vero, & legitimo Sacerdotio ſibi nunquam auferendo ex Chriſti ſui Capitis providentia, & promiſſionibus, qui ſpopondit ſe illi adfuturum uſque ad conſummationem ſæculi in Sacramentis operando; licet in ſingulari hunc, vel illum, qui inter Sacerdotes enumeratur, rite eſſe ordinatum infallibili evidentia conſtare non poſſit: eo ferme pacto, quo certi ſumus, genus humanum nunquam uſque ad finem mundi defuturum, licet certo, & infallibiliter non ſciamus, hunc, vel illum in ſingulari ex ſuo Matrimonio filios progeniturum.

§. II.

De variis modis, quo intentio in Sacramentum conficiendum ferri poſſit.

XI. Ad doctrinæ complementum inſpicienda ſupereſt Miniſtri intentio ex parte modi, quo in objectum fertur. Pluribus itaque modis objectum ſuum reſpicere poteſt Miniſtri intentio; videlicet, 1. abſolute, & conditionate: 2. expreſſe, vel confuſe: 3. actualiter, virtualiter, habitualiter, & interpretative: 4. directe, indirecte, determinate, & vage. Intentio itaque *abſoluta* dicitur, quando quidpiam ſine ulla vel exceptione, vel reſtrictione intenditur; ut cum in præparatione Miſſæ Sacerdos ex Eccleſiæ pio more pronunciat, *Ego volo celebrare Miſſam, & conficere Corpus, & Sanguinem &c. Conditionalis*, quando dependenter ab aliquo eventu præterito, aut ſimultaneo, aut ficto aliquid intendimus; ut quando ex Eccleſiæ præſcripto in dubio de Baptiſmo rite collato adhibetur formula: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c. Expreſſa*, ſeu *explicita*, qua aliquid in ſe diſtincte cognitum volumus, quæ & *particularis* vocatur: ut cum quis in Baptiſmo determinatum infantem, quem de nomine vocat, abluit. *Implicita*, & *generalis*, qua aliquid ſolum confuſe, & in genere apprehenſum affectatur, volendo ſcilicet id, in quo, vel ſub quo continetur; ut cum Sacerdos intendit conſecrare omnes hoſtias in Pixide contentas. *Actualis*, ſeu, ut melius alii volunt, *formalis* intentio eſt, qua quis, dum conficit opus, actu cogitat de illo faciendo, & ſimul vult illud facere. *Virtualis* eſt voluntas *faciendi*, quæ quoad formalem, & expreſſivum actum non amplius exiſtit, ſed in effectu, & determinatione in ſe relicta perſeverat: quoniam manet adhuc aliquis motus, & tendentia ad opus, quod incepit ipſius cogitatione, licet cogitatio ſaltem reflexa ſenſim evanuerit; ut cum Sacerdos Miſſam celebrans mente vagatur, & conſecrationis verba diſtractus pronunciat. *Habitualis* intentio eſt, quæ alias habita, nec unquam contrario propoſito revocata, tamen nec in ſe, nec in ſua virtute, nec aliquo effectu a ſe relicto amplius viget; ſeu, ut alii dicunt, eſt habitus frequentatione ſimilium operum acquiſitus, qui voluntati facilitatem, & propenſionem tribuit ad ea replicanda, ſive ipſamet facilitas, & inclinatio ex tali habitu procreata; cujuſmodi eſt in ſeniori Parocho miniſtratio Sacramentorum, etiam dum vel dormit, vel comedit. *Interpretativa* intentio eſt, quæ nec actualiter adeſt, nec unquam revera extitit in operante, ſed præſto eſſet, ſi ejus objectum menti occurreret, & mens voluntati propoſuiſſet: quare eſt ſola diſpoſitio voluntatis ad hujuſmodi intentionem in datis circumſtantiis eliciendam; cujuſmodi foret intentio Parochi Baptiſmum conferendi parvulo nondum integre e utero Matris egreſſo, ſi de vita periclitaretur. *Directa* intentio eſt, qua aliquid immediate, & in ſe ipſo conſideratum volumus; ut cum Sacerdos actu, dum conſecrat, vult conſecrare. *Indirecta*, qua immediate ejus cauſam, vel quidpiam cum illa connexum intendimus, quod inde conſecuturum prævidetur; ut intentio communicandi aliquem ex aſſiſtentibus in Sacerdote, ad Altare præter majorem hoſtiam, aliam minorem conſecrandam deferente. *Determinata* denique intentio habetur, quando hæc ad certam determinatam materiam, vel perſonam, circa quam vertitur operatio, dirigitur; cujuſmodi eſt intentio abſolvendi in Sacerdote moribundi confeſſionem audiente. *Indeterminata*, quæ nec ad materiam definitam, nec ad certam perſonam ſeſe coarctat; cujuſmodi eſt intentio abſolvendi pœnitentes in Sacerdote ad Confeſſionale accedente. His præjactis expendendum modo, quænam deſideretur intentio ex parte horum modorum in Miniſtro pro valida, & licita Sacramentorum confectione, & adminiſtratione.

XII. Ad valorem Sacramenti non ſufficit intentio nec habitualis, ne interpretativa, nec indirecta. Veritas hujus propoſitionis ſic comprobatur. Non ſufficit intentio habitualis, quia juxta Chriſti inſtitutionem ad Sacramenta perficienda requiritur in Miniſtro actio humana, & deliberata: porro talis non eſt, quæ habituali dumtaxat intentione præſtatur, utpote quæ illius motione, & virtute nequaquam editur. Nam intentio, quæ tum in ſe, tum quoad motus aliquando excitatos omnino præteriit, licet contraria voluntate ſublata non fuerit, nihil influit in opus, quod poſtea fit, & ad illud æque ſe habet, ac ſi emiſſa nunquam fuiſſet; propterea & in dormiente, ebrio, amente etiam reperiri poteſt. Quamobrem non conſecraret Sacerdos ebrius, qui ſupra vinum verba conſecrationis proferret. Neque ſufficit intentio interpretativa, quia proprie non eſt intentio, ſed intentionis præſumptio, ſive non eſt intentio quæ ſit, ſed quæ adeſſet, ſi objectum proponeretur: & hæc quoque locum habere poteſt in dormiente. Sed neque intentio indirecta parit actionem, quæ in ſe humana, libera, atque moralis exiſtat, ſed ſolum in id fertur, quo poſito actio ſecutura præſcitur; proinde ad Sacramentum conficiendum apta non eſt: alioquin valeret Baptiſmus in ebrietate, vel ſomno collatus, ſi qui ebrietati, vel ſomno indulget, a ſe in illa mentis impotentia quid tale factum præviderit. Nec dicas, eſſe voluntariam in ſua cauſa, quæ libere ponitur, ut voluntariæ habentur blaſphemiæ in ebrietate prolatæ ab illo, qui noverit ſe eb-

ebrium in blaſphemias prorumpere. Nam magnum eſt diſcrimen inter utrumque. Ad peccandum ſufficit libertas in cauſa, ſeu ſatis eſt, quod crimen, ut prævifum, volitum fuerit vel in ſe, vel in ſua cauſa. At Sacramentum debet eſſe actio exercite humana, quæ ab ipſa voluntate ſui compote, ipſam actionem cognoſcente, & volente proficiſcatur; proinde minus requiritur ad peccandum, quam ad recte agendum juxta illud axioma, *Bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu*.

XIII. Ad valorem Sacramenti non requiritur formalis, ſeu, ut alii eam appellant, actualis intentio; ſed ſufficit, & idonea eſt ſola virtualis. Et quidem non requiri, nec neceſſariam omnino eſſe formalem, & actualem intentionem id ſuadet, quia, ut optime animadvertit S. Thom. hic q. 64. art. 8. ad 3. *vix eſt in humanæ mentis poteſtate, quæ propter incurrentium phantaſmatum obſidionem, & tumultum in frequentes labitur evagationes*, „ & quia (verba ſunt S. Th.) *præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare*, ſecundum illud Pſal. 39. v. 13. *Cor meum dereliquit me*. Quamobrem, ut ex ſenſu, & praxi Eccleſiæ intelligitur, non eſt ad valorem Sacramenti omnino neceſſaria, qui certe frequentiſſime intercideret, ſi ab ea penderet; meritoque non creditur ad Religionis myſteria majorem animi niſum & mentis applicationem Chriſtum ab hominibus poſtulaſſe, quam naturalis illorum infirmitas pollicetur, & quæ etiam in negotiis, & actionibus humanis pro illorum firmitate deſideratur. Sufficere vero virtualem ex hactenus dictis conſequitur, & docent univerſi Theologi cum S. Thom., qui tamen hanc, quam nos dicimus virtualem, habitualem ipſe vocavit; niſi cum Patre Nicolai dicere velimus, oſcitantia Amanuenſium, & Impreſſorum fuiſſe mutatum vocabulum, ut ipſe ex quibuſdam antiquioribus editionibus nititur evincere. Hoc autem certum eſt, ipſi habituali intentioni eam notionem, & ideam aſſignaſſe S. Doctorem, quam nos virtuali tribuimus, prout ex ipſis ejus verbis patet manifeſte, ſic q. 64. art. 8. ad 3. ſcribentis: „ Licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti: puta cum Sacerdos accedat ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia: unde ſi poſtea in ipſo exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum “. Cum vero virtualis intentio ab actuali diſtinguitur (quæ forte melius formalis, & reflexa diceretur) communis potius loquendi modus, quam veritas ipſa ſpectatur. Nam & ipſa intentio, quæ virtualis dicitur, actualis eſt, immo ipſamet intentio a principio actionis elicita, actu perſeverans in ſe, ſed ſine actuali advertentia, & reflexione agentis ad ipſam. Et certe aliquam ejus, quæ fit, actionis tenuem, ſubobſcuram, & imperceptibilem cogitationem ſuperſtitem eſſe in eo, qui ex virtuali intentione operatur, merito inde colligunt graviſſimi Auctores, quia ceſſante omni prorſus cogitatione, vix poteſt intelligi perſeverare aliquam in voluntate, & potentiis ab ea motis determinationem, vel impetum ad opus antea ſuſceptum. Niſi cum aliis dicere malimus, virtualem intentionem facilius intimo ſenſu cognoſci, quam verbis explicari.

XIV. Ad Sacramenti valorem neceſſaria eſt intentio determinata quoad materiam, & etiam quoad perſonas, quibus id miniſtratur, & adminiſtrando conficitur Sacramentum, ita ut error ſubſtantialis, quoad hæc, illius valorem impediat. Et quidem prima pars noſtræ poſitionis ſic evincitur. Quia intentio Miniſtri debet eſſe determinata circa ea omnia, quæ ad Sacramenti perfectionem ſunt ſimpliciter neceſſaria; ideoque ad certam materiam, formam, & perſonam referri debet, ut ſit efficax, & operativa; nam omnis practica operatio circa aliquod ſingulare, & determinatum verſetur, oportet. Idipſum confirmatur Sacramentorum verbis, *Baptizo te, abſolvo te*: nam illa pronomina determinatam deſignant perſonam, ad quam Miniſtri dirigatur intentio, ſicut & in forma Sacramenti Euchariſtiæ pronomen *hoc* denotat determinatam materiam conſecrationi deſtinatam. Altera vero pars ex eo conſtat, quia ſi intentio Miniſtri ad hanc materiam, ſive perſonam feratur, & actio externa circa aliud verſetur, manifeſtum eſt eam actionem non procedere ab intentione, & voluntate Miniſtri, quatenus in diverſa perſona, vel materia terminatur, atque perficitur, ideoque non eſſe vere Sacramentalem, aut Sacramenti effectricem. Id videre eſt in Matrimonio, quo ſi verba conſenſus in Rachelem ferantur, & loco ejus Lia conſentiat, nullum eſt Matrimonium. Non tamen ſemper error in perſona, cui Sacramentum applicatur, ipſius efficientiam impedit. Nam in Sacramento Euchariſtiæ, cujus confectio ab adminiſtratione, & uſu ſeparatur, in neutra harum functionum opus eſt intentione circa determinatam perſonam. Non in confectione, quæ materiam tantum conſecrandam, ut in illius forma apparet, non ſuſcipientis perſonam reſpectat: ſed nec in diſpenſatione, quia tunc jam Sacramentum confectum eſt, neque amplius pendet ab intentione Miniſtri. Idcirco ſignanter perſonas indicavi, quibus Sacramentum adminiſtratur, & adminiſtrando conficitur. Pari pacto (excepto Matrimonio, cujus valori, ut mox diximus, ſemper obeſt error in perſona) in Sacramentis præfatus error plerumque ſpeculativus eſt, & accidentalis, non practicus, & Sacramentalis: ut ſi Sacerdos abſolutionem impendat Petro, quem Paulum exiſtimabat, vel prolem baptizet Caji, quam a Sempronio genitam credit, validum eſt Sacramentum: quandoquidem ejus intentio ad perſonam præſentem, quæ ſua peccata confitetur, aut offertur baptizanda, quæcumque reipſa illa ſit, directa, & determinata cenſetur, ita ut practicæ operationis, & voluntatis objectum opinionis falſitas non immutet; niſi forte imprudenter ita præciſe intendat Miniſter Paulum abſolvere, & baptizare filium, quem a Sempronio genitum credit, ut omnes alias perſonas excludat.

XV. Valori Sacramenti officit intentio Miniſtri conditionalis, quotieſcumque non ſtatim tranſit in abſolutam. Quandoquidem ad validam Sacramentorum confectionem requiritur efficax intentio, & voluntas, cujuſmodi non eſt intentio conditionalis, niſi ſtatim per conditionis adimpletionem in abſolutam tranſeat: nam quandiu condi-

ditio pendula eſt, & voluntas manet ſuſpenſa, nihil efficit actu, & in præſenti. Quamobrem ſi conditio, cui Miniſtri intentio ſeſe devincit, eſt de re futura, ſeu de objecto exiſtentiam expectante, ut ſi dicat Sacerdos, ego te abſolvo a peccatis, ſi peccandi occaſionem deſerueris, ſi reſtitueris, irritat Sacramentum; licet poſtea has conditiones impleri contigerit: quia hujuſmodi conditio ſuſpendit præſentem intentionem, & facit, ut Miniſter non habeat in præſenti voluntatem faciendi Sacramentum. Neque hic defectus ſequente conditionis eventu ſanatur: nam tunc non amplius materia, & forma Sacramenti exiſtunt, neque eſt in poteſtate, & arbitrio hominis illud conficientis, dum applicat ſignum Sacramentale, ejus efficaciam ad futurum tempus protrahere; cum hoc ex ſola Chriſti pendeat inſtitutione, & voluntate. Quod ſi conditio, quam reſpicit Miniſtri intentio, præſentis, aut præteriti temporis effectum connotet, tunc vel Sacramentum irritum reddit, vel efficax, & validum. Primum quidem ſi poſita conditio nec fuit, nec modo eſt; tunc enim nulla adeſt intentio: alterum vero, ſi extitit, aut adhuc ſupereſt; nam tunc intentio abſoluta evadit, quia voluntas conditionalis, poſita, & verificata conditione, tantundem valet, & efficit, ac ſi nulla eſſet implicata conditione: ut cum quis baptizat ſub hac conditione, *ſi non es baptizatus, ego te baptizo* &c. valide baptizat eum, qui hoc Sacramentum nondum accepit; hunc enim reipſa ſua intentione Miniſter reſpicit: ſi vero baptiſmum alias accepit, eum præſenti ſua intentione nequaquam Miniſter complectitur, adeoque nec baptizare cenſetur. Verum de hoc fuſior, & accuratior redibit ſermo, dum de forma Sacramentorum diſputabimus.

CAPUT NONUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Intentio ſufficiens ad valorem Sacramenti qualis ſit.*
II. *Quando iteranda ſint Sacramenta ob intentionis defectum.*
III. *De eodem argumento.*
IV. *Metus gravis non tollit intentionem ſufficientem ad valorem Sacramentorum.*
V. *Peccant, qui ex negligentia actualem intentionem non habent.*
VI. *Peccant, qui ſine urgente neceſſitate conditionate, etiam conditione de præſenti, vel de præterito Sacramenta miniſtrant.*

Conſectarium Primum.

I. SUfficit ad Sacramentorum valorem ea Miniſtri intentio, qua velit ſerio peragere totum illum ritum exteriorem, quem a Chriſtianis ut ſacrum, & religioſum, utcumque de illo ſentiat, adhiberi cognoſcit. Hujus poſitionis veritas ſequitur ex iis omnibus, quæ diximus cap. præced. n. 2. 3. 4. 5. quorum eſt legitimum Conſectarium. Nam non requiritur *explicita* intentio faciendi formaliter Sacramentum, quæ in Infideli, Pagano, Judæo vix concipi poteſt. Non ſufficit voluntas, ſeu intentio utcumque, licet *materialem* eundem ritum materialiter exequendi. Eſt igitur neceſſaria, & ſufficiens hæc, quam modo expoſuimus. Et revera ex Conciliorum, Pontificumque definitionibus ſolum in Miniſtro ad Sacramenta valide perficienda poſtulatur intentio faciendi, quod facit Eccleſia: non quidem particularis, expreſſa, & diſtincta, nam hæc Sacramentum, qua Sacramentum eſt, formaliter reſpicit; ſed ſaltem implicita, confuſa, & in alio generaliori objecto contenta. Hujuſmodi vero intentio concipitur, & efformatur ab eo, qui vult ſerio peragere ritum, quem novit a Chriſtianis ſacrum, & religioſum haberi. Nam qui hunc ſibi præfigit ſcopum, vult conſequenter facere, quod Chriſtus inſtituit, quod Eccleſia facit, quod reipſa eſt Sacramentum; licet ille aut inutilem ritum, aut ſuperſtitioſum, aut profanum putet; eapropter, ſi præfata non deſit intentio, ſuus ex hoc capite Sacramento valor conſtabit. Hanc autem intentionem in illo deeſſe, qui, licet ritum externum ſerio peragat, intus animo ſtatuit non facere, quod facit Eccleſia, ex eo aperte convincitur, quia data opera, & expreſſe, quod poſtulant Eccleſiæ definitiones, excludit, & quodammodo proteſtatur, ſe nolle facere ritum, quem Chriſtiani ſacrum, & religioſum agnoſcunt. Nec dicas in agente hoc perverſo modo duas inveniri plane contrarias voluntates, nimirum internam, qua proteſtatur ſe nolle facere, quod facit Eccleſia, & aliam pariter internam, qua vult facere ſerio, & exterius ritum, quem facit Eccleſia: in conflictu autem harum duarum ſibi adverſantium voluntatum illam prævalere, & vincere, proinde efficaciorem eſſe, quæ in actus erumpit, dum altera in animo ſedet iners, & otioſa; adeoque valere ad Sacramentum conficiendum. Non, inquam, hoc dicas, quia contrariæ minime ſunt præfatæ duæ voluntates; cum non idem, ſed diverſum plane reſpiciant objectum. Altera enim eſt voluntas non faciendi, quod facit Eccleſia, ſive rem ſacram, & Sacramentum; altera faciendi functionem externam indifferentem ad rem ſive ſacram, ſive profanam: quæ duæ voluntates non ſunt profecto contrariæ, ſed unaquæque circa ſuum objectum efficax. Clarius, & melius: duæ ſunt in hoc impio Miniſtro (non enim, niſi impius, hanc poteſt ſimulationem concipere) voluntates diverſum plane objectum reſpicientes. Altera, qua ritum ſacrum, religioſum, ejuſque effectum, quæ omnia probe novit, ſe nolle præſtare, & facere intus in animo proteſtatur: altera voluntas vitandi ſuæ iniquitatis pœnam, ſi innoteſceret, unde ſimulat, & fingit exterius ritum materialem, quem facit Eccleſia, & ſic illum irridet, ac ſubſannat. Hæ autem duæ voluntates, ut patet, minime ſibi adverſantur. Sed efficaces æque ſunt circa ſuum objectum: nam & Sacramentum, quod non vult, minime conficit; & ſimul ſuam nequitiam occultando, materialiter peragendo ritum externum, pœnam, quam timet, evitat. Non eſt igitur in eo ſufficiens intentio ad valorem Sncramenti requiſita.

Conſectarium Secundum.

II. Poſita præfata pravitate Miniſtri, & ea aliquo modo innoteſcente, non ſtatim ſunt reiteranda Sacramenta ab ipſo collata. Ita docet Summus

mus Pontifex Benedictus XIV. in ſuo de Synodo opere lib. 7. cap. 4. n. 9. ſcribens. „ Si conſtet, „ quempiam aut Baptiſmum contuliſſe, aut aliud „ Sacramentum ex iis, quæ iterari nequeunt, ad- „ miniſtraſſe, omni adhibito externo ritu, ſed in- „ tentione retenta, aut cum deliberata voluntate „ non faciendi, quod facit Eccleſia, urgente qui- „ dem neceſſitate, erit Sacramentum iterum ſub „ conditione perficiendum: ſi tamen res moram „ patiatur, Sedis Apoſtolicæ oraculum erit expe- „ ctandum, quemadmodum ad Severum Scolaſti- „ cum ſcripſit Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis „ Diaconus in difficili quæſtione, qua tunc Eccle- „ ſia fatigabatur, doctis, indoctiſque in varias par- „ tes ſciſſis, inquiens: *Interroga vir prudentiſſime,* „ *ſi quid veritatis cupis audire, principaliter Apo-* „ *ſtolicæ Sedis Antiſtitem, cujus ſana doctrina con-* „ *ſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine au-* „ *ctoritatis* ". Hanc eamdem doctrinam antea ut veram, & legitimam tradiderat Natalis Alexander de Sacramentis in genere cap. 7. a. 3. Reg. 1. ſcribens. „ Cum in hac hypotheſi nonnulli Theologi „ ſentiant iterandum Sacramentum ſaltem ſub con- „ ditione, quod id tutius ſit, nullique periculo „ videatur obnoxium, conſultius eſſe exiſtimo, ſi „ quando caſus emerſerit, ut Sacerdotes in hac „ ambiguitate quæſtionis, Epiſcopum rogent, quid „ facto ſit opus. Epiſcopus vero, ſi res moram pa- „ tiatur, & neceſſe judicet, Sedem Apoſtolicam „ conſulat, ad quam *Majores Eccleſiæ cauſas, &* „ *difficiliores quæſtiones Fidem*, aut diſciplinam ſpe- „ ctantes referendas eſſe, conſtat ex ſacris Canoni- „ bus, & conſuetudine ſemper in Eccleſia obſerva- „ ta, ut confirmatur Tom. 3. cap. *Majores* Extra. „ *de Baptiſmo, & ejus effectu*. Secundum autem ju- „ dicium, & reſponſum Romani Pontificis iteran- „ dum erit ſub conditione, vel ſine conditione, vel „ non iterandum in hujuſmodi hypotheſi Sacramen- „ tum ".

Conſectarium Tertium.

III. Licet valide conferret Sacramentum, qui habens intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, nollet ritum ut verum Sacramentum peragere, vel ejus effectus prava intentione impedire vellet; graviſſimo tamen crimine pollueretur. Hæc propoſitio eſt de ſe adeo clara, & manifeſta, ut nulla indigeat probatione confirmari. Quis enim non intelligit, graviſſimum eſſe piaculum intentioni Chriſti in Sacramentorum adminiſtratione reluctari; & finem, ob quem ille eadem inſtituit, & adhiberi præcepit, irritum velle, & excluſum? Profecto, qui talem in animo perverſitatem admittit, Sacramenti profanatorem ſe exhibet, miniſterii ſui fidelitatem offendit, & caritatem ſui proximi violat, in cujus maximum bonum Sacramentorum cedunt effectus, quos licet in re impedire non poſſit, animo tamen impedire conatur.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui Sacramenta adminiſtrat ex metu gravi, etiam in virum conſtantem cadente, non caret vera intentione faciendi, quod facit Eccleſia. Oppoſitum docet Serryus. Verum noſtra aſſertio longe eſt probabilior: nam timor ille, quantumvis ſummus (niſi tantus ſit, & repentinus, ut rationem turbet, & mentem auferat) non impedit, ne qui Sacramentum confert Baptiſmi, habere poſſit in ejus adminiſtratione voluntatem faciendi, quod facit Eccleſia, & licet metu faciat, rite tamen, & recte facit; ſicut qui metu mortis a judice cogitur ad virginem, quam violavit, deſpondendam, non impeditur, quin conſenſum verum, licet coactum, in Matrimonium præbeat, & proinde verum Sacramentum efficiat. Invaliditas autem Sacramenti Matrimonii ex metu injuſte incuſſo extorti, non ex defectu legitimæ intentionis oritur, ſed ex poſitivo jure hanc invaliditatem inducente, ut ſuo loco explicabimus. Præterea metus gravis non tollit ſimpliciter voluntarium, ſed ſolum minuit; proinde Sacramentorum miniſtratio adhuc voluntaria eſt, & cum legitima intentione ſociari poteſt.

Conſectarium Quintum.

V. Tametſi in Sacramentis ad eorum valorem ſufficiat intentio virtualis; peccant tamen Miniſtri, qui actualem habere negligunt: quod peccatum grave eſſe poteſt, aut leve, juxta negligentiæ vel tenuitatem, vel gravitatem. Et quidem eos peccare, qui actualem habere intentionem negligunt, docet S. Thom. q 64. a. 8. ad 3. dicens: *Studioſe curare debet Sacramenti Miniſter, ut etiam actualem adhibeat*. Et S. Carolus Borromæus in Inſtructionibus de Sacramentis inſinuat: *in ipſa miniſtratione animo, menteque defixus erit in cogitatione Sacramenti, quod miniſtrat, idque, quantum fieri poteſt, ſtudioſe curabit*. Et revera ita poſtulat dignitas, ſanctitas Sacramentorum, quibus irreverentiam irrogat, qui animo diſtractus, & mente vagante ea vel conficit, vel miniſtrat. Quæ irreverentia tanta eſſe poteſt, ut gravem culpam inducat, & offenſioni ſit adſtantibus, quemadmodum non adeo raro, ſicut optandum eſſet, cernitur, præcipue in celebratione Miſſæ, in qua ſanctum Sacrificium ita irreverenter a quibuſdam tractatur, tanta celeritate completur, tanta indevotione perficitur, ut certe majori cura, ſtudio, & attentione profanum inſtruatur, & miniſtretur temporale prandium. Sed de his iterum ſuo loco.

Conſectarium Sextum.

VI. Peccant, qui ſine urgente neceſſitate conditionate, etiam conditione de præſenti, vel de præterito, Sacramenta miniſtrant. Hujus doctrinæ veritas luculentius conſtabit, dum de forma conditionali agemus; interim ſic probatur. 1. Quia extra caſum graviſſimæ neceſſitatis eſt contra uſum Eccleſiæ conditiones Sacramentis apponere, præſertim ſi nugatoriæ ſint, & fruſtraneæ; ut ſunt, *Si Deus cognoſcat te reſtituturum, ſi cras ſol orietur*, &c. 2. Quia injuria irrogatur Sacramentis, quod rite, & recte, & cum perfecta cognitione operis, quod agitur, præſtandum eſt. 3. Quia ſine neceſſitate conditionem addere quandam nugationem præſefert. Unde peccant lethaliter, qui accedentes ad confeſſiones audiendas hanc vel mente, vel ore apponunt conditionem, *volo omnes, & ſolos abſolvere, qui erunt legitime diſpoſiti*: quia

quia ad Miniſtrum pertinet ſingulorum diſpoſitiones rite, & accurate perpendere Pœnitentium, & recto efformato judicio, vel abſolute abſolvere, vel dilata abſolutione dimittere; ut fuſius oſtendemus de Sacramento Pœnitentiæ tractantes. Nec obſtat, hanc intentionem conditionatam ſemper in omnibus Confeſſariis adeſſe, cum nullus ſit, qui velit indiſpoſitos abſolvere, & nolit Sacramentum miniſtrare, prout poteſt, & debet. Nam hæc intentio eſt interpretativa duntaxat, quæ proinde in Sacramentum non influit, ſed ſolum indicat, neminem Miniſtrum velle illi Sacramentum miniſtrare, ſi illum vel ineptum, & indiſpoſitum agnoſceret, vel ſciret ſe non poſſe, nec debere Sacramentum adminiſtrare. Sunt, qui putant, conditionem appoſitam, etiam de re præſenti, ſed humanæ cognitioni impervia, c. ex. ſi quis diceret, *Si es prædeſtinatus, ego te baptizo* &c. nullum reddere Sacramentum; quia non ſunt interponendæ conditiones, niſi de rebus, quæ humano modo cognoſci poſſunt. Et certe Baptiſma ſub hac conditione collatum, dubium teneret, ſuſpenſum, & incertum ſubjectum de ſui valore, & de effectu, Sacramentalis ſcilicet characteris, conſecutione: unde talis homo periculo eſſet expoſitum profanandi cetera omnia, quæ ſuſciperet, vel miniſtraret Sacramenta; proinde cenſerem illum ſub conditione rebaptizandum. Nec obſtat, quod ſi hæc doctrina vera foret, nec eſſet validum Baptiſma collatum ſub hac conditione, *ſi non es baptizatus, ego te baptizo*, quando hoc factum nullo modo deprehendi poteſt. Nam 1. Per accidens eſt, quod nullo modo deprehendi poſſit, cum alias per ſe ſit quid perveſtigabile; agitur enim de facto humano: ubi ex adverſo in priori caſu non niſi divina revelatione veritas dignoſci poteſt. 2. Hæc formula baptizandi conditionata, ſive veritas deprehendi poſſit, ſive non poſſit, eſt Eccleſiæ praxi adprobata. 3. Quia baptiſmo ea conditione collato certo conſulitur ſaluti ſuſcipientis, qui ſemper tutus eſt de ſuſcepto Baptiſmo. Nam eſt vere baptizatus primo, vel ſecundo: primo, ſi collatum, & valide collatum fuit baptiſma; ſecundo, ſi fortaſſis vel non collatum, vel invalide datum fuit antea Baptiſma. Similiter & alii invalidum putant Sacramentum collatum ſub hac conditione, *ſi non es hæreticus, ego te baptizo*; quia talis conditio indicat intentionem contrariam Eccleſiæ intentioni, quæ Baptiſmum hæreticis datum ratum habet, & validum. Sed hæc mera eſt petitio principii. Nam ratum quidem habet Eccleſia baptiſmum hæreticis collatum cum debita intentione: ſed utrum hæc deficiat in noſtro caſu, quæſtionis eſt argumentum. Ipſe puto non conſiſtere veram intentionem faciendi, quod facit Eccleſia in illo, qui vel ex errore, vel ex odio hæreticorum nollet conferre illis Sacramentum baptiſmi, ſi tales forent: proinde, ſi revera hæreticus ſit, nullum erit Baptiſma; validum vero, ſi nulla ſit hæreſi commaculatus.

CAPUT DECIMUM.

De Sacramentorum ſubjecto, & conditionibus in eo requiſitis ad validam, & licitam Sacramentorum ſuſceptionem.

DOCTRINA.

I. *Soli homines viatores ſunt Sacramentorum capaces.*

II. *Intentio, & conſenſus in adultis requiritur ad Sacramenti valorem.*

III. *Et quidem per poſitivum actum expreſſus.*

IV. *Fides non eſt in ſuſcipiente neceſſaria ad valorem Sacramenti.*

V. *In Sacramentis mortuorum ſuſcipientis pii affectus requiruntur ad eorum fructum percipiendum.*

VI. *Ad vivorum Sacramenta fructuoſe ſuſcipienda ſufficit gratiæ habitualis ſtatus.*

VII. *Qui ſine cauſa Sacramenta recipit ab indigno, graviter peccat.*

VIII. *Licet tamen aliquando juſta de cauſa petere, & recipere.*

IX. *Quando non licet ab Hæreticis, Schiſmaticis, Excommunicatis Sacramenta recipere.*

X. *Quando conceſſum ſit.*

I. SAcramentorum ex divina inſtitutione capaces ſunt ſoli homines viatores, & ſtatim ac in lucem editi ſunt, aliquorum, omnium tamen non omnes. Et quidem ſolos homines viatores eſſe Sacramentorum capaces patet, quia cum, ut inquit Tridentinum in Proœmio ſeſſ. 7. „ Sacramenta ſint ſalutis æternæ comparandæ inſtrumenta, & organa, quibus omnis vera juſtitia „ vel incipit, vel incepta augetur; certo apparet „ illis ſolis convenire poſſe, qui ſanctificantem „ gratiam aut acquirere, ſi non habent, aut in „ ea proficere poſſint habentes “. Quod ſolius hominis viatoris proprium eſt: nam animæ ſeparatæ, & Angeli, ſive boni, ſive mali, cum jam ſint in termino vel adeptæ perpetuo, vel amiſſæ beatitudinis, gratiam vel recuperare, vel augere amplius non valent. Nec obſtat, aliquando & monſtra ſub conditione Baptiſmate ablui. Ideo enim abluuntur, quia ad humanam ſpeciem pertinere non imprudenter præſumuntur. Vix autem natus eſt homo, ad tria ſuſcipienda Sacramenta, Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ idoneus habetur, & olim illis ſimul in ſacro fonte miniſtrabantur; & modo in Eccleſia Græca Confirmatio a Baptiſmate non ſejungitur. Denique non omnes ad omnia Sacramenta ſunt idonei. Nam feminæ non ſunt morali idoneitate Ordinationis capaces; nec Regulares, aut ſacris Ordinibus initiati Matrimonii; nec homines ſani Extremæ Unctionis, nec B. Virgo Sacramentalis Confeſſionis, & abſolutionis, ſicut nec Extremæ Unctionis ob ſummam vitæ innocentiam, dum in terris verſabatur, capax erat. Infantes vero in utero matris exiſtentes, ſicut nondum nati ſunt, ita nec per Baptiſmum renaſci poſſunt; adeoque nec alia Sacramenta, quorum Baptiſmus eſt ja-

janua, ſuſcipere. Sed hæc breviter delibata ſuis locis accuratiori diſputatione explicabuntur.

II. In adultis rationis uſu ſaltem per intervalla fruentibus, vel aliquandiu potitis requiritur proprius ipſius accipientis conſenſus, & intentio, excepto Euchariſtiæ tamen Sacramento, quod cum in re permanente, non in aliqua tranſitoria functione, & uſu conſiſtat, nullatenus a recipientis voluntate ſuæ confectionis veritatem, atque exiſtentiam expectat. Et quidem de ſolis adultis loquimur, qui rationis uſu potiuntur, aut ſaltem aliquando habuerunt: nam infantes, vel perpetuo amentes, quibus nulla alia ſuppetit ſalutis via, baptiſmo donandos eſſe perpetua traditio, & praxis Eccleſiæ Catholicæ nos edocet. Ex quo Theologi communiter colligunt, etiam Confirmationem, & Euchariſtiam, immo & non pauci ipſam ſacram Ordinationem valide conferri (non tamen licite quoad hoc ultimum Sacramentum) uſum rationis non habentibus; eo quia in ſubjecto propriæ moralis diſpoſitionis incapaci hæc Sacramenta, quæ nullum ex ſua eſſentiali inſtitutione ſuſcipientis actum involvunt, aut præſupponunt, ex opere operato agere, quantum poſſunt, non impediuntur. At non ita de Matrimonio, Pœnitentia, Extremaque Unctione ſentiendum, quæ locum in perpetuo ratione carente habere omnino non poſſunt: cum in Matrimonio, quod humanus eſt contractus, utriuſque requiratur conſenſus; in Pœnitentia vero actus Pœnitentis ipſam Sacramenti materiam conſtituant; & Extrema Unctio actualium peccatorum reliquias abſtergendas præſupponat, quæ profecto in rationis nunquam compote non reperiuntur. In adultis ratione utentibus neceſſarium eſſe ad valorem Sacramentorum ipſorum conſenſum perpetuo ſenſit Eccleſia. Nam in Concilio Carthaginenſi III. celebrato quarto deſinente ſeculo ſtatuitur cap. 34. *Ægrotantes, ſi per ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium ii, qui ſui ſunt, dixerint, baptizentur.* Quod confirmavit Arauſicanum I. medio VIII. ſeculo celebratum can. 12. decernens: *Subito obmuteſcens... baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat, aut præſentis ſuo nutu.* Quamobrem hanc veritatem expreſſe definivit Innoc. III. in cap. Miſ. Extra. de Baptiſmo 5. ultimo ſuo Decretali reſponſo in hæc verba: *Dormientes, & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent, quia in his intelligitur contradictionis propoſitum perdurare, etſi fuerint ſic immerſi, characterem non percipiunt Sacramenti: ſecus autem, ſi prius Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptiſmi, unde tales conſuevit Eccleſia in neceſſitatis articulo baptizare. Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum objectum voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem.* Et jure merito quia per Baptiſmum (inquit Sanctus Thomas quæſt. 68. art. 7.) *homo moritur veteri vitæ. Quare requiritur ſecundum Auguſtinum* (lib. 50. hom. hom. ult.) *in habente uſum liberi arbitrii voluntas, qua intendat vitæ novitatem, cujus principium eſt ipſa ſuſceptio baptiſmi. Et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, ſeu intentio ſuſcipiendi Sacramentum.* Quod autem dicimus de Sacramento Baptiſmi ſummæ neceſſitatis, & aliis Sacramentis eſt aptandum.

III. Non ſufficit ad validum Sacramentum in adultis illa talis voluntas, & intentio, quæ ſolam abſolutam animi repugnantiam amoveat, ſed ea requiritur, quæ poſitivum conſenſum inducat. Oppoſitum docent Cajetanus, & Ledeſma cum paucis aliis, cenſentes valide ſuſcipi Sacramentum, quoties quis contrariam non gerat voluntatem, etiamſi nullam poſitivam intentionem ſuſcipiendi conceperit. Verum poſita noſtra aſſertio omnino & ſola vera eſt, & probabilis. Nam ejus veritatem ſuadent, quæ ſuperius attulimus, rationum momenta, quæ profecto evincunt, poſitivam requiri in ſuſcipiente voluntatem, & intentionem, non meram repugnantiæ carentiam. Addimus auctoritatem D. Thom. hic q. 68. a. 7. aperte docentis. *Si adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Baptiſmum, eſſet rebaptizandus.* Et in art. 12. de amentibus, & furioſis ſubdit: *Si nulla voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum in eis apparuerit, dum ſuæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi.* Nec ſibi contradicit A. P. dum in IV. diſt. 6. q. 1. a. 1. quæſtiuncula 3. dicit: *Intentio, vel voluntas in baptizato non requiritur, quaſi cauſans deletionem culpæ originalis, ſed ſolum quaſi removens prohibens, ſcilicet contrariam voluntatem.* Nam hæc ipſa contrariæ voluntatis remotio in rationis uſu fruentibus, non niſi per oppoſitum conſenſum excludi poteſt, eo quia, qui poteſt velle, vel nolle Sacramentum recipere, cenſetur nolle, quoties non vult poſitive: & ideo, ſi actu, vel habitu intentionem recipiendi non habeat, contrarium ſaltem habitu habere putatur. Tale autum eſſe D. Th. ratiocinium ex integro textu, nec non ex reſp. ad 2. cuilibet legenti poteſt conſtare.

IV. Fides Catholica, & ſupernaturalis neque in adultis ratione utentibus ad validam Sacramentorum ſuſceptionem eſt neceſſaria, excepto Pœnitentiæ Sacramento. Ita docet S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cont. Donatiſtas cap. 14. ſcribens: *Nec intereſt, cum de Sacramenti integritate, & ſanctitate tractatur, quid credat, ac quali fide imbutus ſit ille, qui accepit Sacramentum. Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt. Fieri poteſt, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perverſam fidem; ſicut fieri poteſt, ut integra teneat verba Symboli, & tamen non recte credat, ſive de ipſa Trinitate, ſive de Reſurrectione, vel aliquid aliud.* Conſentit & D. Th. hic. q. 68. a. 8. dicens: *Recta fides baptizati, non requiritur ex neceſſitate ad Baptiſmum, ſicut nec recta fides baptizantis, dummodo adſint cetera, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti.* Confirmatur etiam ex ſenſu, & praxi Eccleſiæ, quæ ratum habet Baptiſmum, & ſacram Ordinationem, ſuſcepta in hæreſi, dummodo legitimus fuerit ſervatus ritus. Certum autem eſt ab hac doctrina excipiendum Pœnitentiæ Sacramentum, quod ſine contritione, & dolore ſupernatuli pœnitentis ſuas omnes eſſentiales partes non habet; cum actus pœnitentis hujuſce Sacramenti proximam conſtituant materiam, ut ſuo loco dicemus. Porro contritio ſine fide nec excitari, nec concipi poteſt: proinde illa eſt ad hujuſce Sacramenti valorem abſolute neceſſaria.

V, Ad Sacramenta mortuorum fructuoſe ſuſcipien-

pienda neceſſarii ſunt in adultis, ultra intentionem ea ſuſcipiendi, aliqui pii animi affectus, nempe fidei, ſpei, amoris &c. qui ſi deſint ex culpa ſuſcipientis, illicite, & ſacrilege ſuſcipiuntur. Nam cum per Sacramenta mortuorum homo juſtificetur, nullus adultus poteſt juſtificationis gratiam obtinere, niſi per aliquos pios motus Spiritu Sancto excitante ad eam ſeſe diſponat, & omnem obicem divinæ gratiæ removeat, quorum motuum primus, & veluti fundamentum eſt fides, ſine qua nec Baptiſmus ſalutem poteſt afferre, dicente Domino, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Præter fidem vero requiritur præteritorum peccatorum deteſtatio, ſpes, & ſaltem inchoata dilectio, ut clare explicat Tridentinum Concilium ſeſſ. *6.* cap. *6.* & nos de his Sacramentis agentes ſuo loco oſtendemus. Deficientia autem harum diſpoſitionum ſacrilegam reddi horum Sacramentorum ſuſceptionem patet manifeſte; quia ſua malitia Sacramentorum principalem effectum, nempe gratiam ſanctificantem, advertenter, & voluntarie impediunt. Qui igitur lethalis peccati conſcius, aut ſine attritione ad Sacramenta mortuorum, aut ſine perfecta contritione ad Sacramenta vivorum accederet, utraque ſacrilege, quia indigne, ſuſciperet. Immo ſumptioni Euchariſtiæ præmittere tenentur omnes, & præſertim Sacerdotes ex præcepto Tridentini ſeſſ. 13. cap. 7. Sacramentalem confeſſionem: quod & in aliis Sacramentis ſuſcipiendis præſtandum eſt, ut inferius ſuis locis declarabitur.

VI. Ad vivorum vero Sacramenta utiliter, & fructuoſe ſuſcipienda ſufficit ſolus gratiæ habitualis ſtatus, cui ſi adjungatur actualis devotio, uberior fructus inde percipitur. Adverſantur hujus doctrinæ priori parti plures Theologi, & quidem magni nominis, qui putant præter ſtatum gratiæ ad fructuoſe ſuſcipienda Sacramenta vivorum, & maxime Euchariſtiam, aliquam prærequiri in adultis diſpoſitionem, & devotionem. Verum, licet horum doctrina pia quidem ſit, & in praxi tenenda, tamen vera non eſt. Nam qui Sacramenta vivorum ſuſcipit in ſtatu gratiæ, nullum obicem ponit illorum primario effectui, qui eſt gratiæ ſanctificantis augmentem: carentia autem fervoris, & devotionis cum quolibet etiam intenſo gradu gratiæ jam obtentæ poteſt conſiſtere; adeoque nec ejus impedit infuſionem: alioquin, qui animo diſtracto acciperet, a peccato mortali excuſari non poſſet, quippe qui Sacramentorum effectui obicem poneret; quod nemo dixerit. Et certe Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. quod eſt de præparatione adhibenda, ut digne quis ſacram Euchariſtiam percipiat, docet: „ Communicare volenti revocandum eſt in memoriam Apoſtoli „ præceptum, *Probet ſe ipſum homo*. Eccleſiaſtica „ autem conſuetudo declarat, eam probationem „ neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati „ mortalis . . . ad ſacram Euchariſtiam accedere „ debeat “. Confirmat & D. Thom. 3. p. q. 79. a. 8. ſcribens: „ Peccata venialia dupliciter accipi poſſunt: uno modo, prout ſunt præterita; „ alio modo, prout ſunt actu exercita. Primo „ quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti . . . ſecundo „ autem modo non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum, ſed in parte. Dictum eſt „ enim, quod effectus hujus Sacramenti non ſolum „ eſt adeptio gratiæ, vel caritatis, ſed etiam quædam refectio ſpiritualis dulcedinis; quæ quidem „ impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente diſtractus; non „ autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, „ vel caritatis “. Quoad aliam poſitæ propoſitionis partem nullus eſt, qui ejus veritatem non agnoſcat, & libenter non admittat; cum certum compertumque ſit, Sacramenta ſuſcipientibus melius diſpoſitis abundantiorem ſanctificationem, etiam ex opere operato, conferre. At primæ parti noſtræ poſitionis opponunt Theologi aliter ſentientes doctrinam S. Thom. quam tradit in IV. Diſt. 12. qu. 2. a. 1. quæſtiuncula 3. ſcribens: „ Ad hoc, quod effectum ſuum (Euchariſtiæ Sacramentum) plene habeat in ſumente, oportet, quod adſit actualis devotio, & quia interdum abſque mortali peccato actualis devotio „ impediri poteſt, cum diſtractiones variæ ipſam „ impediant, & peccata venialia virtutum actum „ tollant, abſque peccato mortali poteſt effectus „ hujus Sacramenti impediri; ita quod aliquis „ augmentum gratiæ non conſequatur, nec tamen „ reatum peccati mortalis incurrat, ſed forte peccati venialis, in hoc quod imparatus accedat “. Non deſunt Theologi, qui revera cenſent, ita S. Th., cum junior eſſet, & ſententias exponeret, ſenſiſſe; ſed poſtea in Summa aliter docuiſſe, priorem ſententiam mutando, ut patet ex ejus allatis verbis. Verum nihil eſt, quod nos ita cogat reſpondere. Nam verba S. Thom. intelligi poſſunt de augmento gratiæ ex opere operato, quod reſpondiſſet actuali devotioni, & caritati ſuſcipientis; ut colligere eſt ex illis verbis, *ad hoc quod effectum ſum PLENE habeat in ſumente, oportet, ut adſit actualis devotio*. Abſentia itaque devotionis non abſolute impedit effectum Sacramenti, ſed illum *plenum* effectum, qui ſequeretur ex ſuſcipientis devotione, & pietate. Sed de hoc iterum cum de Euchariſtiæ Sacramento diſputabimus.

VII. Qui ſine rationabili cauſa Sacramenta ſuſcipit ab indigno, hoc eſt quem moraliter certus eſt ſacrilege, licet valide, miniſtraturum, graviſſime peccat. Hæc noſtra aſſertio communem continet Theologorum doctrinam, cui obſiſtit Leander cum paucioribus Probabiliſtis: & quidem ſic evincitur. Qui Sacramenta ab indigno recipit, caritatem Deo, & proximo debitam graviſſime lædit, qua tenetur impedire peccatum alterius, quantum poteſt, ſine notabili ſuo incommodo, & detrimento. Hic vero non ſolum non impedit, ſed etiam ſine juſta cauſa petendo, occaſionem peccandi porrigit, & accipiendo cooperatur ejus peccato. Quis enim magis cooperatur danti, quam petens, & accipiens? Nec dicas, peto rem licitam, & mihi utilem, quam ille licite præſtare poſſet, ſi vellet. Peto, vel accipio rem, quam ille mihi præbere paratus eſt: conſtat enim eſſe expoſitum ad Confeſſiones audiendas, ad Euchariſtiam miniſtrandam populo accedenti, vel qui ſaltem certe cuicumque poſcenti denegare non ſolet. Denique peto, quod ille mihi debet ex officio, eſt enim meus Parochus. Utor igitur jure meo, quo ob ejus improbitatem non ſum ſpoliandus. At reſpondeo: Petis quidem rem licitam, ſed quam in illis circumſtantiis illicite dandam cognoſcis: ideoque dantis peccatum, cum facile vitare poſſis, non vi-

vitas. Paratus eſt ille quidem dare, te tamen non petente non daret, nec malam ſuam voluntatem exequeretur, & hoc ſingulare ſacrilegium patrandi occaſionem non inveniret. Uteris jure tuo, ſed importune, & crudeliter: nam ſine damno tuo, & magno alterius beneficio potes abſtinere: ideoque licet nihil juris offendas, violas tamen caritatem, & in Deum pietatem. Ita docet S. Thom. Quodl. 11. art. 8. in corp. „ Quicumque Sacerdos „ in peccato mortali exiſtens celebrat (vel aliud „ Sacramentum conficit) peccat mortaliter: unde „ ſi conſtaret mihi, eum eſſe in peccato mortali, „ & inducerem eum ad celebrandum (vel aliud „ Sacramentum conficiendum) peccarem mortali- „ ter. Et hoc eſt ſecundum ipſum jus naturale, quia „ hoc eſt provocare eum ad peccatum mortale.

VIII. Juſta, & legitima urgente cauſa, licet a Parocho, vel ab alio Sacerdote ad Sacramenta conferenda parato, ea petere, licet ille indigne, & illicite conferat; dummodo alius non ſuppetat Miniſter, vel ſine magno incommodo reperiri non poſſit, a quo recipiantur Sacramenta, quibus indigeo. Hanc veritatem indigitavimus Tract. de Virtutibus Theologicis Diſſ. 3. cap. 21. n. 21. Nunc evincimus. Quia non teneor, ut hujus peccatum evitem, quod ille evadere reſipiſcendo poteſt, & debet, ſpirituali meæ neceſſitati opportunum ſubſidium detrahere, aut me urgenti utilitate fraudare, atque tanto bono propter ejus voluntariam improbitatem carere. Scandalum enim, quod inde adminiſtraturus patietur, eſt acceptum, non datum, quod nemo ſuo damno ſpirituali in alio præcavere jubetur, immo nec notabili ſuarum rerum temporalium detrimento, quod longe minoris eſt conſiderationis, redimere. Et revera, ſi ut præſenti conſulam indigentiæ, licite mutuum peto ab eo, quod nonniſi ſub uſuris daturum prævideo, a fortiori in iis circumſtantiis ab eo, qui ſponte offert. Confirmat S. Thom. hic q. 64. a. 6. ad 2. ſcribens: „ Ille, qui ad Sacramenta accedit, ſu- „ ſcipit Sacramenta a Miniſtro Eccleſiæ, non in- „ quantum eſt talis perſona, ſed inquantum eſt „ Miniſter Eccleſiæ. Et ideo, quamdiu ab Eccle- „ ſia toleratur in Miniſterio, ille qui ab eo ſu- „ ſcipit Sacramenta, non communicat peccato e- „ jus, ſed communicat Eccleſiæ, qui eum tan- „ quam Miniſtrum exhibet “. Subdit vero in IV. Diſtinct. 24. qu. 1. artic. 1. quæſtiuncula 5. ad 3. „ Sed tamen præter neceſſitatis articulum non eſt „ tutum, quod eum induceret ad aliquod ſui Or- „ dinis exequendum, durante tali conſcientia, „ quod ille in peccato mortali eſſet: quam tamen „ deponere poſſet, quia in inſtanti homo a divina „ gratia emendatur “. Quæ poſtrema S. D. verba ſunt attente notanda, ne facile de indignitate Miniſtri judicemus. Non enim ſufficit ſcire, eum paulo ante in aliquod mortale incidiſſe peccatum: poſſum enim præſumere, jam ipſum reſipuiſſe eo etiam breviſſimo tempore, quod interlapſum eſt, & per Confeſſionem vel ſaltem Contritionem ad ſancte Sacramenta miniſtranda ſe præparaſſe. Multoque minus tenetur quis prætextu cavendi, ne ab indigno recipiat, inveſtigare cujuſpiam conſcientiam, & vitam; immo illicite huic incumberet inveſtigationi: nemo enim præſumendus eſt malus, niſi aperte conſtet; & de alterius moribus, conſcientia, & ſtatu inquirere, & inveſtigare privatæ non conceditur perſonæ. Cauſæ autem legitimæ recipiendi etiam ab indigno Miniſtro Sacramenta ſunt præter urgentem, & extremam ſpiritualem neceſſitatem, de qua in ſequentibus 1. obligatio confitendi, aut ſumendi Euchariſtiam Paſchali tempore ad ſatisfaciendum Eccleſiæ præcepto. 2. Prudens, & laudabilis ſollicitudo emergendi ex ſtatu peccati mortalis. 3. Gravis alicujus tentationis urgentia, quam ſine ſubſidio alicujus Sacramenti difficulter ſuperandam prævideo. Addunt nonnulli, notabilem utilitatem, puta Jubilæi, aut extraordinariæ alicujus indulgentiæ conſecutionem, vel ſcrupulorum, quibus multum angitur conſcientia, ſedationem; dummodo tamen in his omnibus caſibus alius Miniſter, vel ſine magno incommodo, reperiri non poſſit, a quo poſſim Sacramenta, quibus indigeo, recipere. Nam, ſi alius æque utilis, licet non æque gratus exiſtat, vel aliquandiu, ſine periculo prædicta beneficia omittendi, expectari queat, nulla utendi indigno Miniſtro cauſa ſubeſſe intelligitur.

IX. Extra caſum urgentis, & extremæ neceſſitatis non licet ab Hæreticis, Schiſmaticis, excommunicatis vitandis Sacramenta petere, vel ſuſcipere. Martinus V. Conſtitutione edita in generali Concilio Conſtantienſi declaravit, eos, qui majori excommunicatione ab Eccleſia præciſi ſunt, alios eſſe toleratos & non vitandos, alios non toleratos & vitandos. In hac ſecunda claſſe recenſentur notorii hæretici, & ſchiſmatici, vel nominatim excommunicati, ſive ſuſpenſi ab officio, declarati ut tales per ſententiam Judicis, necnon notorii Clericorum percuſſores. Ab his itaque, qui vitari præcipiuntur, Sacramenta petere, vel accipere extra neceſſitatis extremæ urgentis caſum non licere, ſine gravi peccato, omni vacat dubitatione; cum id fieri non poſſit ſine Eccleſiæ contemptu, quæ omnem cum talibus, ſed maxime in rebus ſacris, vetat communicationem. Quoad reliquos vero, qui ad 1. pertinent claſſem ſic ſtatuit Pontifex: „ Indulgemus, quod nemo deinceps a communio- „ ne alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, „ vel receptione, aut aliis quibuſcumque divinis „ vel extra, prætextu cujuſcumque ſententiæ, aut „ cenſuræ eccleſiaſticæ, a jure, vel ab homine „ generaliter promulgatæ teneatur abſtinere, vel „ aliquem vitare “. Ab iſtis igitur juſta, ut in „ præcedenti propoſitione diximus, cauſa interveniente licite peti, & accipi poſſe Sacramenta, conſequitur. Ita etiam docuit S. Thom. hic qu. 82. a. 9. ſcribens: „ Hæretici, Schiſmatici, & Ex- „ communicati ſunt per ſententiam Eccleſiæ exe- „ cutione conſecrandi privati. Et ideo peccat, „ quicumque eorum Miſſam audit, vel ab eis acci- „ pit Sacramenta. Sed non omnes peccatores ſunt „ per ſententiam Eccleſiæ executione hujus poteſta- „ tis privati .... Et ideo uſque ad ſententiam Ec- „ cleſiæ licet ab eis Communionem accipere, & „ eorum Miſſam audire “. Et confirmat q. 64. a. 6. ad 2. ubi poſt verba num. præced. recitata ſic ſubdit: „ Si vero ab Eccleſia non toleratur (pu- „ ta cum degradatur, vel excommunicatur, vel „ ſuſpenditur) peccat, qui ab eo accipit Sacra- „ menta, quia communicat peccato ipſius.

X. In caſu urgentis extremæ neceſſitatis, ſcilicet impendentis vitæ exitus, licet ab Hæreticis, Schiſmaticis, & excommunicatis, etiam non toleratis, certe

certe Baptiſmum ſuſcipere, & probabilius etiam Sacramentum Pœnitentiæ. Primam partem docet S. Auguſtinus lib. 1. cont. Donatiſtas cap. 11. dicens: *Si quem forte coegerit neceſſitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace Eccleſiæ cuſtodita, per aliquem extra unitatem Eccleſiæ poſitum acceperit, quod erat in unitate Eccleſiæ accepturus, ſi ſtatim etiam de hac vita migraverit, nonniſi catholicum deputamus: ſi autem fuerit a corporali morte liberatus, cum ſe catholicæ congregationi etiam corporali præſentia reddiderit, unde nunquam corde diſceſſerat, non ſolum non improbamus quod fecit, ſed etiam ſinceriſſime, vereque laudamus, quia præſentem credidit Dominum cordi ſuo, ubi unitatem ſervabat, ſine ſancto Baptiſmi Sacramento, quod ubicumque invenit, non hominum, ſed Dei eſſe cognovit, noluit ex hac vita migrare.* Ex quibus verbis duo notanda. 1. Sermonem eſſe de ſolo caſu extremæ neceſſitatis, urgentis mortis periculo, extra quod id minime licere declarat S. D. Immo nec in ipſo periculo extremæ neceſſitatis concedit, ſi adſit catholicus homo, a quo poſſit petere, & accipere regenerationis lavacrum. Subdit enim: *Si quis autem, cum poſſit in ipſa catholica accipere, per aliquam mentis perverſitatem eligit (licet in vitæ periculo conſtitutus) in ſchiſmate baptizari .... procul dubio iniquus eſt, & tanto pernicioſius, quanto ſcientius.* 2. Hanc praxim ab Auguſtino laudatam irreprehenſibilem haberi, dum dicit, *ſinceriſſime, vereque laudamus*, profecto non alia de cauſa, niſi ob ſummam Baptiſmi neceſſitatem. D. Auguſtino & D. Thom. concinit in IV. diſt. 5. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 5. ſcribens: „ Si „ malus Miniſter ſit præciſus ab Eccleſia, tunc „ peccat ab eo recipiens Sacramentum, niſi in ne- „ ceſſitate, in qua poſſet etiam a Pagano, vel Ju- „ dæo ſuſcipere „. Porro rationem ſummæ neceſſitatis plerique Theologi etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ extendunt, quod ſuſcipi poſſe ſentiunt in mortis periculo, &, quando præſto non eſt adprobatus, & legitimus Miniſter, a Sacerdote non tolerato, ſuſpenſo, degradato, & etiam hæretico, non ſolum quia divino urgente præcepto omnes loco cedunt Eccleſiæ prohibitiones, ſed præſertim quia ſine ejus Sacramenti reipſa ſuſcepti remedio moriturus magno diſcrimini ſuam æternam ſalutem exponeret: licet enim per actum contritionis cum voto Confeſſionis poſſit Dei gratiam recuperare; at perfectam concipere contritionem homini peccatori, & fortaſſis in peccatis ſordeſcenti non adeo eſt in promptu, ut de ejus veritate incertus magnis jactaretur angoribus, ſi abſolutionem tunc temporis obtinere non poſſit. Addunt eam ob cauſam, ne ſcilicet abſolutionis defectu Chriſtianus aliquis pereat, cuilibet Sacerdoti a quibuslibet peccatis abſolvendi in mortis articulo facultatem ab Eccleſia, & forte immediate a Chriſto conceſſam. In quo ſenſu intelligenda exiſtimant plures Theologi verba Tridentini Concilii ſeſſ. 14. cap. 7. *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis; atque adeo omnes Sacerdotes, quoslibet Pœnitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt.* At hæc verba nonnulli Theologi, & quidem, ut mihi videtur, accommodatius, & ad textum conſtrictius intelligunt de poteſtate abſolvendi a reſervatis conceſſa tunc Sacerdotibus, alias juriſdictionem ordinariam, vel delegatam habentibus. Sic enim proſequitur Tridentinum, *extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant.* Fatendum tamen eſt, omnes Theologos eam facultatem, & poteſtatem certe extendere etiam ad illos, qui nec ordinaria, nec delegata potiuntur Juriſdictione, nec aliam habent, niſi Ordinis poteſtatem, & etiam pleroſque ad illos, qui Sacerdotali inſigniti charactere, ſunt vel hæretici, vel ſchiſmatici, vel notorii excommunicati. Verum de hoc fuſius de Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT UNDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Non ſufficit ad valorem Sacramenti ſuſcipientis intentio ſimulata.*
II. *Sufficit tamen intentio habitualis.*
III. *Quæ & in Catechumenis, & ſurdis, ac mutis a nativitate poteſt reperiri.*
IV. *Conſcius lethalis peccati Sacramenta nec recipere, nec miniſtrare licite poteſt, non præmiſſa confeſſione, ſi poſſit.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. NOn ſufficit ad valorem Sacramenti intentio ſuſcipientis, qua ſolum ritum externum affectet, & ſimulet, Sacramenti autem effectum animo abjiciat, & nolit. Ita expreſſe docuit Sanctus Thomas 3. p. qu. 68. a. 7. ad 2. „ Si in adulto „ deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet „ rebaptizandus: ſi tamen hoc non conſtaret, eſſet „ dicendum: *Si non es baptizatus, ego te baptizo* “. Et clarius in Suppl. q. 45. a. 4. in corp. „ Si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non „ intendens recipere Sacramentum, ſed ludum, & „ dolum facere, non eſſet baptizatus “. Et jure quidem meritoque: nam intentionem ſuſcipiendi Sacramenta requiri in ſubjecto ea omnia evincunt argumenta, quæ ſuperius attulimus ad oſtendendum in Miniſtro Sacramentorum neceſſariam eſſe ad validam confectionem voluntatem ſinceram peragendi functionem Chriſtianis religioſam, & ſacram; cum & ſimilis ex parte objecti, & in ſubjecto ad validam ſuſceptionem deſideretur intentio. Illud tamen notandum, coram Eccleſia, quæ de internis non judicat, tali pacto baptizatum præſumi validum ſuſcepiſſe Baptiſma, adeoque & cenſuris, & pœnis ad chriſtianam retinendam Religionem adigi poſſe; nec ſuæ voluntatis occultum defectum alleganti fidem ullam eſſe habendam, & ſimul ob ſimulatum, & irritum Sacramentum ex ſua confeſſione, eſſe etiam a temporalibus Poteſtatibus puniendum.

Conſectarium Secundum.

II. Sufficit ad valorem Sacramenti in ſuſcipiente intentio habitualis, quæ ſcilicet ſemel habita contrario actu nunquam fuerit revocata, exceptis tamen Sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonii. Veritas

ritas hujus conſectarii paſſim ab omnibus admittitur Theologis, & confirmatur uſu & diſciplina, quam ſemper Eccleſia retinuit. Nam, ut ex teſtimoniis, quæ cap. præced. n. 2. attulimus, conſtat, nunquam Sacramenta neceſſaria concedere Eccleſia recuſavit iis, qui ſubita vi morbi oppreſſi obmuteſcerent, aut ſui compotes amplius non eſſent, ſi ab ipſis antea deſiderata fuiſſe aliquo indicio appareret. Porro in hujuſmodi hominibus neque actualis, ſive formalis intentio, quæ ſine mentis reflexione ad rem volitam ſtare non poteſt; neque virtualis, quæ aliquem motum, aut operationem a priori derivatam importat, locum habet. Superest igitur ſola habitualis, ſita in voluntate, olim habita, nec unquam revocata. Hanc igitur ſolam ad validam Sacramentorum ſuſceptionem ſufficere ſemper agnovit Eccleſia. Nec mirum videatur, hanc habitualem intentionem, quam in ſuſcipiente Sacramentum ſufficientem ad eorum validam ſuſceptionem adſtruimus, minime in Miniſtro ſufficere, ſed in eo ſaltem virtualem requiri. Nam Miniſter eſt agens, ſuſcipiens vero patiens: plus autem ad agendum requiri, quam ad mere ſuſcipiendum, nulli non eſt compertum, & exploratum. Excepimus tamen bina Sacramenta Pœnitentiæ, & Matrimonii: quia in priori ipſius Pœnitentis actus requiruntur ad eſſentialem Sacramenti materiam conſtituendam, qui, niſi ſint moraliter præſentes, & cum forma moraliter conjuncti, Sacramentum conſtituere non valent: in poſteriori vero contractus involvitur, qui ſine ſaltem virtuali conſenſu, nec in humanis perficitur.

Conſectarium Tertium.

III. Non eſt denegandum Baptiſma Catechumeno volenti Chriſtianam fidem amplecti, licet fortaſſis nondum neceſſitatem lavacri regenerationis agnoverit: ſicut nec mutis, & ſurdis a nativitate Sacramenta ſummæ neceſſitatis, ut Baptiſmus, & Pœnitentia. Prima conſectarii pars, licet omnino certa non ſit, ſumma tamen gaudet probabilitate. Nam in generali intentione fidem chriſtianam amplectendi continetur implicita intentio ſuſcipiendi ritus omnes neceſſarios ad aggregationem in cœtu chriſtianorum, proinde & Baptiſmatis, ſine quo nullus eſſe poteſt Chriſtianus. Ita ſentire videtur & S. Auguſtinus, qui lib. 1. de adulter. conjug. cap. 26. ſic docet: *Etiamſi voluntas ejus* (Catechumeni) *incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, ac nolit non ſic apparet, ut tamen credibilius ſit, eum, ſi poſſet, velle ſe potius fuiſſe dicturum ea Sacramenta percipere, ſine quibus jam credidit non ſe oportere de corpore exire.* Attamen ſi talis Catechumenus convaleſceret, re bene perpenſa, & ejus mente explorata, videndum eſſet, num expediens foret Baptiſmum ſub conditione repetere, exquiſito ad hoc etiam Epiſcopi conſilio, & conſenſu. De ſurdis vero, & mutis a nativitate favorabiliter ſentiendum eſt, eiſque, ſufficienti præhabito ſigno de qualicumque cognitione rei ſacræ, quam ſuſcipiunt, ſunt hæc ſpiritualia, & neceſſaria ſubſidia ſuppeditanda. Et qudem Baptiſmum eſſe concedendum non ambigerem, ſi hujuſmodi hominem ſacra noſtra venerantem, & colentem exterioribus ſignis deprehenderem; dato vero Baptiſmate, nec Pœnitentiam ſubtraherem, maxime exterioribus ſignis, tunſione pectoris, aliiſque motibus pœnitentiam indicantibus poſcenti. Quid autem, ſi nedum ſurdus, & mutus, ſed & cæcus foret? Nihil in generali ſtatui poſſe puto; ſed in ſingulari caſu eſſent ſubjecti expendendæ qualitas, natura, indoles, in aliis rebus ſagacitas, vel induſtria, & juxta illas non ſine ſapientum conſilio, & præcipue Epiſcopi, quid faciendum ſit, determinare.

Conſectarium Quartum.

IV. Sacramenta vivorum non ſunt ſuſcipienda, niſi præmiſſa non ſolum Contritione, ſed & Confeſſione (niſi neceſſitas urgeat, vel non adſit copia Confeſſarii) ab habente conſcientiam peccati lethalis; quam ſi omittat, graviter peccat. Et quidem de Euchariſtiæ Sacramento ſive ſuſcipiendo, ſive conficiendo veram eſſe poſitam doctrinam, nullus eſt, qui ambigat poſt Trident. Concil. Decretum, & poſt damnatas a Summis Pontificibus binas propoſitiones, ut diximus cap. 7. conſect. 4. Solum dubium ſuboriri poteſt de cæteris vivorum Sacramentis, quorum ſuſceptioni a conſcio lethalis peccati præmittendam eſſe non contritionem, ſed confeſſionem, probant ea, quæ loco laud. protulimus argumenta. Quibus addimus auctoritatem plurium Conciliorum, tum Provincialium, tum Diœceſanorum, in quibus jubetur, præmittendum cuilibet Sacramento vivorum confeſſionem. Nam in Collect. Concil. Herardi Turonenſis Archiepiſcopi diſt. 85. indicitur: *Jejuni ad Confirmationem veniant ... & moneantur confeſſionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere.* Idem ſtatuunt plura Concilia Germaniæ, Angliæ, Galliæ a Collect. laudata. Confirmat S. Antoninus ſcribens: *Ordinandi confeſſionem præmittere debent, ſicut fieri debet in omnibus Sacramentis, excepto Baptiſmate, quod eſt janua aliorum.* Addimus & generalem illam S. Auguſtini doctrinam: *In rebus ad ſalutem animæ pertinentibus certis incerta præponere, quis dubitat certiſſimum eſſe peccatum?* Qui igitur ſola præſumpta Contritione contentus ad Sacramenta ſuſcipienda accedit, cum poſſit Confeſſionem præmittere, aperte oſtendit, ſe incerta certis præponere: certiſſimum igitur eſt eum peccare. Diximus tamen ſolum tunc ſufficere contritionem, quando hæc duo concurrant, nimirum & neceſſitas urgeat vel miniſtrandi, vel ſuſcipiendi Sacramenta, & deſit Confeſſarii copia; nam ſi urgeat neceſſitas, ſed adſit Confeſſarius, præmittenda eſt confeſſio; ſi non urgeat neceſſitas, nec adſit Confeſſarii copia, ſuſceptio, vel miniſtratio Sacramenti eſt differenda. Quænam autem ſit illa neceſſitas, quæ a culpa excuſet ſuſcipientem Sacramenta cum ſola contritione ob deficientiam Miniſtri, expendemus de quolibet Sacramento in particulari differentes.

REFLEXIO.

Sacramentorum novæ Legis, quæ e Chriſti latere in Cruce perfoſſo cum aqua, & ſanguine effluxere, majeſtatem, dignitatem, utilitatem nemo eſt, qui non agnoſcat, & fateatur. *Signa ſunt Sacramenta*, inquit S. Thom., *rememorativa ejus, quod præceſſit, ſcilicet Paſſionis Chriſti; demonſtra-*

tiva ejus, quod in nobis efficitur, ſcilicet gratiæ; & prognoſtica, ideſt prænuntiativa futuræ gloriæ. Primum caritatem in nobis accendere, alterum pietatem augere, tertium nos ſpe ſolari, quam maxime poſſunt, & valent.

I. Et revera, quis caritate non flagret Sacramenta ſuſcipiens, dum in eis divinæ Redemptoris caritatis contemplatur incendia, qui, ut nobis magna afferret beneficia, non eſt dedignatus acerbiſſima ſubire tormenta? Hæc profecto meditabatur Auguſtinus (ſive Auctor ſermonis 2. ad Catechumenos poſt Sermonem de Symbolo) & cor ejus amore colliqueſcebat, dum hæc populo prædicabat: „ Aſcendat Sponſus noſter thalami ſui lignum, „ aſcendat ſponſus noſter thalami lectum. Dor- „ miat moriendo, aperiatur ejus latus, & Eccle- „ ſia prodeat virgo, ut quomodo Eva facta eſt ex „ latere Adæ dormientis, ita Eccleſia formetur e „ latere Chriſti in cruce pendentis. Percuſſum eſt „ enim ejus latus ... & ſtatim manavit ſanguis, „ & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina Sacramenta. „ Aqua, in qua eſt ſponſa purificata, ſanguis, ex „ quo invenitur eſſe dotata. In iſto ſanguine ami- „ ci ſponſi ſtolas ſuas laverunt, candidas eas fe- „ cerunt, ad nuptias Agni invitati venerunt, „ Sanguinem ejus biberunt .... Exulta Chriſtia- „ ne, in commercio inimicorum tuorum tu vici- „ ſti; quod Judas vendidit, & Judæus emit, „ tu adquiſiviſti. Exulta Sponſa Chriſti, quia, niſi „ iſta in Chriſto facta eſſent, tu ab illo formata „ non eſſes. Venditus rademit te, occiſus dilexit „ te, mori voluit pro te. O magnum Sacramen- „ tum hujus conjugii! O quam magnum myſterium „ hujus Sponſi, & hujus Sponſæ! non explicabitur „ digne humanis verbis “. Hæc meditentur, in hæc cordis oculos convertant fideles, dum in Sacramento Pœnitentiæ Chriſti Sanguine abluuntur; in Menſa Dominica Chriſti Sanguine potantur; in Confirmatione, & in Extrema Unctione Chriſti Sanguine armantur, roborantur, unguntur.

II. Cum vero Sacramenta ſint gratiæ ſigna, quibus abluimur, ſanctificamur, armamur, pietatem noſtram erga Chriſtum augere debent. Quis enim non perſpicit, nos per Sacramenta copioſis gratiæ donis cumulari, & conſtitui genus electum, gentem ſanctam, populum acquiſitionis, & regali Sacerdotio inſigniri, ut quotidie offeramus ſpirituales hoſtias, & acceptabiles per Jeſum Chriſtum? Quis ideo grates ſummas non referat Chriſto, qui, ut inquit S. Auguſtinus contra Fauſt. lib. 19. cap. „ 13. „ Veteris legis abolitis Sacramentis, alia „ inſtituit virtute majora, utilitate meliora, actu „ faciliora, numero pauciora, tanquam juſtitia fi- „ dei revelata, & in libertatem vocatis filiis Dei, „ jugo ſervitutis ablato, quod duro, & carni de- „ dito populo congruebat “? Appoſite tamen ſubdit cap. 14. „ Si antiqui juſti pro illis prænunciativis Sacramentis, & rerum nondum impletarum „ figuris ad omnia dura, & horrenda parati fue- „ runt, & perpeſſi ſunt: Si tres pueros, Danie- „ lemque prædicamus, qui de menſa Regis conta- „ minari noluerunt, quod erat contra illius tem- „ poris Sacramentum: Si Machabæis cum ingenti „ admiratione præferimus, quia eſcas, quibus nunc „ Chriſtiani licite utuntur, adtingere noluerunt, „ quia tunc pro tempore prophetico non licebat; „ quanto magis nunc pro Baptiſmo Chriſti, pro „ Euchariſtia Chriſti, pro ſigno Chriſti ad omnia „ perferenda paratior eſſe debet Chriſtianus, cum „ illa fuerint promiſſiones rerum complendarum, „ hæc ſint indicia completarum? “ Nemo itaque miretur, ſi tam exigua appareat in Chriſtianis erga Deum pietas, in adverſis patientia, in perſecutionibus conſtantia, in bono perſeverantia; cum vel rarus ſit Sacramentorum uſus, vel ſine pietate & devotione frequentia.

III. In tantis autem, queis in hac valle lacrymarum obruimur, ærumnis, tentationibus, amittendæque æternæ vitæ periculis non melius, & efficacius infirmitati noſtræ proſpicere, & ſpem noſtram erigere poſſumus, quam Sacramentorum frequentia. Habemus in Sacramento Pœnitentiæ vulneribus peccatorum balſamum ſalutare, ſordibus animæ balneum ferventis aquæ, a captivitate, & vinculis Satanæ liberationem. Habemus in Euchariſtiæ Sacramento cibum, qui infantiam noſtram ſpiritualem nutriat, adoleſcentiam adaugeat, virilitatem confirmet, ſenectutem impediat, mortem omnino repellat. Peccatores itaque ſic in ſpem erigit Auguſtinus Enarr. in Pſal. 147. nu. 2. „ Be- „ ne ſentit Dominus in timentibus eum; ſed num- „ quid ſic timetur Deus, quomodo & latro? Nam „ & latro timetur, & beſtia timetur, & homo in- „ juſtus, & potens multum timetur. *Bene ſentiet* „ *Dominus in timentibus eum*. Sed quomodo ti- „ mentibus eum? Et *in his qui ſperant in miſeri-* „ *cordia ejus* ... Ergo ſic time Dominum, ut ſpe- „ res in miſericordia ejus ... Sed ſi times Deum, „ quia peccator es, a quo accepturus es auxilium „ adverſus Deum? Quo iturus es? Quid facturus? „ Vis ab illo fugere? Ad ipſum fuge. Vis fugere „ ab irato? Fuge ad placatum. Placabis autem „ eum, ſi ſperes in miſericordia ejus, atque ita „ de cætero caveas peccare, ut de præteritis de- „ preceris, ut tibi dimittantur a Domino “. Juſtos vero de ſua imbecillitate trepidantes ad Euchariſtiæ ſumptionem invitat, ut per ſpem cæleſtis alimoniæ confirmet, Serm. 131. de Verb. Evang. Jo. n. 1. „ Manducent ergo, qui manducant, & „ bibant, qui bibunt, eſuriant, & ſitiant: vitam „ manducent, vitam bibant. Illud manducare re- „ fici eſt: ſed ſic reficeris, ut non deficiat, unde „ reficeris. Illud bibere quid eſt, niſi vivere? „ Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, „ & integra eſt vita. Tunc autem hoc erit, id- „ eſt vita unicuique erit Corpus, & Sanguis Chri- „ ſti, ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, „ in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiri- „ tualiter bibatur “.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE MATERIA, FORMA, EFFECTIBUS, ET CÆREMONIIS SACRAMENTORUM.

EXpeditis, quæ Sacramentorum confectionem præcedunt, ad ea progredimur expendenda, quæ & intime ipſa Sacramenta perficiunt, & dum perficiuntur comitantur, ac denique perfecta ſubſequuntur. Priora ſunt materia, & forma: ſecundo loco poſita cæremoniæ: tertio denique gratia, & character. De ſingulis diſtinctis Capitibus agemus.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentorum materia, & Forma.

DOCTRINA.

I. *Sacramenta materia conſtant, & forma.*
II. *Quid materiæ nomine deſignatur in Sacramentis.*
III. *Quotuplex ſit materia.*
IV. *Quid formæ nomine deſignetur.*
V. *Verba formæ eſſe debent determinata.*
VI. *Quæ non concionatoria ſunt, ſed conſecratoria.*
VII. *Quotuplex ſit forma.*

I. TAmetſi Sacramenta moralia tantum ſint compoſita, non vero phyſica; per analogiam tamen ad iſta & illa forma, & materia conſtare non immerito dicuntur. Verum quidem eſt, hæc materiæ, & formæ vocabula ad res Theologicas explicandas nonniſi tertio decimo ſeculo uſurpari cœpiſſe: nam nec a Petro Lombardo uſurpata inveniuntur, qui ſimplici appellatione *rerum*, & *verborum* contentus fuit. Nihilominus poſtea omnium Theologorum conſenſu, immo & Conciliorum uſu veluti conſecrata fuere, & præcipue in Sacramentis explicandis adhibita. Sic in Concilio Florentino in Decreto pro inſtructione Armenorum dicitur: *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma* &c. Et in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. docetur: „ Sacramenti Pœnitentiæ formam in illis „ verbis poſitam eſſe, *Ego te abſolvo*. Et mox „ ſubditur: *Sunt autem quaſi materia hujus Sa*„ *cramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio*, „ *confeſſio, & ſatisfactio* “. Et jure merito, nam ſicut forma accedit materiæ ad phyſicum conſtituendum compoſitum; ita, ut cum Auguſtino loquamur, *verbum accedit ad elementum, ut fiat Sacramentum*.

II. Materiæ igitur nomine in Sacramentis ea omnia deſignantur, quæ ad ſignificationem ſacramentalem ultimo determinata non ſunt, ſed indigent per aliquod ſibi adjectum determinari. Sic Baptiſmatis aqua eſt materia, quæ cum de ſe indifferens, &, ut inquit S. Th. hic q. 60. art. 6. *ſignificare poſſit & ablutionem propter ſuam humiditatem, & refrigerium propter ſuam frigiditatem, cum dicitur, ego te baptizo, manifeſtatur, quod aqua utimur in Baptiſmo ad ſignificandam ſpiritualem emundationem*. Et quod de Baptiſmo dicimus, eſt de aliis Sacramentis intelligendum. Illud tantummodo animadvertendum, aliquando & ipſa verba non formæ, ſed rei, ſeu materiæ locum obtinere, & ita res a verbis, & verba a rebus quoad entitatem minime ſecerni, ſed ſolum quoad officium; ut videre eſt in Sacramentis Pœnitentiæ, & matrimonii: nam in illo peccatorum confeſſio, quæ verbis, ut plurimum, perficitur, locum rei, ſeu materiæ obtinet; & in iſto conſenſus, qui per verba, per nutus, aut per litteras exhibetur, pariter materiæ locum occupat, ſaltem in ea ſententia, qua ſtatuitur, verba Sacerdotis formam conſtituere hujus Sacramenti, quam ſuo loco expendemus.

III. Materia dividitur in remotam, & proximam. Remota eſt illa res ſenſibilis, quæ adhibetur in Sacramento; ut aqua in Baptiſmate, Chriſma in Confirmatione, Oleum in Extrema Unctione. Proxima autem eſt ejuſdem rei ſenſibilis per Miniſtri actionem ſuſcipienti facta applicatio; ut ablutio in Baptiſmate, Chriſmatio in Confirmatione, Unctio in Extrema Unctione. Rurſum materiam in certam, & dubiam diſtingui ſolet: prima ea eſt, quæ certo conſtet Sacramento efficiendo utilem eſſe, & idoneam; altera vero, de cujus utilitate, valore, & ſufficientia aliqua tenet dubitatio, aut remanet incertitudo; nam ſub dubio eam etiam comprehendo, quam ſola probabilis opinio ſuſtentat.

IV. Formæ vero nomine intelliguntur, ſeu deſignantur verba illa, per quæ materia tum proxima, tum remota ad Sacramentalem ſignificationem determinatur, juxta laudatum D. Auguſtini effatum: *Verbum accedit ad elementum, & fit Sacramentum.* Porro verba appoſite adhiberi ad Sacramentorum materiam determinandam, & ipſa eſſe debere determinata, egregie oſtendit D. Thom. hic quæſt. 60. & primum quidem art. 6. in corp. ſcribens: „ Sacramenta ſunt quædam ſigna .... Tri„ pliciter itaque conſiderari poſſunt, & quolibet „ modo congruit eis, quod verba rebus ſenſibili„ bus adjungantur. Primo enim poſſunt conſidera„ ri ex parte cauſæ ſanctificantis, quæ eſt Verbum „ Incarnatum, cui Sacramentum quodammodo „ conformatur in hoc, quod rei ſenſibili verbum „ adhibetur; ſicut in Myſterio Incarnationis „ carni ſenſibili eſt Verbum Dei unitum. Se„ cundo poſſunt conſiderari Sacramenta ex parte „ hominis, qui ſanctificatur, qui componitur „ ex anima, & corpore, cui proportionatur Sa„ cramentalis medicina, quæ per rem viſibilem „ corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. „ Unde Auguſtinus ſuper illiud Joan. 15. Jam *ve*„ *ro mundi eſtis propter ſermonem*, dicit Tract. „ 80. in Joan. *Unde eſt iſta tanta virtus aquæ, ut cor-*

„ *corpus tangat*, *& cor abluat*, *niſi faciente verbo*, *non quia dicitur*, *ſed quia creditur*? Tertio poſſunt conſiderari ex parte ipſius ſignificationis ſacramentalis. Dicit autem Auguſtinus 2. de Doctr. Chriſt. cap. 3. *Quod verba inter homines obtinuerint principatum ſignificandi* ..... & per verba magis diſtincte poſſumus exprimere, quod mente concepimus. Et ideo ad perfectionem ſignificationis ſacramentalis neceſſe fuit, ut ſignificatio rerum ſenſibilium per aliqua verba determinaretur “.

V. Verba autem formæ & ipſa quoque non vaga eſſe debere, ſed determinata oſtendit A. P. artic. ſeq. ſcribens. „ In Sacramentis verba ſe habent per modum formæ; res autem ſenſibiles per modum materiæ. In omnibus autem compoſitis ex materia, & forma principium determinationis eſt ex parte formæ .... & ideo principalius requiritur determinata forma, quam determinata materia: materia enim requiritur, ut ſit proportionata determinatæ formæ. Cum igitur in Sacramentis requirantur determinatæ res ſenſibiles, quæ ſe habent in Sacramentis ſicut materia; multo magis requiritur determinata forma verborum “. Quod confirmatur etiam ex praxi, & uſu Eccleſiæ, quæ in ſingulis Sacramentis determinata præcepit adhibenda verba ex Chriſti inſtitutione, ut de ſingulis Sacramentis agendo plenius conſtabit.

VI. Determinata vero, quæ in Sacramentis adhibentur, verba non concionatoria ſunt, nec promiſſoria, ſed conſecratoria. Continet hæc propoſitio doctrinam errori Lutheranorum, & Calviniſtarum plane oppoſitam, qui cum Sacramenta dicant ſolum eſſe divinarum promiſſionum ſigilla ad noſtram confirmandam fidem inſtituta, conſequenter docent, verba in illis adhibita ſolum vel ipſas promiſſiones exprimere, vel ad illa conſideranda animum erigere. At, quantum a veritate aberrent, patet manifeſte 1. ex ipſis verbis duorum Sacramentorum, quæ ipſi admittunt, Baptiſmatis, & Cœnæ Dominicæ: nam nec in verbis Baptiſmi, *Ego te baptizo* &c. nec in verbis, quibus conficitur Euchariſtia, *Hoc eſt corpus meum*, nulla continetur promiſſio; ſed ſolum præſens aliqua operatio, & effectio indicatur. Quod ſi in Sacramentis eſſent verba adhibenda, quæ divina exhiberent promiſſa, in Baptiſmo longe aptiora eſſent, & proinde adhibenda illa Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto* &c. & in Euchariſtia illa Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis* &c. Præterea hæreticis eorum inconſtantiam, & in doctrina contradictionem opponimus, qui dum concionem neceſſariam putant in Sacramentis, tamen & ipſi in Eccleſia Romana verum eſſe baptiſmum fatentur, nec rebaptizandos cenſent in ea baptizatos; licet Calvinus præſertim deploret neglectam a Papiſtis in baptiſmo concionem. Similiter validum agnoſcunt adverſus Anabaptiſtas Baptiſmum infantibus collatum, quibus tamen certe concionalia verba minime profunt. Quinimmo a quibuſcumque hæreticis collatum cum invocatione Trinitatis Baptiſmum, ratum habent nec reprobant; licet eorum falſa doctrina in concionalibus verbis expreſſa inutile deberet reddere Sacramentum, ſi ad eorum pertineret eſſentiam. Longe itaque verius Catholica docet Eccleſia, formarum verba eſſe conſecratoria, ut oſtendunt ipſa Scripturæ teſtimonia, quæ illa vocant *Verba benedictionis* 1. ad Corinth. 3. *verba invocationis* Act. 22. *Verba vitæ* ad Epheſ. 8. Et confirmat perpetua Patrum traditio, qui eadem appellant verba *ſolemnia*, *cæleſtia*, *evangelica*, *myſtica*, *conſecratoria*, *ſanctificatoria*. Legantur S. Juſt. in Apolog. S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 15. S. Cyrillns Hieroſolym. Catech. 3. S. Gregorius Nyſſenus lib. de Baptiſmo, & in Orat. Catechiſtica cap. 3. S. Ambroſius lib. 2. de Sacram. cap. 5. S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 30. & lib. 6. cap. 25. Auctor lib. de Eccleſ. Hier. cap. ultimo.

VII. Forma quoque Sacramentorum dividi poteſt in dubiam, & certam, ut de materia diximus n. 3. & præterea in abſolutam, & conditionalem. Prior eſt, quæ ſine alicujus additæ conditionis vel intentione vel explicatione enuntiatur; ut in Baptiſmo verba ſimpliciter prolata, *Ego te baptizo* &c. Poſterior, quæ cum conditione vel expreſſa, vel mente retenta recitatur, ut ſi in Baptiſmo vel mente concipiatur, vel verbis exprimatur conditio, *Si non es baptizatus*, vel *ſi es creatura rationalis ego te baptizo* &c. Quæ hic adnotata volui in ſequentibus expendenda.

CAPUT SECUNDUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Miniſtri intentio non eſt inter partes Sacramenti enumeranda.*

II. *Materia*, *& forma ſunt partes intrinſece Sacramenta conſtituentes.*

III. *Sacramenta novæ legis etiam hoc titulo*, *quod materia conſtant*, *& forma*, *Sacramentis ſunt veteris Legis nobiliora.*

Conſectarium Primum.

I. MIniſtri intentio non eſt inter partes Sacramentum conſtituentes enumeranda. Oppoſitum docent Cardiaalis de Lugo, Arriaga, aliique a Salmanticenſibus citati diſp. 1. dub. 7. §. 2. Sed noſtra aſſertio communi gaudet Theologorum adprobatione, & ſic evincitur. Intentio Miniſtri eſt Sacramento omnino extrinſeca, utpote quæ ſe tenet ex parte cauſæ efficientis, & inſtrumentalis, & ſolum prærequiritur ad partium Sacramenta intime conſtituentium applicationem. Nec urget eorum unica ratio, nimirum neceſſitas indiſpenſabilis præfatæ intentionis ad Sacramenti valorem. Nam & nos docuimus ſuperius, ejuſdem intentionis abſolutam neceſſitatem, non tamen ut Sacramenti partem, ſed ut extrinſecam conditionem: non enim omnia, quæ veluti neceſſaria indiſpenſabiliter ad alicujus operis confectionem requiruntur, illi intranea quoque dicenda ſunt. Id patet in Matrimonio, ubi duorum teſtium præſentia ita requiritur, ut eorum abſentia irritum reddat Matrimonium: & tamen quis dicat, eorumdem præſentiam eſſe illius Sacramenti partem intrinſecam? Pari pacto & Confirmatio ante Baptiſmum ſuſcepta nulla eſt, ſicut nulla ſine Chriſmatione: & tamen nemo cordatus Baptiſmum partem appellabit Sacramenti Confirmationis; licet ta-

talem cognoſcat ipſam Chriſmationem. Præterea a ſua doctrina recedunt oppoſitæ ſententiæ Patroni, dum fatentur Euchariſtiam, quæ eſt Sacramentum permanens, ex conficientis intentione non conſtitui; licet ſine illa certo noverint Euchariſtiam valide conſecrari omnino non poſſe.

Conſectarium Secundum.

II. In Sacramentis materia, & forma ſunt intrinſecæ partes ipſum Sacramentum conſtituentes. Inficiantur nonnulli Theologi, etiam Thomiſtæ, cenſentes totam Sacramenti eſſentiam in ſola materia conſiſtere, connotante tamen formam, tanquam quid extrinſecum determinans materiam: quia in Decreto Eugenii non dicitur Sacramenta *conſtitui*, ſed tantum *perfici* ex rebus, & verbis. Et certe in Sacramento Euchariſtiæ Sacramentum diutius perſeverat, poſtquam verba formæ longe ante prolata evanuere. At noſtra propoſitio verior eſt, & probabilior. 1. Quia in quocumque compoſito, ſive phyſico, ſive morali, quod habere concipitur rationem materiæ, & formæ intrinſecum ipſi compoſito concipitur & alterutro deficiente compoſitum non exiſtere; ut ſi in Baptiſmo verba omittantur, Sacramentalis ſignificatio, & productio gratiæ non haberetur, nec verum Sacramentum, non tanquam ex deficientia alicujus extrinſeci neceſſario requiſiti, ſed ex deficientia partis ipſum Sacramentum conſtituentis. 2. Sacramentorum formas Eccleſia non poteſt mutare; quamvis quidquid ad eorum eſſentiam non pertinet, variare poſſit. Nec urgent adverſantium Theologorum argumenta. Nam verbum *perfici* idem valet, & ſignificat ac *confici*, dum agitur de materia, & forma: ſicut homo dicitur perfici corpore & ſpiritu, quæ cum partes ſint eſſentiales hominis ita perficiunt, ut etiam conſtituant: & verbum illud adhibetur ad denotandum non qualemcumque conſtitutionem, ſed rei excellentis, & perfectæ. In Sacramento autem Euchariſtiæ verba conſecrationis moraliter perſeverant in conſecratis ſpeciebus. Ad Sacramentalem vero compoſitionem non phyſica requiritur, ſed moralis ſufficit coexiſtentia; ut patet in Pœnitentia, ubi peccatorum confeſſio jam phyſice tranſit, dum forma abſolutionis applicatur.

Conſectarium Tertium.

III. Sacramenta novæ legis etiam eo titulo, quia rebus, & verbis conſtant, ſunt Sacramentis veteris legis excellentiora. Ita docet Sanctus Thomas hic q. *60.* a. *6.* animadvertens, hanc rerum, & verborum conjunctionem in novæ legis Sacramentis & magis repræſentare ſuum Auctorem, qui eſt Verbum caro factum; & accommodatiorem fieri ad homines corpore, & anima conſtantes ſanctificandos, dum & ſenſibili elemento corpus afficitur, & intelligibili verbo mens illuſtratur; & denique clarius, & vividius inviſibilem effectum, quem conferunt, exprimunt, & ſignificant. Legantur D. Thom. verba cap. præced. n. 4. recitata. Porro, ſicut Moſaicæ legis rudimentis tam aperta donorum ſignificatio minime conveniebat; ita a luce Evangelicæ veritatis non abeſſe decebat. Quamobrem ſubdit S. D. ad 3. „ Sacramenta veteris legis prænuncia erant Chriſti venturi; & ideo non ita expreſſe ſignificabant Chriſtum, ſicut Sacramenta novæ legis, quæ ab ipſo Chriſto effluunt, & quandam ſimilitudinem ipſius in ſe habent “. Quod ſi aliquando verba a Sacramentorum Miniſtris in veteri lege adjiciebantur, hæc non ad Sacrificii, vel Sacramenti perfectionem ſpectabant, ſed ad populi excitandam pietatem, & ad faciliorem peccatorum veniæ impetrationem.

CAPUT TERTIUM.

De materia, & forma in Sacramentis valida, & licita applicatione.

DOCTRINA.

I. *Mutatio ſubſtantialis materiæ, vel formæ nullum efficit Sacramentum.*
II. *Accidentalis vero non irritat, ſed peccat, qui eam inducit.*
III. *Quando in materia contingat mutatio ſubſtantialis, vel accidentalis.*
IV. *Regula generalis ad diſcernendum in forma mutationem ſubſtantialem ab accidentali.*
V. *Mutatio ſubſtantialis, vel accidentalis formæ per verborum additionem.*
VI. *Per diminutionem.*
VII. *Per corruptionem.*
VIII. *Per permutationem.*
IX. *Per tranſpoſitionem.*
X. *Per interpolationem.*
XI. *Quando liceat uti forma conditionali in Sacramentis.*
XII. *Materia & forma ſunt a Miniſtro ſimul moraliter conjungendæ.*

I. MUtatio ſubſtantialis ſive materiæ, ſive formæ in Sacramentis nullum efficit Sacramentum; & voluntarie immutans gravis ſceleris reus efficitur. Utramque noſtræ propoſitionis partem omnes admittunt Theologi, utpote certiſſimam. Prima autem pars ſic oſtenditur: quia ſubſtantialis formæ, ſive materiæ mutatio Sacramenti ſpeciem, eſſentiam, atque ſubſtantiam deſtruit, cum tollat ritum pro Sacramento præſcriptum, qui ex tali materia, & forma tanquam partibus eſſentialibus conſtat. Altera pars vero evincitur: quia ex tali attentatu religio in re altiſſimi negotii violatur, Chriſto Sacramentorum auctori maxima irrogatur injuria, res ſanctiſſima ludibrio habetur. Additur caritatis erga proximum læſio graviſſima, qui maximo bono ob voluntariam Sacramenti fruſtrationem privatur. Immo & ipſa violatur juſtitia, quoniam eo ipſo quod quis alicujus Sacramenti in ſe ſuſcipit miniſterium, tacite pollicetur, atque ſe obſtringit ad agenda, quæ agenda ſunt, prout oportet, & res exigit, atque in ſuſcipientis utilitatem. Num ab hoc enormi ſacrilegio poſſit quis excuſari ex errore, ignorantia invincibili, aut his æquivalente inadvertentia, accuratius expendetur in ſingulis Sacramentis.

II. Mutatio accidentalis materiæ, & formæ irritum non efficit Sacramentum: a gravi tamen pec-

cato raro excuſatur extra caſum extremæ neceſſitatis, qui hanc inducit mutationem. Hæc quoque doctrina ab omnibus admittitur, & facile probatur. Nam poſita accidentali mutatione, ſalva adhuc manet, & incolumis ritus a Chriſto præſcripti ſubſtantia; ut patet in conſecratione panis azymi, vel fermentati. Qui vero ſic accidentaliter ritum mutat, peccat, quia Eccleſiæ præceptis, vel conſuetudini, vim legis habenti, adverſatur in re magni momenti, & ad religionem pertinente. Jubet enim, & quidem merito, Eccleſia in Sacramentorum adminiſtratione, & in materiæ, & formæ applicatione ea omnia exacte, ſtudioſe, diligenterque ſervari, quæ ipſi decenti, atque religioſæ ſacrorum myſteriorum tractationi, nec non ſuſcipientium profectui, & devotioni ſervanda cenſuit. Et quidem graviter peccat, niſi neceſſitas excuſet; quia in re magni momenti nec parvitas materiæ, nec mutationis levitas ad grave peccatum evitandum excuſat, nec ignorantia ſuffragatur in Miniſtro, qui ſcire tenetur ea, quæ ad ſuum obeundum rite, & recte munus requiruntur.

III. Quænam autem ſint ſive in materia, ſive in forma mutationes vel ſubſtantiales, vel accidentales dicendæ, expendendum eſt. Et quidem in materia facilius eſt hoc diſcrimen agnoſcere. Subſtantialis itaque mutatio habetur, cum materiæ pro Sacramentis ſtatutæ alia res plane diverſa ſubſtituitur; ut ſi loco vini aqua, triticei panis hordeaceus in Euchariſtia ſubſtituatur. In hac autem ſubſtantiali diverſitate dijudicanda parum curandum eſt, utrum nec ne in rigore phyſico matetia differat a præſcripta; ſed ſufficit eam in ordine ad exiſtimationem, & humanum uſum, pro alia reputari, & ob eam cauſam alio etiam nomine deſignari. Ita aqua congelata in glaciem, grandinem, nivem, licet phyſice a communi aqua differre non videatur, ſubſtantialem tamen theologice affert mutationem in ordine ad Baptiſmum, quippe quæ non ſit ad lotionem diffluens. Ita pariter ad Euchariſtiæ confectionem materia ſubſtantialiter diverſa a vero pane cenſenda eſt maſſa ex farina triticea, quantumvis ſubacta, ſi nondum ſit cocta, vel taliter cocta, ut non ſit igne toſta. Inepta quoque ad Baptiſmum aqua ex floribus, herbiſque expreſſa, vel aliqua artificioſa mixtura inſigniter alterata, ita ut amplius naturalis non audiat. E contrario ſi calida, vel frigida, fluviatilis, vel marina, fœculenta vel pura; panis ſi azymus, vel fermentatus, tunc hujuſmodi varietates ad ſubſtantiam non referuntur.

IV. Sed in Sacramentalibus formis, quæ in verbis ſunt poſitæ, plurimæ mutationis ſpecies facillime poſſunt obrepere, quæ majus negotium faceſſunt. Sex enim ad minus modis verba formarum Sacramentalium variari poſſunt, nimirum 1. Additione, 2. Detractione, 3. Corruptione, 4. Mutatione, 5. Tranſpoſitione, 6. Interruptione unius, vel plurium vocum. Et primo quidem hanc generalem ſtatuunt circa omnes præfatos mutationis modos Regulam Theologi. Tunc dumtaxat ſubſtantialiter diverſa a præſcripta, & neceſſaria Sacramenti forma exiſtimanda eſt conſequenter ad ejus validam confectionem inepta illa mutatio, in qua vel vocalia non adhibentur verba, quando vocalia ſunt indiſpenſabiliter neceſſaria, ut reipſa in omnibus contingit Sacramentis, Matrimonio excepto; vel ſic commutantur vocalia verba, ut non idem maneat ſenſus, & ſignificatio, quæ in legitima invenitur forma, & a Chriſto Sacramentorum Auctore intenditur. E contra, ſi ad hanc corrumpendam mutatio non pertingat, forma Sacramentalis accidentaliter tantum diverſa eſt reputanda; adeoque licet illicita, & irreligioſa, Sacramenti tamen non officit valori. Deſumpta eſt hæc regula a D. Thom. hic q. 60. art. 8. ad 2. dicente: „ Verba pertinent ad formam Sacramenti ratione ſenſus ſignificati: & „ ideo quæcumque fiat additio, vel ſubtractio verborum, quæ non addat aliquid, vel ſubtrahat „ debito ſenſui, non tollitur ſpecies Sacramenti “. Quod magis confirmat in reſp. ad 3. „ Si ſit tanta „ interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur ſenſus Sacramenti, & „ per conſequens veritas ejus; non autem tollitur, „ quando eſt parva interruptio, quæ intentionem, „ & intellectum verborum non aufert. Et idem „ dicendum de tranſpoſitione verborum “. Ad diſcernendam itaque ſubſtantialem mutationem a mere accidentali eſt ſemper præ oculis habendus verborum ſenſus, quem præferunt evangelica verba.

V. Ad hujus itaque regulæ amuſſim ſunt expendendæ ſuperius notatæ mutationum ſpecies. Nam in 1. mutatione, quæ eſt per additionem alicujus, vel plurium vocum formam corrumpebant Eunomiani, teſte S. Epiphanio hær. 70. qui baptizando dicebant: *Baptizo te in nomine Patris increati, Filii creati, & Spiritus Sancti ſanctificantis a creato filio creati*. Et ſimiliter Arriani baptizantes in nomine *Patris majoris*, *& Filii minoris* &c. Dum e contra ſolum accidentaliter formam mutaret, qui diceret, ego baptizo te in nomine Patris ingeniti, Filii geniti, & Spiritus Sancti procedentis, ſeu in nomine Patris omnipotentis, Filii ſapientis, & Spiritus Sancti Paracliti.

VI. Secunda mutatio per diminutionem tunc corrumpit ſubſtantialiter formam Sacramenti „ quando, inquit S. Thom. hic art. 8. tollitur debitus „ ſenſus verborum ... Unde Didymus dicit lib. 2. „ de Spiritu Sancto (habetur inter opera S. Hieronym.) *Si quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus* (Patris ſcilicet, vel Filii, vel Spiritus Sancti) *prætermittat, ſine perfectione baptizabit*. Sic pariter in Euchariſtia pronomen *meum* ſi omittatur, corrumpitur forma. E contra accidentaliter mutatur, ſubdit S. Thom. „ Si di- „ minutio non tollit debitum verborum ſenſum, „ ſicut in forma Euchariſtiæ, quæ eſt *Hoc eſt enim* „ *corpus meum*, ly *enim* ſublatum non tollit debi- „ tum verborum ſenſum; ſicut nec in baptiſmo ſub- „ tractio pronominis *ego* “.

VII. Quando in forma ſit mutatio per corruptionem dictionum, nimirum aliqua ſyllaba detracta, vel mutata, vel depravata, non ſemper eſſentialis ſignificatio corrumpitur, quando ex imperitia vel balbutie, linguæ præcipitantis, vel alio ſimili vitio ita depravatur pronunciatio, ut nihilominus in præſentibus circumſtantiis eumdem ſenſum in audientium animis ingerant male prolata verba, quam recte expreſſa. Quoad hoc autem genus corruptionis obſervat S. D. hic a. 7. ad 3. facilius ſubſtantialem formam perire in lingua latina

„ quan-

„ quando corruptio fit ex parte principii dictionis, „ puta ſi in loco ejus, quod eſt in *nomine Patris*, „ dicat in *nomine Matris*; quam ſi corruptio contingat ex parte finis, ut ſi quis dicat in nomine Patrias, & Filias, quia tunc accipiuntur ex „ accommodatione uſus; & ideo licet mutetur ſonus ſenſibilis, remanet tamen idem ſenſus “. Hinc apparet, non *ex ignorantia Theologiæ*, ut ſcribit nuperus Auctor Libri adverſus Bullam Cœnæ pag. 24. non minus inſcienter, quam impudenter, Zachariam Pontificem validum pronuntiaſſe Baptiſmum collatum a quodam Sacerdote, qui latinam linguam penitus ignorans, ſic in pronunciandis verbis deſinentiam corrumpebat, dicens, *Baptizo te in nomine Patrias*, *& Filia*, *& Spiritua Sancta*. Numquid & Theologiæ ignarus S. Th. qui eam corruptionem valori Sacramenti non obeſſe & ſentit, & docet, & probat? Fieri tamen poteſt, ut corruptio etiam in fine dictionis ſenſum adeo mutet, & formam ſubſtantialiter corrumpat; ut ſi loco dicendi *baptizo* active, paſſive dicatur *baptizor*.

VIII. Si vero forma varietur per mutationem unius, vel alterius, vel etiam omnium integrarum dictionum alias ponendo voces pro uſitatis, adhuc etiam & eſſentialis, & accidentalis hujuſmodi mutatio eſſe poterit. Accidentalis quidem, ſi voces ſubſtitutæ ſint in alio idiomate ab eo, quo Eccleſia utitur, æquivalentes, aut ſynonymæ: in quocumque enim idiomate Chriſti inſtitutio ſervetur, perficitur Sacramentum; ſenſu quippe, non materiali ſono, ſacramentalia verba operantur. Pari pacto etiam in ſynonymis ejuſdem idiomatis vocibus retinetur eadem ſignificatio; ut ſi loco dicendi *te baptizo*, Miniſter dicat, *te abluo*, *te lavo*, *te tingo*; & loco *Patris*, & *Filii*, dicat Parentis, & Nati: quapropter accidentalis erit mutatio. Quod ſi verba ſubſtituantur æquivoca, quæ videlicet ad diverſos ſenſus trahi poſſunt; tunc ad diſcernendam ſubſtantialem, vel accidentalem mutationem intentio proferentis eſt exploranda; ab ea enim valorem, vel inutilitatem formæ pendere arbitrantur Theologi. Qui etiam optime animadvertunt, & nos in ſeq. Cap. magis explicabimus, iu ſolis æquivocis verbis eſſe proferentis intentionem attendendam, non in apertis, & claris verbis, quorum ſignificatio non pendet a privata proferentis intentione, ſed a publico uſu, & intelligentia: ſicut enim mala Miniſtri intentio effectum non impedit Sacramenti, ſi ad intentum apta ſint verba; ita bona intentio non prodeſt, ſi verba diverſum ſubſtantialiter referant ſenſum. Nam ſi loco *Patris* baptizans dicat, *baptizo te in nomine Parentis*, & hoc vocabulo intelligat Patrem, validum eſt Baptiſma; ſecus vero, ſi matrem intelligat. Similiter eſſentialis corrumpitur forma, ſi dictiones adhibeantur nihil ſignificantes, licet Miniſter eis uti velit ad Sacramentalem ſignificationem; cum non ſit privatorum ſuomet arbitrio verbis ſignificationem imponere, vel nova vocabula cudere. Demum ob eandem rationem palam eſſe videtur, corrumpi ſacramentalem formam, & inutile reddi Sacramentum, ſi diverſæ uſualis ſignificationis verba vice præſcriptorum adhibeantur; immo etſi ejuſdem ſignificationis, ſed non ita claræ, & diſtinctæ, qualem habent præſcripta verba: ut ſi quis diceret in Baptiſmo, *te mundo*, *te purgo*, *te refrigero in nomine Patris* &c. his enim vocibus lotio, & ablutio non ſufficienter, ut decet, explicatur.

IX. Et verborum Sacramentalium tranſpoſitio aliquando ſubſtantialis eſt, & Sacramentum corrumpit; aliquando accidentalis, & validum relinquit. Primo quidem, quando tranſpoſitio præſcriptum verborum ſenſum penitus peſſumdat, ut ſi quis dicat baptizando, *Filii baptizo te in nomine Patris, & Spiritus Sancti*, vel in conſecratione Euchariſtiæ *meum enim eſt Corpus hoc*. At ſi tranſpoſitio ſignificationem non evertat, validum ſtat Sacramentum; ut ſi quis diceret *In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti ego te baptizo*; vel *Te ego in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti baptizo*. Num vero permutatio ordinis divinarum Perſonarum in forma valorem tollat Sacramenti, dubitant Theologi. Affirmant Alenſis & S. Bonaventura, quia recto Perſonarum ordine in invocatione non ſervato, recta fides, & intelligentia non ſervatur; maxime ſi ea permutatio fieret non ex ignorantia, & inadvertentia, ſed ad errorem inducendum: ut ſi Græcus ſchiſmaticus ad ſignificandum Spiritum Sanctum a Filio non procedere, hanc uſurparet formam, *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris*, *& Spiritus Sancti*, *& Filii*. At negant alii, inter quos & Salmanticenſes: quia, quoties expreſſa habetur trium Perſonarum invocatio, tranſpoſitio ordinis non nocet, cum in Trinitate nihil ſit prius, aut poſterius; nec ullo fundamento probari poſſit, non ſolum invocationem eſſe neceſſariam, ſed & ordinem invocationis. Verum ego formam, in qua hæc inverſio ordinis adhiberetur, ſaltem inter dubias connumerarem: nam licet probari non poſſit, eſſe præceptum in invocatione etiam ordine Perſonarum eſſe ſervandum; tamen nec oppoſitum quoque probari poteſt: & licet in Trinitate nihil ſit prius, vel poſterius tempore, dignitate, eſſentia, majeſtate; eſt tamen prior ordine Pater, quam Filius.

X. Denique & in interruptione, ſeu interpolatione verborum locum habere poteſt & eſſentialis, & accidentalis formæ mutatio, unde vel fiat, vel non fiat Sacramentum. Si enim interruptio, & interpolatio ita modica, & brevis ſit, ut juxta prudentem exiſtimationem verbi, ſeu orationis non tollat unitatem, non cenſetur legitimum verborum ſenſum, & ſignificationem immutare; proinde ſtabit Sacramentum. Ut ſi Miniſter in baptizando prolatis verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris* tuſſiret, vel ſternutaret, & ſtatim ſubjungeret cetera verba, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, validum eſſet Baptiſma. Si vero verborum disjunctio adeo ingens, & diuturna foret, ut nullam moraliter cum præcedentibus ſubſequentia verba connexionem exhiberent, non fieret Sacramentum: ut ſi baptizans pronunciatis primis verbis Baptiſmi, *Ego te baptizo in nomine* ſe verteret ad aliquod negotium peragendum, vel, ut inquit S. Bonaventura, de Baptiſterio exiret ad veſicam exonerandum, & deinde reverſus compleret formam, reliqua verba dicendo, *Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, non valeret Baptiſmus. Similiter dicendum, ſi interruptio fiat non ſola abruptione, ſive ſuſpenſione ſermonis, ſed per intermixtionem locutionis ad eam minime pertinentis, quæ pariter adeo levis eſſe poteſt, ut moralem continuationem non im-

impediat: ut ſi Miniſter pronunciatis verbis, *Ego te baptizo*, dicat Clerico, *hæc aqua nimis eſt frigida*; vel circumſtantibus obſtrepentibus ſilentium indicat, dicens: *vultis ne tandem quieſcere?* & deinde reliqua proſequatur verba. Poteſt tamen eſſe adeo gravis, ut ſublata omni conjunctione, & nexu non una coaleſcat forma: ut ſi baptizans pronunciatis primis formæ verbis Pſalmum, vel Orationem Dominicam recitet, vel de virtute Baptiſmi ſermonem habeat. Quod ſi quæras, quantam eſſe oporteat moram, ut notabilis cenſeatur interruptio, & ad irritandum Sacramentum ſufficiens; reſpondeo, id certa, & univerſali menſura definiri non poſſe, ſed ex prudentis dependere exiſtimatione, ſpectatis circumſtantiis, modis, & cauſis interruptionis, nec non actionum interpoſitarum indole, & natura. Illud tamen animadvertendum in interruptione ſyllabarum ejuſdem verbi minus ſufficere intervallum ad orationis tollendam unionem, quam ſi orationis verba integra disjungantur: ut ſi Miniſter diceret, *Ego te bap*, & deinde pauſa aliqua, vel aliquo interjecto ſermone proſequeretur, *tizo te in nomine* &c. Sed tamen in hac quoque ſyllabarum interruptione non omnis eſt habenda notabilis interruptio: ut ſi Sacerdos prolatis hiſce conſecrationis verbis, *Hoc eſt Cor*; & brevem paſſus mentis evagationem ex improviſo ſtrepitu in Eccleſia, proſequatur, *pus meum*. Hæ ſunt generales regulæ, quæ circa mutationes in formis Sacramentorum ſunt attendendæ, ut in ſingularibus emergentibus caſibus prudens judicium de validitate, vel invaliditate Sacramentorum poſſit pronunciari.

XI. Licet mos, ſeu conſuetudo, aut etiam, ſi lubet, lex adminiſtrandi Sacramentum non iterabile ſub forma conditionali ſeptem prioribus ſeculis in Eccleſia non obtinuerit; in aliquibus tamen caſibus ea Sacramenta ſub conditione licite poſſunt adminiſtrari. Et quidem conditionalem formam locum non obtinuiſſe ſeptem prioribus Eccleſiæ ſeculis teſtantur Gaſpar Juveninus, Tournelius, Morinus, Gotti, aliique plures eruditi Theologi, animadvertentes, in illorum temporum monumentis nullam legis, aut conſuetudinis de forma conditionali adhibenda mentionem occurrere. Immo, cum de rebaptizandis illis, de quorum Baptiſmo merito dubitabatur, ſtatuere Pontifices, nullam conditionis apponendæ cautionem injunxere; ut videre eſt in Concil. V. Carthag. can. 6. in S. Leone epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem, & Neonam Ravennatenſem Epiſcopos, in S. Greg. M. epiſt. ad Felicem Meſſanæ Epiſcopum 17. lib. 14. cit. Gregor. II. epiſtola 3. ad Bonif. in reſp. ad 9. art. Immo ita in ſuis Decretis loquuntur, ut omnem conditionis adhibendæ cautionem excluſerint. S. Leo M. ad Ruſticum ſcribit: *Conferendum eſſe videtur, quod collatum eſſe neſcitur, quoniam non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis*. Et ad Neonam: *Quoniam non poteſt in iterationis crimen venire, quod factum eſſe omnino neſcitur*. S. quoque Cyprianus, interrogatus a Magno, num Baptiſmus Clinicis per aſperſionem datus, validus eſſet, an iterum conferendus per immerſionem, reſpondet ſibi quidem eo modo datum probari, aliis tamen dubium videri, quibus auctor eſt, ut illum iterum conferant; quin tamen ullam de conditione apponenda mentionem habeat. Hujus itaque conditionalis formæ uſus primo in aliquibus Eccleſiis incepit, ut videre eſt in Capitularibus Caroli M. ſeculo IX. conſcriptis. At univerſalis in Eccleſia Latina factus non eſt, niſi poſt ſeculum XII. nam Eboracenſe Concilium in Anglia anni 1195. & Londinenſe anni 1200. jubent abſolute baptizari eos, de quorum valido Baptiſmo orta eſt dubitatio, nulla apponendæ conditionis obligatione impoſita. Quapropter illius non meminere Magiſter Sententiarum in ſuo opere, nec Petrus Pictavienſis ejus diſcipulus. Immo Petrus Cantor Pariſienſis, qui paulo ante Gregorii IX. tempora Summam quandam conſcripſit, narrat ſuo tempore inter Theologos motam hac de re controverſiam, & ipſe illis ſe adjungit, qui conditionalem formam reſpuebant, ſcribens: „ In Confirmatione, vel Baptiſmo, de quo dubi„ tatur, num ſit collatus, non approbamus condi„ tionem appoſitam, *Si non es baptizatus* &c. quo„ niam Sacramenta non ſunt conditionaliter con„ ferenda “. His tamen minime obſtantibus ſeculo XIII. lex lata eſt ab Alex. III. de conditione adhibenda, ſed in unico tamen Sacramento ſummæ neceſſitatis, nimirum Baptiſmate. Sic enim ſtatuit laud. Pontifex in ſua Decretali corpori juris inſerta, ſcilicet in Extrav. de Baptiſmo cap. 2. *De quibus* inquiens: *De quibus dubium eſt, utrum ſint baptizati, an non, omnimodis abſque omni ſcrupulo baptizentur, his tamen verbis præmiſſis, non te rebaptizo, ſed, ſinondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Hanc legem ſubſequentibus ſeculis tenendam ſanxere omnes, qui ſcripſere Theologi, inter quos & Divus Thomas hic quæſt. 68. artic. 7. ad 2. ſcribens: „ Si adulto deeſſet „ intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebapti„ zandus: ſi tamen hoc non conſtaret, eſſet dicen„ dum, *Si non es baptizatus, ego te baptizo* “. Porro hæc lex, ſeu conſuetudo paritate rationis dilatata eſt a Theologis ad cetera Sacramenta, quæ iterari non poſſunt, ſcilicet Confirmationem, & Ordinem Sacrum, quoties dubitatur, num valide fuerint collata; ut ſimul & bono recipientis conſuleretur, & lex Eccleſiæ de non iterandis Sacramentis characterem imprimentibus ſarta tecta ſervaretur. Poſt Concilium vero Tridentinum non defuere Theologi, qui conditionalem formam adhiberi poſſe exiſtimarunt & in Sacramentis, quæ iterari poſſunt. Sed, an jure, & merito, dicemus in Conſectariis.

XII. Materia, & forma, ſeu res, verba pro Sacramentis rite, & valide conficiendis a Miniſtro ſunt ſimul applicanda, & conjungenda. Hujus doctrinæ veritas ex eo patet, quia cum res, & verbum, ſeu materia, & forma unicum debeant efformare Sacramentale compoſitum, & res a verbis determinationem accipere, ſicut & verba rei functionem, & præſentem uſum determinare; oportet, ut ſimul conſiſtant, quæ ſe ita mutuo reſpiciunt. Porro hæc ſimultas neceſſe non eſt, ut phyſica ſit, ut naturalia poſtulant compoſita, ſed ſufficit moralis; Sacramenta enim ſunt moralia compoſita, proinde non aliam poſtulant partium unionem præter eam, quæ eorum congruat indoli, atque naturæ; talem ſcilicet, per quam veram verborum ſignificationem communi exiſtimatione judicetur & cadere ſupra materiam, & cum illa unum

unum ſignum conſtituere. Sic Baptiſmo talis requiritur ablutionis, & formæ baptiſmalis conjunctio, ut, dum Miniſter verba profert, cenſeatur moraliter etiam lavare. Quare in Rituali Romano de forma Baptiſmi ſtatuitur: *Verba uno, & eodem tempore, quo ſit ablutio, pronuntianda*. Hæc autem moralis ſimultas magis, vel minus exacta requiritur pro Sacramentorum diverſitate. Sic major requiritur in Baptiſmo ob formam, quæ actualem exprimit ablutionem; non tamen tanta, ut, ſi ablutio modice præcedat, aut ſubſequatur verborum prolationem, & nihilominus utraque prudentum judicio ad inſtar unius ſacræ functionis, ac cæremoniæ ſuſcipiatur, baptiſmus cenſeri non debeat validus. Quod & de Sacramentis Confirmationis, Ordinis, & Extremæ Unctionis ſentiendum, cum par & in iſtis ratio occurrat. Major adhuc in Sacramento Euchariſtiæ & phyſicam materiæ præſentiam indiſpenſabiliter in verborum pronuntiatione requirente, cum ejus forma ſit demonſtrativa Corporis Chriſti ſub accidentibus panis & vini, quorum tranſmutat ſubſtantiam. In Sacramento vero Pœnitentiæ non tam ſtricta exigitur partium ſimultas, & conjunctio, quippe quod inſtitutum eſt ad modum judicii, in quo ſententia examen quidem cauſæ præſupponit, nec tamen illico ſemper ſtatim ſubſequitur. Matrimonium vero adhuc largiorem patitur unionem, quoniam in contractu humano poſitum eſt. Quapropter ſicut unius conſenſus in aliis conventionibus etiam diu poſt alterius partis conſenſum, qui tamen adhuc moraliter perſeverat, idoneus eſt ad effectum obligationis inducendum; ita in Matrimonio ad Sacramenti veritatem, atque valorem. Hæc licet in ſe vera, & certa ſint, monent tamen merito communiter Theologi, in praxi tutiora eſſe adhibenda conſilia, & exactiorem, quantum fieri poteſt, materiæ, & formæ conjunctionem, & coexiſtentiam eſſe curandam; adeo ut reum lethalis peccati conſtituant, qui deliberate in Baptiſmo poſt inchoatam, & nondum finitam ablutionem, non aliquam ſaltem formæ partem recitaſſet: quod & dicendum de poſtponente materiæ formam, aut toti formæ materiam in Confirmatione, Sacra Ordinatione, & Extrema Unctione. Ratio hujus rigidioris pro praxi doctrinæ ea eſt, quoniam liquido definiri non poteſt, quoadusque moralis ſimultatis neceſſitas phyſicam partium Sacramentalium patiatur disjunctionem pro veritate formæ ſervanda, quæ actualem, & præſentaneum materiæ uſum ſignificat; cujuſmodi ſunt illæ, quæ in prædictis quatuor Sacramentis adhibentur. Immo, ſi in his forma ulla ſui parte rei ſenſibilis applicationi phyſice coexiſtat, non omnis præcidetur dubitatio, quæ de talis formæ verificatione mentem poſſet pulſare. Quamobrem fruſtrationis periculo Sacramentum exponit, qui illud adminiſtrat ſejunctis temporibus materiam, & formam applicando: quod ſemper grave peccatum eſt, ſi advertenter, deliberate, & temere fiat; eoque gravius, quo Sacramentum ſic adminiſtratum majoris neceſſitatis extiterit. In Sacramentis vero Pœnitentiæ, & Matrimonii licet non par ratio, & cauſa militet pro neceſſitate conjungendæ materiæ, & formæ; nihilo tamen ſecius in illis ſedulo cavendum, ne præter Eccleſiæ morem, ideoque cum dubitatione de morali coexiſtentia, & periculo irritationis, partes nimis diſtrahantur, & ſeparentur. Sed de his accuratiorem inſtituemus diſputationem, cum de ſingulis Sacramentis agemus.

CAPUT QUARTUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Num, ſi formæ Baptiſmi addatur nomen B. Virginis, nullum ſit Sacramentum.*
II. *Quid conferat intentio Miniſtri in formis ambiguis.*
III. *Non licet adhibere materiam, vel formam probabiles, quando certæ præſto eſſent.*
IV. *Nec materiam dubiam, niſi urgeat neceſſitas, nec alia præſto ſit.*
V. *Immo in extrema neceſſitate expediens eſt uti materia dubia, ſi alia non ſuppetat.*
VI. *In Sacramentis iterabilibus non eſt adhibenda forma conditionalis.*

Conſectarium Primum.

1. SI in forma Baptiſmi trium pronnunciatis Trinitatis Perſonarum nominibus addatur & nomen B. Virginis, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & B. Virginis*, num ſit validum Baptiſma, ex intentione pendet baptizantis. Ita docet S. Thom. hic q. 60. art. 8. dicens: „ Non eſſet baptiſmus . . . . ſi „ ſic intelligatur in nomine B. Virginis baptizari, „ ſicut in nomine Trinitatis, quo Baptiſmus con„ ſecratur: talis enim ſenſus eſſet contrarius veræ „ fidei, & per conſequens tolleret veritatem Sa„ cramenti. Si vero ſic intelligatur, quod addi„ tur, *& in nomine B. Virginis*, non quaſi nomen „ Beatæ Virginis aliquid operetur in Baptiſmo, „ ſed ut ejus interceſſio proſit baptizato ad con„ ſervandam gratiam baptiſmalem, non tollitur „ perfectio Sacramenti “. Huic tamen doctrinæ S. Thom. nonnulli aperte adverſantur, nonnulli ipſam explicare conantur. Utrique etenim putant, ad valorem Sacramenti neceſſarium eſſe intentionem Miniſtri baptizantis exterius aliquo ſigno manifeſtari, nec ex ſola intima, & occulta Miniſtri intentione pendere, quæ locum tunc ſolum habet, quando verba ſunt æquivoca, ut ſuperius innuimus, & inferius adhuc fuſius declarabimus. Porro inquiunt, in præfata forma verba minime ſunt æquivoca, ſed aperte contraria communi intelligentiæ: baptizare enim in nomine B. Virginis, ſicut & Patris, & Filii, & Spiritus S., idem eſſe intelligitur, ac baptizare auctoritate, ex poteſtate ſicut Patris, & Filii, & Spiritus S., ita & B. Virginis; qui ſenſus profecto apertus, & manifeſtus formam Baptiſmi corrumpit. Verum hæc animadverſio acuta quidem, & ſplendida, minus tamen vera eſt. Nam 1. baptizare in nomine B. Virginis uſum non habet publicum, a quo proinde ſuam poſſit ſignificationem accipere; ſed particularis eſt, & privatus, proinde a proferentis intentione, ut dicit S. Thom., deſumenda ſignificatio. 2. In uſu Scripturarum, & Eccleſiæ non raro Creatori junguntur Creaturæ, quin tamen eodem plane animo æqualiter feratur in eorum invocatione præcantis, vel invocantis affectus. Sic dicebat Paulus, *Teſtor coram Deo, & ſanctis Angelis ejus*. Fideles Sacra-

cramento Pœnitentiæ præmittunt, *Confiteor Deo*, *B. Mariæ Virgini*, *Sanctis Apoſtolis* &c. Quotidie poſt Divini Officii recitationem ex pio Eccleſiæ inſtituto dicitur Oratio, *Sacroſanctæ, atque individuæ Trinitati* &c. in qua virtus, honor, & gloria datur Trinitati, Humanitati Chriſti, B. Virgini, & omnium Sanctorum univerſitati. Et tamen nullus eſt, qui ambigat ſub eodem verborum tenore alium eſſe precantis animum, nec æqualiter reſpicere & Creatorem & creaturam, ſed plane diverſo, & in infinitum diſtante affectu & modo. Non eſt igitur apertum, manifeſtumque in forma præfata Baptiſmi verba *in nomine* æque dici & de Perſonis SS. Trinitatis, & de B. Virgine (hoc enim cur non vidiſſet D. Angelicus?) ſed alio, & alio modo, proinde a pronuntiantis intentione pendere; cum ex praxi & uſu Eccleſiæ æquivoca ſint, & bene intelligi poſſint, & male. Non recedendum proinde a S. Thom. doctrina. Peccaret tamen graviter, qui hanc formulam adhiberet; & vix ab ea excuſari poſſet rudis fœmina, quæ ex improviſo caſu in neceſſitate baptizans eam formulam adhiberet; non vero Obſtetrices, quæ ex officio tenentur formam Baptiſmi probe tenere.

Conſectarium Secundum.

II. A Miniſtri intentione minime pendet, ut mutatio materiæ, & formæ in Sacramenti adminiſtratione prave a ſe facta vel eſſentialis ſit, vel accidentalis, quando reipſa utatur materia, vel forma accidentaliter dumtaxat diverſa ab ea, quæ ex Chriſti, & Eccleſiæ præſcripto adhibenda erat; exceptis tamen formis, in quibus æquivoca, & ambigua adhiberentur verba. Primo noſtræ propoſitionis membro adverſantur quidem plures Theologi, inter quos enumerantur ex Thomiſtis D. Antoninus, & Soto. At ejus veritatem agnoſcunt communiter ceteri Theologi, quæ ſic oſtenditur. Sicut non dependet a Miniſtri arbitrio, & voluntate materiæ Sacramentalis delectus, nec verborum ſenſus publicus communis & uſitatus; ita nec utriuſque eſſentialis variatio, quæ non niſi ex conditione rerum ipſarum, & communi ſignificatione verborum dijudicari debet. Hinc ſequitur, quod ſi Miniſter ex errore fidei contrario, vel ex animo novum inducendi in Eccleſia ritum (dummodo tamen generali non careat intentione faciendi, quod facit Eccleſia) ejus materiam, & formam accidentaliter tantum immutet, adhuc verum perficitur Sacramentum. Hujus exemplum deſumi poteſt ex Græcis, qui baptizando, conſecrando, & abſolvendo formis utuntur accidentaliter a noſtris diverſis, nimirum *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris* &c.; *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*; & deprecativo modo Sacramenti Pœnitentiæ formam pronunciant; & ſimiliter in Euchariſtia pane utuntur fermentato, & Baptiſmum conferunt per immerſionem; licet crederent hos proprios ſuos ritus ita eſſentiales eſſe Sacramentis (quemadmodum pleroſque illorum in ſchiſmate tenere credibile eſt) ut ſine illis Sacramenta invalida ſint. Hac tamen falſa, & erronea ſua opinione valorem non auferunt Sacramenti, quod adminiſtrant. Pari pacto, etſi Miniſter intendat aliquid addere formæ tanquam eſſentiale, quod tamen ex Chriſti inſtitutione non ſit neceſſarium, dummodo non ſit formæ contrarium, & ſenſus immutativum, vel intendat aliquid auferre a forma, exiſtimans in aliqua Eccleſia, puta Romana, illud tanquam eſſentiale ſervari, quod reipſa non eſt, adhuc Sacramentum valide ſubſiſteret. Ut ſi Sacerdos Latinus putaret in Conſecratione panis ad valorem Sacramenti neceſſarium eſſe addere, *quod pro vobis tradetur*, unde hanc novam induceret formam, *hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, valide conſecraret, quia prioribus prolatis verbis jam facta eſt conſecratio, quæ nec ex ſequentibus verbis, nec ex præconcepto errore impeditur. Pari pacto, ſi quis putans in eadem forma particulam *enim* eſſe eſſentialem, eamque auferret ad novum inducendum ritum, peccaret quidem in utroque caſu graviſſime, ſed valori non officeret Sacramenti. Immo nec aperta erroris profeſſio formæ Sacramentali addita, ſi non ita exprimatur, ut formæ ſenſum evertat, valorem non tollit Sacramenti: ut ſi Sacerdos hæreſi Calviniana infectus in conſecrando Chriſti corpore dicat, *Hoc eſt Corpus meum, quod in Cœlis ad dextram Patris ſedet, cujus figuram hic adoramus*, Sacramenti valorem non impediret; quia ſuperaddita verba hæreſim quidem exprimunt Miniſtri, at verborum valorem, & efficaciam non evertunt: ſicut e contra, ſi diceret, *Hoc eſt Corpus meum phantaſticum*, profecto formam corrumperet, quippe quæ verum Corpus Chriſti non ſignificaret. Hanc doctrinam confirmat ſua auctoritate S. Auguſtinus, qui lib. 6. cont. Donatiſtas de imperitis Catholicis baptizantibus ſcribit: „ Afferat etiam, ut fieri ſolet,
„ aliquam precem, in qua loquatur contra regu-
„ lam fidei (multi quippe irruunt in preces non
„ ſolum ab imperitis loquacibus, ſed etiam ab
„ hæreticis compoſitas, & per ignorantiæ ſimpli-
„ citatem eas non valentes diſcernere utuntur
„ eis, arbitrantes quod bonæ ſint) nec tamen quod
„ in eis perverſum eſt, evacuant illa, quæ ibi
„ recta ſunt, ſed ab eis potius evacuantur “.
Quam doctrinam ſimilitudine confirmat ſubdens:
„ Sicut in ipſo homine bonæ ſpei, & probabilis
„ fidei, ſed tamen homine, ſi quæ aliter ſapit,
„ non inde evacuatur, quod recte ſapit, donec
„ Deus ei revelet, quod aliter ſapit “. Excepimus tamen formarum verba æquivoca, & ambigua, quia, ut ſuperius diximus, cum ſint multiplicis ſignificationis, non alio modo poſſunt ad eum certum ſenſum determinari, qui conveniat Sacramentalibus formis, quam ex proferentis mente, & intentione. Quamobrem, ſi Sacerdos conſecrando diceret, *Hic eſt Corpus meum*, explorandum foret, num verbum *hic* ad locum ſignificandum uſurparet, dicere volens, corpus Chriſti ibi eſſe cum pane, nulla facta tranſubſtantiatione; tunc enim mutatione formæ tolleretur valor Sacramenti: ſi vero vocem *hic* adhiberet ex imperitia latini ſermonis pro *hoc*, conſiſteret Sacramentum; ut patet in forma Baptiſmi a Zacharia Papa non reprobata in eo, qui dicebat in nomine Patria, & Filia: licet enim Patria natalem locum deſignet, & Filia fœminam ſignificet; tamen, quia non eo ſenſu uſurpabatur ex intentione proferentis, valere dixit Sacramentum.

Conſectarium Tertium .

III. Quando ſuppetit certæ , atque indubitatæ materiæ copia pro conficiendis Sacramentis, illicitum eſt, immo graviſſimum ſcelus dubiam, incertam , immo & probabilem , & probabiliſſimam adhibere ; ſed certa , atque indubitata eſt eligenda. Veritas hujus confectarii patet ex propoſitione ab Innoc. XI. damnata die 2. Maji 1689. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.* Et quidem jure , ac merito fuit proſcripta: qui enim ad Sacramenti confectionem paratam habens, & in promptu materiam certam, & undequaque ſecuram, aliam adhibet dubiam, incertam, vel etiam ex ſententia probabili, vel probabiliſſima ſecuram , injuriam irrogat Religioni, ſine cauſa, & neceſſitate Sacramentum periculo exponens nullitatis, & inefficaciæ; cum valor, & ſufficientia materiæ a Chriſti ſola pendeat inſtitutione , & nullatenus ab hominum opinionibus etiam probabiliſſimis , quæ immutare non poſſunt, & ſupplere, quod Chriſtus ad Sacramenei efficientiam voluit eſſe neceſſarium. Porro opinio etiam probabiliſſima falſa eſſe poteſt, & eſt revera , quando reipſa non ponantur , & adſint, quæ Chriſtus inſtituit. Igitur qui eam in Sacramentis adminiſtrando ſequitur, relicta tutiore, irritæ & fruſtraneæ operationis periculum non evitat . Quamobrem graviſſimæ irreverentiæ in Chriſtum Sacramentorum Auctorem ſe reum conſtituit, ejus nomine actionem exercendo tali modo, quo probabile eſt eſſe invalidam , atque inanem : id enim ſine quodam contemptu , & rerum divinarum irreverentia concipi nequit . Violat præterea caritatem: nam ſine juſta cauſa exponit proximum jacturæ maximi boni, quod ex valido percipitur Sacramento, cum poſſit illi certo , & infallibiliter talem fructum conferre . Agit & contra juſtitiam, præſertim ſi Paſtor ſit, cui animarum cura incumbit: proximus enim jus habet, ut Sacramenta ſibi certo, quantum fieri poteſt, modo adminiſtrentur, & Miniſter eo ipſo, quod miniſterium ex debito aſſumit , ſe obligat ad dandum , quod petitur, Sacramentum certo, & infallibiliter validum. Nec ad culpam vitandam magna, immo & maxima materiæ, & formæ adhibitæ probabilitas excuſat: licet enim ſpeculative probabile, vel etiam probabiliſſimum ſit certas materias, & formas, de quibus inter Theologos diſputatur, ſufficientes eſſe, & legitimas; non eſt tamen ob hactenus adducta argumenta probabile, licere in praxi eaſdem uſurpare, quotieſcumque certæ adhiberi poſſint, & indubitatæ.

Conſectarium Quartum.

IV. Non licet defectu certæ, atque indubitatæ materiæ, vel formæ dubiam, ſeu probabiliter tantum idoneam aſſumere ad conficienda Sacramenta, niſi urgente extrema proximi neceſſitate. Hæc doctrina omnium Theologorum conſenſione firmatur, & eſt de ſe manifeſta. Nam tunc licet Sacramentum fruſtrationis periculo ſine culpa exponere, quando proximus ex illius carentia damnationis certo periculo exponeretur. Quamobrem non licet Sacerdoti ad dandum homini extremum agonem agenti Viaticum Miſſam celebrare cum pane, de quo dubitatur, num ſit triticeus, vel in vino ita aceſcente, ut dubitetur, num ſit in acetum mutatum. Similiter nec ad Extremam Unctionem infirmo dandam licet uſurpare oleum, de quo dubium eſt, an ſit olivarum, vel alterius ſpeciei. Quamobrem dubiæ materiæ uſus licite fieri non poteſt, niſi in duobus neceſſariis Sacramentis, Baptiſmi, & Pœnitentiæ, ut mox ſubjicimus.

Conſectarium Quintum.

V. In Sacramentis neceſſariis neceſſitate medii, & poſita urgente, ac extrema ſuſcipientis neceſſitate, licet, immo & expedit eam materiam dubiam, & incertam, quæ ſola ſuppetit, uſurpare. Nam, ut omnes fatentur Theologi, lex caritatis, quæ Religioni prævalet, jubet, ut proximorum neceſſitati omni meliori, quo poſſumus, modo opitulemur; & tunc ex materia, vel forma dubia aliquid opis poteſt ei provenire, cum alioquin certi ſimus, illum miſere periturum, ſi nihil agamus. Quamobrem melius ejus conſulitur ſaluti Sacramento dubio, quam nullo. Nec timenda eſt in hiſce circumſtantiis irreverentia in Sacramentum, quod periculo exponitur fruſtrationis, vel in Chriſtum Dominum, qui pro ſumma ſua erga homines caritate vult, ut humanæ ſalutis ſecuritati magis, quam certo Sacramentorum proſpiciatur valori, dum utriuſque periculum evitari non poteſt: hæc enim pro illorum utilitate inſtituit, ita ut veriſſimum ſit axioma: *Sacramenta eſſe propter hominem, non hominem propter Sacramenta.* Hoc itaque nixus principio S. Auguſtinus lib. de Adult. Conjugiis cap. 18. docuit, Baptiſmum dandum Catechumeno morienti, qui reſpondere non valet, licet vivente conjuge adulterina conſortia retinuerit. Sicut & ſacram abſolutionem impertiendam fideli jacenti, & jam jam morituro, quamvis propter pravam anteactam vitam dubium ſit, num ſinceram conceperit contritionem, quæ neceſſaria eſt Sacramenti Pœnitentiæ materia. Eadem de cauſa Sacri Canones jubent, ne tantum beneficium cuicumque fideli denegetur in extremis poſito, vel voce, vel nutu, vel alio quovis modo reconciliationem petenti. Nam, ut inquit laudatus Doctor, *neminem ſine arrha ſuæ pacis exire, velle debet Mater Eccleſia.* Addimus tamen hæc Sacramenta neceſſaria neceſſitate medii ſub dubia vel materia, vel forma non eſſe miniſtranda, niſi urgeat extrema indigentis neceſſitas, ſcilicet in vitæ diſcrimine conſtituti; quia in hoc ſolo caſu & Canones, & Eccleſiæ Ritualia, & Theologorum communis doctrina dubia materia uti poſſe concedunt. Peccaret proinde lethaliter, qui extra mortis articulum vel Baptiſmum, vel Pœnitentiam in materia dubia miniſtraret. Dixi in materia, nam vix occurrere poteſt neceſſitas utendi forma dubia in Sacramentis Pœnitentiæ, & Baptiſmi, niſi forte in hoc ſecundo Sacramento occurreret. Ruſticum eſſe adhibendum ad infantem moriturum abluendum, qui ob ignorantiam non niſi dubia verba noſſet proferre.

Con-

Conſectarium Sextum.

VI. In Sacramentis iterabilibus nunquam eſt adhibenda forma conditionalis, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, quando de vita periclitatur. Ratio eſt manifeſta: nam ſi vix hoc licet in Sacramentis, quæ iterari non poſſunt; minus licebit in iis, quæ nova receptione, ſi quis acciderit defectus, ſanari poſſunt. Præterea, nulla urgente neceſſitate, non licet formam Sacramentorum a Chriſto inſtitutam mutare. Porro ille inſtituit Sacramenta abſolute conferenda, non ſub conditione. Hinc non licet abſolvere Pœnitentes etiam pueros ſub conditione, *ſi capax es*: ſed debet Confeſſarius de diſpoſitione, & capacitate Pœnitentis certior fieri, ea quærendo, quæ ad hanc inducendam notitiam idonea ſunt. Quod ſi adhuc dubitet, abſolutionem differat opportuniori tempore tribuendam. Hinc ſequitur reprobandam illorum Theologorum opinionem, qui ad Confeſſionale accedentes intentionem efformant non abſolvendi niſi idoneos, & capaces; & ſic ſe in tuto, & conſcientiam ſuam, & Sacramentum ponere arbitrantur. At falluntur, nam Sacramentale judicium pervertunt. Ad ipſos enim pertinet ſerio, & attente perpendere, num adſint diſpoſitiones idoneæ ad Sacramentum percipiendum: ſi enim dubitant, num aliquis ſit contritus, num firmum propoſitum habeat, num ſincere peccata expoſuerit, jam utuntur in hoc Sacramento materia dubia; cum præfati actus Sacramenti Pœnitentiæ materiam conſtituant. Porro, ut mox oſtendimus, dubia materia uti non licet in Sacramentis, niſi urgeat neceſſitas, & certa haberi non poſſit. Hic autem non urget neceſſitas, & abſolutionis dilatione certa materia haberi poteſt: non eſt ergo adhibenda conditionalis forma. Nec dicas, hanc conditionem eſſe intime menti Miniſtri repoſitam; cum nullus ſit, qui intentionem habeat abſolvendi incapaces, & indiſpoſitos. Nam 1. hæc intentio eſt habitualis, quæ in Sacramenta non influit. 2. Solum ſignificat ſe nolle illum abſolvere, quem indiſpoſitum, & incapacem agnoverit; non vero quod accedentibus velit ſub conditione abſolutionem impertiri. Excipitur tamen caſus extremæ neceſſitatis, ut ſi Pœnitens ita repente ſenſibus deſtituatur, ut nullum edat pœnitentiæ ſignum, cum antea Confeſſionem expetierit, vel chriſtiane vixerit; tunc enim eſſet ſub conditione abſolvendus, ut mox diximus ex S. Auguſtino. Quid, ſi Confeſſarius audita Confeſſione Pœnitentis dubitat, num eum abſolverit? poterit ne iterum ſub conditione abſolvere? Minime, ſed debet iterum a Pœnitente poſtulare renovationem Confeſſionis, non quidem diſtinctam; ſed in generali, cum jam ejus peccata probe noverit, ad actus Pœnitentiæ excitare, & ita abſolutionem iterum impertiri: ſic enim & ſaluti Pœnitentis conſulitur, & abſolute iteratur Sacramentum, quod ex ſua inſtitutione eſt iterabile. Sed de hoc iterum in Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT QUINTUM.

De Sacramentorum præcipuo effectu, ſcilicet Gratia.

DOCTRINA.

I. *Quænam cauſæ concurrant ad productionem gratiæ in Sacramentis.*
II. *Sacramenta pollent efficacitate conferendi gratiam.*
III. *Quæ efficacitas non eſt mere indirecta, nec objectiva.*
IV. *Sed ipſis Sacramentis propria immediate, & directe ex eorum inſtitutione.*
V. *Quando Sacramenta gratiam producant ſanctificantem.*
VI. *Quotuplex ſit gratia ſanctificans.*
VII. *Gratia ſanctificans primus Sacramentorum effectus.*
VIII. *Aliqua Sacramenta ſunt per ſe ordinata ad dandam primam gratiam.*
IX. *Alia ad ſecundam gratiam conferendam ſunt inſtituta.*
X. *Omnia propriam, & peculiarem etiam gratiam conferunt.*
XI. *In quo ſita ſit hæc propria, & ſpecialis gratia.*

I. AD gratiam in anima producendam plura procul dubio ſunt, quæ concurrunt, 1. ſcilicet Deus, ut cauſa prima, principalis, & efficiens. 2. Chriſti paſſio, tanquam cauſa meritoria. 3. Miniſter, ut cauſa miniſterialis conjungens materiam, & formam. 4. Ipſamet materia, & forma, ut cauſæ inſtrumentales. 5. Denique in adultis fidei, ſpei, aliaque pietatis officia, tanquam conditiones, & diſpoſitiones obſtacula removentes, & ſubjectum idoneum reddentes ad Sacramentorum percipiendum effectum. Quando igitur dicimus Sacramentorum effectum eſſe gratiam ſanctificantem, non de efficientia loquimur tanquam prodeunte a cauſa principali, ſed de efficientia dumtaxat inſtrumentali, quæ quomodo ſit Sacramentis tribuenda, nunc ſumus explicaturi.

II. Et primo quidem certum eſt omnia noſtra Sacramenta rite, recteque & adminiſtrata, & ſuſcepta aliqua pollere efficacitate ad gratiam ſanctificantem conferendam. Hujus propoſitionis veritatem, quam antiquiores hæretici Meſſaliani, & poſtremi Sociniani, Lutherani, & Calviniſtæ inficiantur, comprobant divinæ Scripturæ teſtimonia. Nam illa dicenda ſunt aliqua pollere efficacitate ad ſanctificantem gratiam producendam, quæ conferunt ad accipiendum Spiritum Sanctum, ad obtinendam peccatorum remiſſionem, ad vitam æternam denique conſequendam, quæ omnia profecto ſine gratia ſanctificante non poſſunt obtineri. Porro hoc præſtare, & efficere Sacramenta clare, luculenter, & diſerte prædicant Sacræ Scripturæ teſtimonia. Nam de Baptiſmo dicitur Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*. Et ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*. De Confirmatione Act. 8. *Imponebant manus*

nus ſuper illos , & accipiebant Spiritum Sanctum. De Euchariſtia : *Qui manducat meam carnem , & bibit meum ſanguinem , habet vitam æternam.* Jo. 6. v. 55. De Pœnitentia Jo. 20. *Accipite Spiritum Sanctum , quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis .* De Extrema Unctione Jacob. 5. *Oratio fidei ſalvabit infirmum , & , ſi in peccatis ſit , remittentur ei .* De Ordine ad Tim.4. *Noli negligere gratiam , quæ eſt in te , quæ data eſt tibi per Prophetiam , & impoſitionem manuum Presbyterii.* De Matrimonio non occurrit quidem expreſſus in Scriptura textus ſanctificationem ab eo collatam enuncians ; ſed præterquamquod illud , quod ceteris Sacramentis diſerte tribuit Scriptura , neque huic , quod Sacramentum appellat , deeſſe ſufficienter ſubindicat , ejuſdem ſilentium alia via compenſatur , perpetua ſcilicet Eccleſiæ traditione , & Patrum teſtimoniis , quorum plures notarunt , propterea nuptias in Cana Galilææ fuiſſe præſentia Chriſti illuſtratas , atque ſanctificatas . Sed traditionem hanc , Matrimonii , & reliquorum Sacramentorum ſanctificatoriæ virtuti patrocinantem , in ſingulorum tractatione afferemus .

III. Hæc tamen producendæ gratiæ efficacitas non eſt in Sacramentis indirecta , & objectiva , quatenus ſolum ad excitandam illam fidem conducant , quæ poſtea remiſſionem peccatorum , atque gratuitam ſanctificationem impetrandi vim habeant . Ponitur hæc doctrina adverſus Lutheranos , & Calviniſtas , qui totum juſtificationis negotium in fide divinarum promiſſionum reponunt ; & eatenus aliquam partem in eo peragendo Sacramentis etiam tribuunt , quatenus hæc tanquam dictarum promiſſionum monumenta , ſigilla , & pignora ad ingerendam , nutriendam , & corroborandam eorum fidem deſerviunt : at revera nihil per ſe Sacramenta operari exiſtimant. Sed horum errorem damnavit Trid. Synod. ſeſſ. 7. can. 5. ſtatuens : *Si quis dixerit hæc Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe ; anathema ſit .* Et revera , cum fides in adultis Sacramenta ſuſceptutis requiratur tanquam diſpoſitio neceſſaria ; profecto ad aliquid a fide diſtinctum , & ſeparabile prodeſſe , & ordinari Sacrameuta oportet : alioquin fruſtra ad fidem conciliandam adhiberentur , quæ jam ipſam fidem præſupponunt . Quod vero fides prævia exigatur , dubitare non ſinit Scriptura Marc. 16. *Qui crediderit , & baptizatus fuerit , ſalvus erit .* Act. 8. dicenti Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum , *Ecce aqua , quis prohibet me baptizari ? Reſpondit Philippus , ſi credis toto corde , licet .* Et illi , quibus Petrus Act. 2. dicebat , *Pœnitentiam agite , & baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum ,* jam antea crediderant , dum audita ejus concione , *compuncti ſunt corde* (ut ait ſacer Textus) *& dixerunt , quid faciemus , viri fratres ?* Fidem igitur , quæ Baptiſmum præcedit , ab ejus effectu diſtingui neceſſe eſt . Quod autem de Baptiſmo dicitur , eodem pacto & de ceteris a Chriſto inſtitutis Sacramentis , quoad operandi modum , & efficacitatem judicandum eſt . Præterea Joannis Baptiſmus non minus efficax erat ad excitandam fidem , quam Baptiſmus Chriſti : nam & in illo erat ablutio externa , non deerat verbum fidei , & promiſſionis , ut dicitur Luc. 3. *Venit Joannes in omnem regionem prædicans Baptiſmus Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum .* Et Act. 19. *Joannes baptizavit Baptiſmo Pœnitentiæ populum , dicens , in eum , qui venturus eſſet poſt ipſum , ut crederent , hoc eſt in Jeſum ;* & tamen Joannis Baptiſmus ea carebat virtute , quæ tribuitur Baptiſmo Chriſti : alioquin Paulus inepte juſſiſſet eos , qui baptizati fuerant Baptiſmo Joannis , iterum baptizari Baptiſmo Chriſti , ut dicitur Act. loc. cit. Denique ſi Sacramenta ſolum conferrent gratiam , quatenus excitant fidem , nihil profecto conferrent infantibus , qui rationis uſu carentes ad fidem actualem concipiendam non ſunt idonei ; immo potius aliquid conferrent circumſtantibus , in quibus per verbum concionale fides excitatur : & ſic gratiam conſequerentur , qui baptiſmum non ſuſciperent ; carerent autem , qui Sacramento abluerentur .

IV. Sacramenta itaque efficacia ſunt , & ordinata ad gratiam conferendam per ſe immediate ex propria , & directa inſtitutione iis , qui rite , & ſine obice ea ſuſcipiunt . Sequitur hæc doctrina ex præcedenti catholica veritate : ſi enim Sacramenta aliquo modo ad gratiam producendam apta ſunt , & ordinata , & non quatenus fidem excitant , nec ex merito Miniſtri ; ergo per ſe , & immediate hunc præſtant effectum . Ita revera docent & Sacræ Scripturæ teſtimonia , & Patrum conſtans traditio . Scriptura ſiquidem Sacramentorum operationi abſolute , & ſimpliciter ſanctificationem tribuit . Sic ſpiritualis regenerationis beneficium Chriſtus Joan. 3. baptiſmalibus aquis vendicat dicens : *Niſi quis renatus fuerit ex aqua , & Spiritu Sancto , non poteſt introire in Regnum Dei .* In quibus verbis particula *ex* juxta uſitatam ſuam poteſtatem denotat cauſæ per ſe influentis concurſum , & præſerrim hic loci eodem modo , & conjunctim ad aquam , & Spiritum Sanctum refertur , ad indicandam tum principalis , tum inſtrumentalis cauſæ in ea renovatione , quæ per Baptiſmum obtinetur , operationem . Confirmant Patres , qui diſertiſſime vim ſanctificandi inſitam eſſe Sacramentis ita docent , ut eorum applicatione , & efficacia interiorem in nobis juſtitiam gigni prædicent , & teſtentur . Plura , & prolixa teſtimonia a Polemicis Theologis recitantur , nos nonnulla tantum delibabimus . S. Juſtinus Martyr Apolog. aſſerit : *Nos baptizari , ut remiſſionem peccatorum conſequamur aqua .* Tertull. lib. de Baptiſmo cap. 4. *Aquæ ſanctificatione vim ſanctificandi combibunt .* Et lib. de Reſurrect. Car. cap. 8. Sacramentorum operationes expendens , ſic ſcribit : *Caro abluitur , ut anima emundetur ; caro ungitur , ut anima conſecretur ; caro ſignatur , ut anima muniatur : caro manus impoſitione adumbratur , ut anima ſpiritu illuminetur ; caro corpore Chriſti , & anima veſcitur , ut & anima de Deo ſaginetur .* S. Gregor. Nyſſ. Orat. in Baptiſmum Chriſti ait : *Baptiſma peccatorum expiatio eſt , remiſſio delictorum , renovationis , & regenerationis cauſa .* Sanctus Ambroſius lib. de Sacramentis cap. 5. *Non aqua omnis ſanat , ſed aqua ſanat , quæ habet gratiam Chriſti . Non ſanat aqua Baptiſmi , niſi prius Spiritus Sanctus deſcenderit , & aquam illam conſecraverit .* Sanctus Joannes Chryſoſtomus homil. 14. in Joan. *Quod eſt matrix embrioni , hoc eſt fideli aqua , ſi quidem in aqua fingimur , ut & reformemur .* S. Auguſtinus lib. 4. cont. Creſconium cap. 16. *Non eorum meritis , a quibus miniſtratur , conſtat Baptiſmus , ſed* pro-

propria ſanctitate, atque virtute propter eum, a quo inſtitutus eſt, mala utentibus ad perniciem, bene utentibus ad ſalutem. S. Leo Magnus ſerm. 5. de Nativ. *Virtus Altiſſimi, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, facit, ut regeneret unda credentem.* Concilia quoque ſuis definitionibus hanc veritatem confirmant. Conſtantinopolitanum I. in Symbolo verba illa addidit: *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Milevitanum cap. 2. docuit: *Parvuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in ejus regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* Arauſicanum II. can. 25. definivit: *Hoc enim ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia omnes baptizati* &c. Florentinum in Decreto pro unione Armenor. de Sacramentis univerſaliter ſtatuit: *Noſtra Sacramenta & continere gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferre.* Denique Trident. Syn. ſeſſ. 7. tam in Decreto, quam in Canonibus præſertim *6.* 7. & 8. *Si quis dixerit*, (verba ſunt Canonis *6.*) *Sacramenta novæ Legis non continere gratiam quam ſignificant; aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; anathema ſit.* Et can. 7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus; anathema ſit.* Confirmant hanc veritatem & ipſæ Sacramentorum formæ, *Ego te baptizo. Ego ſigno te. Ego te abſolvo* &c. quæ ſignificant effectum ſpiritualem vi iſtiuſmodi Sacramentalis operationis productum. Nec dicant his verbis denotari effectum jam animo ante per fidem productum. Nam ſicut ineptiret, qui ſignificare volens veſtem maculatam jam eſſe mundatam, diceret, *Ego lavo, ego mundo veſtem*; ita pari abſurditate diceret Miniſter, *Ego te baptizo, ego te abſolvo*, ut ſignificaret, *declaro te eſſe mundatum*, aut *tibi eſſe remiſſa peccata per fidem.* Denique idem evincit valor, & efficacia Sacramentorum. Nam Baptiſmus collatus infantibus, & quidem a Miniſtris infidelibus, & peccatoribus, profecto prodeſſe illis non poteſt nec ex fide accipientis, qui capax non eſt, nec ex dantis, qui abjecit: ſupereſt igitur, ut ſoli Sacramentali operationi ſalutaris gratiæ ſanctificantis tribuatur effectus, qui ex propria intranea virtute tantum præſtat beneficium.

V. Licet Sacramenta ſuum integrum ſortiantur effectum, infuſionem ſcilicet gratiæ, & in aliquibus characterem in illo ultimo inſtanti, quo Sacramentalis actio ſuum habuit complementum; improbabile tamen non eſt, totam ſacram actionem in ſuo decurſu agere, & operari ad gratiam, & characterem inducendum. Prima pars ſic evincitur. Nam ante illud inſtans nondum eſt totum Sacramentum, quo gratia producenda eſt; nondum eſt ſignum a Chriſto præſtitutum; nondum inſtrumentum ab eo delectum; uno verbo, nondum exiſtit integra cauſa, quam certe prævenire non poteſt effectus, cum contra ſemper cauſam præcedere effectum oporteat. Completo vero Sacramento, ſeu peracta integre ſacramentali actione, nihil impedit (niſi obex ſit in ſuſcipiente) ne ſtatim ſubſequatur effectus: nam tunc tota cauſa concipitur ad agendum applicata, proinde jam apta, & idonea ad effectum producendum. Altera quoque pars magna gaudet probabilitate: nam licet totum Sacramentum non habeatur, niſi in inſtanti terminativo actionis ſacræ; revera tamen totus ſacramentalis functionis decurſus ad hunc ſcopum collineat, & ad hunc terminum tendit, & ordinatur: & quamvis effectus ſolum in termino præſto ſit: terminus tamen ipſe tantam habet efficacitatem, quatenus totius præcedentis actionis complementum eſt. Sic ignis, dum diuturna calefactione lignum exſiccat, & ad ignis formam ſuſcipiendam diſponit, dicitur alteri igni producendo operam dare; licet ignis productio nonniſi tota peracta alteratione perficiatur. Rem explicat D. Tho. exemplo Sacramenti Euchariſtiæ, in quo oſtendit, quomodo per verba conſecrationis, quæ moram important, adhuc tamen converſio panis in Corpus Chriſti in inſtanti fiat. Sic enim ſcribit 3. p. q. 78. a. 4. ad 3. *Dicendum, quod prædicta verba, quibus fit conſecratio, ſacramentaliter operantur. Unde vis converſiva, quæ eſt in formis horum Sacramentorum, conſequitur ſignificationem, qua in prolatione ultimæ dictionis terminatur. Et ideo in ultimo inſtanti prolationis verborum prædicta verba conſequuntur hanc virtutem, in ordine tamen ad præcedentia.* Quod autem D. Thom. dicit de converſione panis in Corpus Chriſti, eſt pariter dicendum de infuſione gratiæ in aliis Sacramentis.

VI. Gratia ſanctificans alia actualis dicitur, quæ in piis humanæ voluntatis ad ſupernaturalia motionibus poſita eſt; alia habitualis, quæ donum permanenter in anima reſidens importat. Itidem habitualis gratia vel prima nuncupatur, quæ ſcilicet homini in lethali peccato exiſtenti ad juſtificationem infunditur; alia ſecunda, quæ homini Dei amico ſanctitatis affert incrementum. Præterea alia eſt Sacramentis omnibus communis; alia ſingulorum propria, & ſpecialis. Denique ipſa gratia habitualis ſpectari poteſt ſecundum gradum majoris, vel minoris intenſionis juxta recipientis diſpoſitionem.

VII. Primus Sacramentorum effectus eſt gratia habitualis, ſeu ſanctificans, non actualis, ſeu adjuvans. Patet hujus propoſitionis veritas 1. ex iis, qui in recipiendis Sacramentis nihil agunt; ut ſunt parvuli in receptione Baptiſmatis, Confirmationis, & antiquitus etiam Euchariſtiæ, in quibus profecto nulla fides, nullus pius motus, nulla actualis gratia locum habet, qui tamen fructu, & effectu Sacramentorum non privantur; proinde non niſi gratiam habitualem recipiunt, eiſque ſolam conferunt ſuſcepta Sacramenta. In adultis vero eadem veritas elucet: nam gratia, quæ ad fructuoſam Sacramentorum ſuſceptionem requiritur, profecto Sacramentorum effectus eſſe non poteſt; cum nullus ſit poſſibilis effectus, qui ſuam cauſam præveniat. Porro pii, & ſupernaturales affectus fidei, ſpei, ſancti timoris, odii in peccatum, & inchoatæ ſanctæ dilectionis, qui *excitantur in homine a Spiritu Sancto, non quidem cor ejus inhabitante, ſed tamen movente*, ut loquitur Trid. Concil. ſeſſ. *6.* cap. *6.* ſunt neceſſariæ diſpoſitiones ad juſtificationem, per Baptiſmum, vel Pœnitentiam, impetrandam. Præcedunt igitur Sacramentum, non ſubſequuntur: quamobrem effectus ipſius dici non poſſunt. Denique gratia, quæ confertur

per

per Sacramenta, ut habetur in pluribus Scripturæ locis 1. Petri, 1. ad Timoth. 3. ad Epheſ. 1. ad Corinth. 3., eſt gratia, quæ peccata remittit, a damnatione liberat, regenerat, ſalvos facit, renovat hominem ſecundum Deum in juſtitia, & ſanctitate veritatis, quæ eſt ſemen Dei, pignus hæreditatis, ſignaculum Spiritus Sancti, per quem fiunt homines Deo grati, amici, filii adoptionis, cohæredes Chriſti, templum, & habitaculum Dei, qui profecto characteres gratiæ conveniunt, quam habitualem vocant Theologi.

VIII. Aliqua Sacramenta, ſcilicet Baptiſmus, & Pœnitentia, primo, & per ſe ſunt inſtituta ad dandam primam gratiam, ſcilicet juſtificationem. Patet manifeſte: nam Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt per ſe primo inſtituta ad tollendum peccatum, quod affert mortem ſpiritualem: Baptiſmus quidem ad delendum peccatum originale, & peccata antecedentia ipſum Baptiſma: Pœnitentia vero ad ea abolenda, quæ baptizatus admiſit. Porro peccatum mortale per primæ gratiæ infuſionem expellitur, per quam de ſtatu peccati ad ſtatum transfertur juſtitiæ. Sunt igitur hæc duo Sacramenta ad primam conferendam gratiam per ſe inſtituta. Quare primum dicitur hominem regenerare, quia primam vitam infundit; alterum vivificare, & ſanare, quia amiſſam ſpiritualem vitam reſtituit: & ambo Sacramenta mortuorum appellantur.

IX. Alia vero Sacramenta per ſe, & attento fine primario, & directo ſuæ inſtitutionis ordinata ſunt ad ſecundam gratiam conferendam, augmentum ſcilicet ſanctificantis, & habitualis gratiæ. Hæc quoque aſſertio certa eſt, & omnium Theologorum calculis adprobata, & patet ex ipſa diſpoſitione per ſe requiſita, ac divinitus præcepta, ad fructuoſam illorum receptionem; nec non ex peculiaribus finibus, ad quos ſunt inſtituta. Sic Euchariſtia eſt ordinata ad conferendam gratiam ſpiritualis alimoniæ, qua virtus, & vita animæ reficitur, & roboratur. Extrema Unctio gratiam præſtat, quæ ſpiritualibus languoribus medetur, & ad extremam cum Dæmone luctam hominem inſtruit: & ſic reliquorum inſpectis officiis, & muneribus apparet, ea omnia referri ad promovendos, & adjuvandos homines jam ſpirituali vita gaudentes. Quamobrem qui ſciens, & volens ſpiritualiter mortuus ad ea Sacramenta ſumenda audet accedere, non ſolum beneficia Sacramentorum non conſequitur, ſed novo ſacrilegio polluitur. Hinc Sacramenta vivorum dicuntur.

X. Præter gratiam habitualem, vel primam, vel ſecundam, ſingula Sacramenta gratiam aliquam peculiarem cuique Sacramento propriam afferunt, quæ ab ipſis ſuam accipit denominationem. Hæc communis Theologorum doctrina ſic oſtenditur. Singula ſiquidem Sacramenta ad ſpeciales, & diſtinctos fines ſunt ex Chriſti inſtitutione ordinata; proinde & ſpeciales, ac diſtinctos effectus conferre debent. Ut enim ajebat Tertullianus loc. ſup. laud. *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima conſecretur; caro manus impoſitione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur; caro Corpore Chriſti veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur.* Et Eugenius IV. in toties memorato Decreto pro Armenorum inſtructione dicit: *Per Baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur; per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati, & roborati nutrimur divinæ Euchariſtiæ alimonia &c.* Et revera, ſi omnia Sacramenta nonniſi unum, & eumdem effectum præſtarent, non eſſent diverſa in ſignificatione, & efficacia, ſed ſolum materialiter differrent quoad ritum, ſive externas cæremonias, nec unum eſſet altero magis neceſſarium ad ſalutem; nec ratio aſſignari poſſet, cur Chriſtus plura inſtituerit.

XI. Hic autem effectus peculiaris, ſeu gratia ſpecialis ab habituali, & omnibus Sacramentis communi diſtincta non ſatis explicatur per ſpecialia auxilia gratiæ iis, qui Sacramenta ſuſcipiunt, opportune concedenda pro iis agendis, quæ fini ſuſcepti Sacramenti ſunt congrua; ſed in jure habituali, & permanente ad hæc auxilia gratiæ obtinenda. Primæ parti adverſantur plures Recentiores Theologi: ſed ejus veritas ſic evincitur. Quandoquidem hæc ſpiritualis gratiæ auxilia non ſtatim conferuntur, cum ſuſcipitur Sacramentum; ſed ſolum quando occaſio illis utendi ſe offerat. Sic c. ex. auxilium ad fortem fidei confeſſionem, ad quam Confirmatio ordinatur, ſolum neceſſarium eſt, & datur, quando urget perſecutio, vel aliquod fidei amittendæ occurrit periculum. Sed gratia ſacramentalis confertur in ipſa actuali Sacramenti ſuſceptione, quippe quæ eſt proprius, & immediatus ejus effectus. Ergo in aliquo præſenti beneficio, non in futuro auxilio eſt conſtituenda. Hinc ſequitur veritas ſecundæ partis: quia hoc jus & ſtatim confertur in ſuſceptione Sacramenti, & refertur ad ea gratiæ actualis adjumenta obtinenda, quæ idonea ſunt, & ſpecialiter conducunt ad finem cujuſque Sacramenti. Sic in Matrimonio digne ſuſcipientes præter incrementum gratiæ habitualis, quod commune aliis Vivorum Sacramentis, & ſpeciale jus conſequuntur ad auxilia gratiæ idonea ad fidem maritalem cuſtodiendam, ac concordiam fovendam, ad filios chriſtiane educandos. In hoc autem ſenſu ſunt intelligenda D. Thom. verba hic q. 62. a. 2. *Gratia Sacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam quoddam divinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem;* ſcilicet non meram Dei motionem tranſeuntem vocabulo *auxilii* ſignat, ſed habituale munus, quod hujuſmodi auxilia veluti connaturalia reddit ſubjecto gratia ſacramentali donato: & iſtud munus ideo jus permanenter inſitum ad prædicta auxilia vocamus, quia aliud non ſuppetit vocabulum, quod ejus notionem clarius inſinuet.

CAPUT SEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato.*
II. *In eam influunt non ſolum ut cauſæ morales, ſed & phyſicæ.*
III. *Sacramenta characterem imprimentia ficte ſuſcepta reviviſcunt.*
IV. *Non vero quæ characterem non imprimunt.*
V. *Sacramenta, quæ reviviſcunt, juxta ſubjecti diſpoſitionem majorem, vel minorem conferunt gratiam.*
VI. *Quomodo tollatur obex negativus, & poſitivus.*
VII. *Sacramenta mortuorum aliquando conferunt ſecun-*

cundam gratiam, *& vivorum aliquando primam.*

VIII. *Sacramenta inæqualem gratiam conferunt inæqualiter diſpoſitis.*

Conſectarium Primum.

I. SAcramenta gratiam producunt ex opere operato. Veritas hujus conſectarii adverſus Lutheranos, & Calviniſtas, qui hunc loquendi modum improbant tanquam novum, & barbarum, & quod pejus eſt, calumnioſe exponunt, clare eluceſcit ſola verborum explicatione. Nam Catholici per *opus operatum* nihil aliud intelligunt, quam ipſum Sacrameutum, ſive externum, & ſenſibile ſignum debite ſuſcipienti applicatum a Miniſtro juxta Chriſti inſtitutionem, atque Eccleſiæ praxim: & hoc opponunt *operi operantis*, ideſt pietati, ac merito Sacramentum conferentis, vel recipientis. Itaque gratiam producere ex *opere operato* eſt illam producere virtute, & efficacia operis ſacramentalis, etiam ab infideli, & indigno Miniſtro præſtiti, quod Donatiſtæ negabant: & aliquando etiam ſine ulla ſuſcipientis diſpoſitione, ut in infantibus; & ſemper vero in adultis ultra exigentiam diſpoſitionis prærequiſitæ, quæ ſolum ad tollendum obicem gratiæ, & non ad ipſam præſtandam eſt neceſſaria. Porro hoc revera efficere Sacramenta conſtat ex his, quæ diximus Cap. præced. n. 3. & 4. & confirmat S. Auguſtinus verbis loc. cit. recitatis adverſus Creſcon. lib. 4. cap. 16. *Baptiſmum* (& idem dicendum de aliis Sacramentis) *non eorum meritis*, *a quibus adminiſtratur*, *nec eorum*, *quibus miniſtratur*, *conſtare*, *ſed propria ſanctitate*, *& virtute propter eum*, *a quo inſtitutum eſt.* Et iterum contra Donatiſtas lib. 4. cap. 24. dicit, *ipſum per ſe Sacramentum multum valere.* Duo in hoc loquendi modo improbant, ut diximus, Calviniſtæ, nimirum novitatem, & barbariem vocis, deinde pravum ſenſum illi affingunt. Verum novitatem eludimus animadvertendo, adeo recentem non eſſe phraſim illam, quæ ultra trecentos annos ante Lutheri defectionem in Eccleſia frequentabatur. Nam circa XIII. Seculum cœpit, & ea uſus eſt D. Thom. in 4. ſent. Diſt. 1. q. 1. art. 5. quæſtiuncula 5. & ante ipſum Innoc. Papa III. lib. de Myſt. Alt. cap. 5. illam inſinuavit; proinde eam non immerito Tridentinum Concilium adoptavit. Præterea, quot nova vocabula in Eccleſiæ ſalubriter inſtituta ſunt ad Trinitatis, & Incarnationis Myſteria rite explicanda, & ad Hæreticorum deſtruendas fallacias, & æquivocationes, quæ proinde nec ab ipſis Lutheranis, & Calviniſtis rejiciuntur? Barbaries autem vocis, ſicut & grammaticæ leges parvi merito a Theologis habentur, quoties agitur de vocibus ad ſublimia Religionis noſtræ dogmata denotanda deligendis, in quibus non elegantia ſermonis, ſed popularis intelligentia, & inſtructio quærenda eſt. Unde optime S. Auguſtinus Enarrat. in Pſal. 148. maluit dicere *oſſum oſſi*, quam *os oſſis*, *quia*, inquiebat, *melius eſt*, *ut nos reprehendant Grammatici*, *quam non intelligant populi*. Binæ autem illorum verborum calumnioſæ interpretationes, altera Lutheri, altera Calvini, ſic refelluntur. Lutherus enim de Captiv. Babyl. cap. de Baptiſmo mentitur, Catholicos per *opus operatum* intelligere opus meritorium, ſeu dignitatem ex merito Miniſtri, vel ſuſcipientis accipiens. At impudenter mentitur: nam immo ex adverſo Catholici, ut diximus, opponunt *opus operatum operi operantis*, ſeu operantis merito, ut excludant errorem Donatiſtarum docentium efficaciam Sacramentorum a bonitate Miniſtri pendere. Calvinus vero in Antid. Concil. Trid. ad can. 5. & 8. ſeſſ. 7. dicit, conferre gratiam *ex opere operato*, nihil aliud apud Catholicos eſſe, quam conferre gratiam peccatori fide, & Pœnitentia deſtituto; ita ut vis *operis operati* inducatur ad excludendam in juſtificationis negotio fidem, & pœnitentiam, & omnem pium affectum illius, qui ſuſcipit Sacramentum. Hac explicatione nihil calumnioſius; cum immo oppoſitum doceat Catholica Eccleſia, quæ in Trident. Concil. ſeſſ. 6. cap. 6. diſertiſſime initium juſtificationis a fide, & pœnitentia deducit. Et ſeſſ. 14. de Pœnit. cap. 4. hanc Catholicis impactam calumniam aperte refellit, docens: *Falſo quidem calumniantur Catholicos Scriptores*, *quod tradiderint*, *Sacramentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium*, *gratiam conferre*, *quod nunquam Eccleſia Dei docuit*, *hoc ſenſit*. Aliud eſt ergo excludere fidem, & pœnitentiam a productione immediata gratiæ; aliud excludere diſpoſitionem, & præparationem ſubjecti neceſſario prærequiſitam in adultis ad obſtacula removenda, quæ ſacramentorum efficaciam poſſunt impedire: gratia itaque ex opere operato primam quidem excluſionem importat, non alteram.

Conſectarium Secundum.

II. Sacramenta per modum inſtrumentalis cauſæ influunt in effectum, nedum moraliter, ſed & phyſice. Et quidem moraliter influere manifeſte patet, cum ſint conditiones, quibus Deus ex ſua libera voluntate gratiæ alligavit conceſſionem, ita ut nonniſi iis poſitis eam conferre decreverit, iiſque extantibus infallibiliter, ſi cætera non deſint requiſita, ob ſuæ promiſſionis veracitatem largiatur. Influxum vero phyſicum inficiantur plures Theologi extra ſcholam D. Thom. ſed immerito. Nam dum de inſtrumentis agitur, non quid illa ex nativis viribus poſſint, expendendum eſt, ſed quanta ſit agentis principalis ea adhibentis potentia; ex hac enim inſtrumenta robur ſuum, & facultatem accipiunt: & multo magis inſtrumenta Dei, hic enim illis non utitur ob indigentiam, & quod ipſorum opera ad quidpiam moliendum coadjuvetur; ſed potius in rerum imbecillimarum ad præſtantiſſima quæque aptatione ſuam oſtendit potentiam. Quid autem impedit, ne Deus Sacramenta non ſolum tanquam inſtrumenta moraliter influentia, ſed & phyſice aſſumat? Num hoc Dei potentiam excedit? Abſit. Num contradictionem involvit? At hanc clare oſtendant, oportet, qui aliter ſentiunt. Immo non repugnare evincunt alia exempla inſtrumentalis operationis a rebus corporeis præſtitæ circa effectum, omnem eorum naturalem facultatem tranſcendentem. Sic igne inferni phyſice Dæmones, & animas damnatorum, purgatoriis quoque flammis cruciari juſtorum ſpiritus, nondum ad beatitudinem purgatos, docet Catholica fides, & Eccleſia; & de vero, & corporeo igne accipiendum eſſe Sanctorum Patrum

do-

doctrina non ambigit. Porro, quid virtutis elemento corporeo in ſubſtantias prorſus immateriales, quid eis imprimere, quid efficere poſſit, quo illas affligat, concipere vix poſſumus, immo omnino non poſſumus. Illud ſolum dicere valemus: nihil ignis ille ſua vi, ſed ut divinæ potentiæ inſtrumentum & poteſt, & facit, *miris quidem*, *ſed veris modis*, ut loquitur S. Auguſtinus. Sed de his fuſius agere ad Scholaſticos Theologos ſpectat, hæc indigitaſſe ſufficiat.

Conſectarium Tertium.

III. Sacramenta, quæ characterem imprimunt, ficte ſuſcepta reviviſcunt remota fictione: ideſt, ſi quando eadem Sacramenta valide quidem actu ſuſcipiuntur, ſed ob actualem ſuſcipientis indiſpoſitionem ſanctificantem gratiam impediuntur conferre, remoto poſtea obice quodammodo reviviſcunt ad effectum hactenus ſuſpenſum producendum, ſive fictio, ſeu indiſpoſitio voluntaria fuerit, ſive involuntaria. Veritas hujus doctrinæ, quæ univerſali gaudet Theologorum adprobatione, auctoritate innititur S. Auguſtini, qui pluribus in locis perſpicue tradit, Baptiſmum valide ſuſceptum, qui gratiam, & remiſſionem peccatorum operatus non fuerat ob hæreſis, vel ſchiſmatis impedimentum, poſtea utrumque conferre, cum ſic baptizatus veram amplectitur fidem, & ad Eccleſiæ revertitur unitatem. Sic itaque ſcribit S. Doctor lib. 1. cont. Donat. cap. 12. *In illo, qui fictus acceſſerat, fit, ut non denuo baptizetur, ſed ipſa pia correctione, & vera confeſſione purgetur, quod non poſſet ſine Baptiſmo, ut quod datum eſt, tunc valere incipiat ad ſalutem, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit.* Et iterum lib. 3. cap. 13. *Si autem quamvis apud hæreticos, & ſchiſmaticos idem ſit Baptiſmus Chriſti, non tamen ibi operatur remiſſionem peccatorum propter eandem diſcordiæ fœditatem, & diſſenſionis iniquitatem; tunc incipit valere idem Baptiſma ad dimittenda peccata, cum ad Eccleſiæ pacem venerit, non ut jam vere dimiſſa non retineantur, neque ut ille Baptiſmus quaſi alienus, aut quaſi aliis improbetur, aut alter tradatur, ſed ut ille, cui propter diſcordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur ſalutem.* Hinc Sancti Auguſtini doctrinam ſua auctoritate confirmavit Tridentina Synodus cap. 4. ſeſſ. 6. docens: *Quoniam prima juſtificatio, ſive regeneratio, poſt promulgatum Evangelium, ſine Baptiſmo, aut ſaltem ejus voto obtineri non poteſt*, &c. Porro niſi reviviſceret Baptiſmus poſt obicis amotionem in eo, qui ficte ſuſcepit, iſte aſſequendi unquam tanti beneficii, adeoque & ſalutis æternæ prorſus incapax evaſiſſet (quod nemo dixerit) nam neque iterato poteſt Baptiſmum accipere, nec ejus votum habere, quod impetrare non licet. Ergo niſi Baptiſmo vis concedatur, effectum in actuali ſuſceptione impeditum, tandem ſublata fictione præſtandi, omnis ad ſalutem obſtruitur via illis, qui a principio valide quidem, ſed infructuoſe acceperunt; cum originale peccatum, & actualia peccata mortalia ante Baptiſmum admiſſa non alio Sacramento, quam Baptiſmo, tolli poſſint; cum Sacramentum Pœnitentiæ, & tota clavium poteſtas ad ea ſola crimina dimittenda ſe extendat, in quæ poſt Baptiſmum homo ceciderit. Quod autem de Baptiſmi reviviſcentia dicitur, & ad alia Sacramenta characterem imprimentia eſt extendendum pari ratione: etenim non minus Confirmatio, ac ſacer Ordo, quam Baptiſmus ſemel valide ſuſcepta iterari amplius non poſſunt. Si ergo ſemel amoto impedimento ſpecialem illam gratiam, ad quam conferendam divinitus ſunt inſtituta, & quam in ſuſceptione a ſe præſtari fictio impedivit, non amplius efficerent, ſuo illo effectu irreparabiliter defraudari conſequeretur, & hominem in æternum ipſorum fructu privari; quod incommodum a Divina Providentia prohiberi debuiſſe ob eamdem omnino cauſam, ob quam excluſum creditur in Baptiſmo, rationi omnino conſentaneum videtur.

Conſectarium Quartum.

IV. Sacramenta vero, quæ characterem non imprimunt, ficte ſuſcepta non reviviſcunt. Huic doctrinæ obſiſtunt plures Theologi, etiam ex D. Thom. ſchola. Verum poſitam noſtram doctrinam longe probabiliorem eſſe, quæ ſequuntur, evincunt argumenta. 1. Nam noſtræ oppoſita ſententiæ nulla SS. PP. auctoritate munitur: quandoquidem Sanctus Auguſtinus de ſolo Baptiſmo locutus eſt, cum quo parem non habent rationem Sacramenta characterem non imprimentia. 2. Nullum pro illius ſive veritate, ſive probabilitate poteſt afferri ſolidum fundamentum: nam quod & hæc Sacramenta ſint opera Dei, ſint cauſa gratiæ aliquandiu impeditæ, non evincit, oportere illa, etiam poſtquam omnino evanuere, & amplius non ſunt, eſſe fœcunda. 3. Ex oppoſito prædicta Sacramenta ficte ſuſcepta nihil relinquunt in anima, quod gratiæ ſanctificantis moralem aliquam afferat exigentiam, & cum ſint iterabilia, eorum repetitione infructuoſæ ſuſceptionis damnum infructuoſa ſuſceptione contractum redimi poteſt. 4. Si hæc Sacramenta quocumque modo ſuſcepta aliquando prodeſſe credantur, magnus gratiæ cumulus colligeretur ex ſacrilega frequenti eorum ſuſceptione; quod certe credibile non eſt. Denique cum illis omnibus eminentius, & efficacius ſit SS. Euchariſtiæ Sacramentum, tamen ex illo indigne ſuſcepto fructum aliquem poſt obicis amotionem percipi aperte denegat D. Thom. in IV. diſtinct. 4. quæſt. 3. artic. 2. quæſtiuncula 3. ad 3. ſcribens: *In Euchariſtia non imprimitur character, cujus virtute poſſit aliquis virtutem Sacramenti percipere, fictione recedente.*

Conſectarium Quintum.

V. Sacramenta, quæ, fictione ſublata, gratiam conferunt modo explicato, eam conferunt abundantiorem, quo melior fuerit diſpoſitio ſubjecti obicem tollentis. Huic propoſitioni adverſatur Suarezius, qui arbitratur, tunc minimum tantum gradum ex divina inſtitutione conferri. At noſtra doctrina & communior eſt, & probabilior, quippe quæ in doctrina fundatur Tridentini Concilii ſeſſ. 6. cap. 7. generaliter docentis: *Gratiam in Baptiſmo* (& conſequenter in aliis Sacramentis) *conferri ſecundum propriam ſuſcipientis diſpoſitionem, & cooperationem*: actus autem, queis removetur obex, nedum tollunt, quæ olim Sacramenti impe-

diebant effectum, ut Suarez opinatur; ſed ſimul ad eumdem diſponunt, eapropter ad majorem gratiam, quo major fuerit, & perfectior diſpoſitio ſubjecti.

Conſectarium Sextum.

VI. Si fictio effectum impediens Sacramenti ſit mere negativa, nihil aliud ſcilicet, quam involuntariam, & inculpabilem neceſſariæ diſpoſitionis carentiam importans, ut in eo, qui Sacramentum ſuſcipit, defectum ſuæ fidei, & contritionis requiſitæ invincibiliter ignorans; tunc ad tollendum obicem illa ſufficit diſpoſitio, cujus ob carentiam, effectum Sacramenti in actuali ſuſceptione non fuerat conſecutus. Sic e. ex. ſufficit ea ſola ſupernaturalis contritio ad baptiſmalis gratiæ obicem removendum, quæ in actuali ſuſceptione ad eumdem obtinendum valuiſſet. Patet hujus doctrinæ veritas, quoniam talis diſpoſitionis carentia obicem poſuit: ejus igitur præſentia ad illum removendum ſufficiens erit & idonea. Animadvertendum tamen, ne qui Sacramentum Baptiſmi cum ea fictione ſuſcepit, in ullum poſtea mortale peccatum inciderit; nam peccata poſt baptiſmum commiſſa, ſola contritione tolli non poſſunt, niſi fuerit cum Pœnitentiæ Sacramento vel re, vel in voto conjuncta. Quamobrem, quando fictio eſt privativa, vel contraria; privativa quidem, ſi quis ſuſcipiens Sacramentum, culpabiliter debitam diſpoſitionem omittat; contraria, ſi præterea cum affectu peccaminoſo, vel irreverentia ſacrilega ad illud acceſſerit; tunc ad tollendum obicem neceſſaria eſt vel contritio perfecta cum voto Sacramenti, vel imperfecta cum eodem Sacramento conjuncta. Hæc doctrina, quæ in ſolo Baptiſmo indiget declarari, ſic oſtenditur. Quoniam cum tali fictione Baptiſmum ſuſcipiens lethaliter peccat; & hoc ejus peccatum eſt hominis baptizati, & qui jam Eccleſiæ membrum evaſit: ſic enim coexiſtit Baptiſmo, & ejus ultimo inſtanti terminativo, ut tamen conſummetur poſt ipſum; ſiquidem Baptiſmum ſubſequitur, quod ejus ſuſceptionem ſupponitur reddidiſſe ſacrilegam. Porro peccatum hominis baptizati Eccleſiæ clavibus obnoxium eſt, adeoque vel Sacramento Pœnitentiæ, vel contritione perfecta cum voto ejuſdem delendum. Nec nobis adverſatur D. Thom. hic q. 69. art. 10. ad 2. dum dicit: *Baptiſmus aufert omnem culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium, & etiam ſimul exiſtentium cum Baptiſmo.* Quandoquidem S. D. hanc efficaciam Baptiſmo non tribuit, niſi quando cum pœnitentia conjunctus eſt, in eo qui ſacrilege illud accepit, & duo tunc aſſerit concurrere ad gratiam producendam, Baptiſmum ſcilicet, & Pœnitentiam. Sic itaque l. l. ſcribit: *Fictio non removetur per Baptiſmum, ſed per Pœnitentiam ſubſequentem, qua remota Baptiſmus aufert omnem culpam, & reatum omnium peccatorum* &c. . . . *Et ſic ad Baptiſmi effectum conſequendum concurrit baptiſmus, & pœnitentia; ſed baptiſmus, ſicut cauſa per ſe agens; pœnitentia, ſicut cauſa per accidens, ideſt removens, prohibens.*

Conſectarium Septimum.

VII. Licet aliqua Sacramenta ſint per ſe, & ex indole ſua ordinata, & inſtituta ad primam gratiam conferendam, unde & mortuorum Sacramenta dicuntur; nihilominus aliquando ſecundam gratiam conferunt. Patet veritas hujus doctrinæ in Baptiſmo, & Pœnitentia: licet enim Sacramenta ſint primo, & per ſe inſtituta ad peccatum deſtruendum, ille quidem ad delendum peccatum originale, & peccata antecedentia, iſtud ad abolenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa; contingere tamen poteſt, Catechumenum ante ſuſceptionem Baptiſmi perfecta, & intenſiſſima Dei dilectione ſuccendi, per quam & originale peccatum, & cætera ſint illi dimiſſa; quod pari pacto & in Pœnitente contingere poteſt, accedente ad confeſſionem vel ſolis venialibus commaculato, vel ita intenſa contritione, ut jam ſint deleta peccata: tunc enim Baptiſmus, & Pœnitentia non primam afferunt gratiam, ſed ſecundam, ideſt augmentum gratiæ ſanctificantis. Nec tamen per hoc inutilia redduntur Sacramenta, quippe quæ, etiam antequam fiant, ad infuſionem gratiæ concurrunt, quatenus ſunt in voto; & intuitu Baptiſmi, & Pœnitentiæ ſuſcipiendæ contritio perfectiſſima vim habet delendi peccata; ut clarius explicabimus de Sacramento Pœnitentiæ. Ita pari pacto contingere poteſt, ut Sacramenta inſtituta per ſe, & realiter ad ſecundam gratiam impertiendam, primam juſtificantem producant; ut docet S. Thom. hic qu. 79. art. 3. in corp. ſcribens: *Hoc Sacramentum* (de Euchariſtia loquitur) *in eo, qui ipſum percipit in conſcientia peccati mortalis, non operatur remiſſionem peccatorum. Poteſt tamen hoc Sacramentum operari remiſſionem peccatorum dupliciter: Uno modo non perceptum actu, ſed voto; ſicut cum quis prius juſtificatur a peccato: alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam, & affectum non habet; forte enim primo non fuit ſufficienter contritus; ſed devote, & reverenter accedens conſequetur per hoc Sacramentum gratiam caritatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati.* Quod ſimili modo pronunciat & de Sacramento Confirmationis q. 72. a. 7. ad 2. dicens: *Si aliquis adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet, vel ſi etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento* (Confirmationis) *conſequetur remiſſionem peccatorum.* Et hunc eumdem effectum tribuit Extremæ Unctioni in IV. diſt. 23. q. 1. quæſtiuncula 1. unde & de reliquis vivorum Sacramentis ipſum pariter ſenſiſſe non eſt ambigendum.

Conſectarium Octavum.

VIII. Sacramenta ejuſdem ſpeciei ſuſcipientibus æqualiter diſpoſitis æqualem gratiæ gradum conferunt, inæqualem vero inæqualiter diſpoſitis. Primæ hujuſce conſectarii parti adverſantur Paludanus, & Cajetanus: ſed & communis eſt penes Theologos, & D. Thom. fulcitur auctoritate, qui noſtram doctrinam ſic confirmat hic q. 69. a. 8. in corp. ſcribens: *Per ſe quidem effectus Baptiſmi eſt id, ad quod Baptiſmus eſt inſtitutus, ſcilicet ad regenerandum hominem in ſpiritualem vitam. Et hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter ſe habent ad Baptiſmum. Unde quia omnes pueri æqualiter ſe habent ad Baptiſmum .... omnes*

æqua-

æqualem effectum percipiunt in Baptiſmo. Adulti vero, qui per propriam fidem ad Baptiſmum accedunt, non æqualiter ſe habent ad Baptiſmum. Quidam enim cum minori, quidam cum majori devotione ad Baptiſmum accedunt. Et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt. Quod vero de Baptiſmo docet S. D. proculdubio de aliis Sacramentis affirmat. Evincitur autem utraque pars valida ratione. Nam unumquodque Sacramentum definitum habet effectum licet nobis ignotum, ex certa lege, & promiſſione divina. Ergo ex parte ipſorum Sacramentorum hic effectus ſemper æqualis eſt; & ſi ex parte ſuſcipientium æqualis ſit diſpoſitio, æqualis quoque ex hac parte erit Sacramenti fructus. At ſi inæqualis ſit, & alter altero ferventius, & ardentius ad Sacramentum accedat; tunc inæqualis erit effectus, & major in illo, qui magis diſpoſitus accedit; ut docet Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 7. ubi de Juſtificatione loquens hæc habet: *Unumquemque recipere juſtitiam, & ſanctitatem ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem.* Sic autem Chriſtum voluiſſe, & inſtituiſſe (& hæc ſola ratio hic locum habere poteſt) inde colligitur, tum quod ad ſuavem Dei diſpoſitionem pertineat, ut homini melius diſpoſito plus detur gratiæ; tum quod ſimilis in cauſis naturalibus efficaciæ modus ſervatur; tum demum, ut hac ratione homines ad majorem præparationem, & diſpoſitionem excitentur. Nec dicas hanc uberiorem gratiam tunc non dari ex opere operato, ſed ex opere operantis, ex cujus parte ſe tenet hujuſmodi major diſpoſitio. Nam licet illa major diſpoſitio ſe teneat ex parte ſubjecti gratiam recipientis; eſt tamen ſolum conditio, ob quam Sacramentum vim ſuam explicare poteſt: ſicut & agentia naturalia ſolent producere effectum in ſubjecto juxta illius capacitatem, & diſpoſitionem.

CAPUT SEPTIMUM.

De altero aliquorum Sacramentorum effectu, ſcilicet Charactere.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Quid ſit character.*
II. *Veritas hujus characteris impreſſi probatur.*
III. *Character eſt potentia.*
IV. *Character eſt indelebilis.*
V. *Non reſidet in potentia animæ, ſed in intellectu.*
VI. *Quinam ſint characteris effectus.*

I. CHaracteris nomine a Patribus, & Conciliis deſignatur *ſignum ſpirituale, atque indelebile, ex tribus Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis in anima impreſſum, quo præditi ab ipſum non habentibus diſtinguuntur.* Et quidem in tribus præfatis Sacramentis, etiam ficte ſuſceptis, id eſt cum obice gratiæ ſanctificantis, ſuſcipientes charactere ſpirituali manere inſignitos, dogma eſt Catholicæ fidei, a ſolis hæreticis Wiclephiſtis, Lutheranis, Calviniſtis oppugnatum; contra ipſos tamen definitum in Concilio Trid. ſeſſ. 7. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, quoddam ſpirituale, & indelebile ſignum, unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit.* Hoc idem Catholicum dogma ante docuerat Eugenius IV. in Decreto pro Inſtructione Armenorum dicens: *Inter Sacramenta, tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, ideſt, ſpirituale ſignum, a ceteris diſtinctivum, imprimunt in anima, indelebile, unde in eadem perſona non iterantur.* Immo & Innoc. III. ab initio ſeculi XIII. in cap. *Majores* de Baptiſmi charactere Sacramentali, veluti rei certiſſimæ, omnibuſque Catholicis compertæ, fecerat mentionem.

II. Veritatem hujus catholicæ doctrinæ confirmare nituntur plures Theologi Sacrarum Scripturarum teſtimoniis: eapropter verba adducunt Apoſtoli 2. ad Corinth. cap. 1. *Qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Et ad Epheſ. 1. *In quo* (ſcilicet Chriſto) *credentes, ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis Sancto.* Verum hæc teſtimonia, cum paſſim a SS. Patribus de conſignatione per gratiam ſanctificantem explicentur, ineluctabilem probationem non afferunt. Efficacius itaque traditione perpetua evincitur. Porro perpetuam hanc traditionem in doctrina de characteris impreſſione & tradenda, & retinenda nobis plura oſtendunt momenta. Et 1. quidem Patrum teſtimonia luculentiſſima, qui in Baptiſmo ſignaculum quoddam ſpirituale, atque indelebile conferri teſtati ſunt, ut S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 4. & in Præfat. ad ſuas Catecheſes; S. Baſilius hom. 13. in S. Baptiſma; S. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu S. cap. 6. & lib. de Myſter. cap. 7. S. Epiph. hær. 8. S. Jo. Chryſoſt. hom. 2. in epiſt. ad Epheſ. S. Jo. Damaſcenus lib. 4. Orthod. Fidei cap. 13. Sed præ ceteris S. Auguſtinus frequentiſſime in ſuis operibus. Duo tantum recitabo. In lib. 2. cont. epiſt. Parmeniani cap. 13. ſic ſcribit: *An forte minus hærent Sacramenta Chriſtianis* (loquitur autem de Baptiſmo, & Ordine) *quam hæc corporalis nota?* (deſignat notam militarem) *cum videamus, nec Apoſtatas carere Baptiſmate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus, non reſtituitur, & ideo amitti non poſſe judicatur.* Et lib. 6. cont. Donatiſt. cap. 1. dicit: *Ovem, quæ foris errabat, ac dominicum characterem a fallacibus deprædatoribus ſuis foris acceperat, venientem ad Chriſtianæ unitatis ſalutem ab errore corrigi, a captivitate liberari, a vulnere ſanari, characterem autem Dominicum in ea potius agnoſci, quam improbari, quandoquidem ipſum characterem multi & Lupi & Lupis infigunt.* Quod autem de Baptiſmo ſæpius aſſeruit, & de Confirmatione, ac Ordine aliquando affirmavit. De Ordine quidem in eodem lib. & cap. cont. Parmen., illum cum Baptiſmo comparans, ſcribit: *Utrumque Sacramentum eſt, & quadam conſecratione, utrumque homini datur, illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur, ideoque in Catholica Eccleſia utrumque non licet iterari.* De Confirmatione vero lib. 2. cont. epiſt. Petil. cap. 104. ſic ſcribit: *Sacramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* 2. Elucet præfata traditio in unanimi Theo-

logorum aſſenſu. Unde enim oriri poteſt tanta, jam a XIII. ſeculo, in ipſis de characteris Sacramentalis impreſſione, uniformitas? Profecto non niſi ex univerſali Eccleſiæ ſenſu, & Majorum inſtructione. In quo & illud animadvertendum, in varias quidem abiiſſe veteres Theologos de natura characteris opiniones, doctrinaſque; at in ejus exiſtentia aſſerenda, docenda, tenenda ſemper mirifice conveniſſe. 3. Denique eadem traditio reſplendet in perpetua, & conſtanti Eccleſiæ de Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis initerabilitate doctrina: cujus quidem, admiſſo charactere, ratio obvia eſt; repetenda ſiquidem non ſunt, quæ ſemel ſuſcepta, in aliquo ſuo effectu indeſinenter perſeverant. Talem porro immutabilitatem non habet gratia in aliis Sacramentis collata, quæ & facile poteſt amitti, & non ſemel amittitur, &, ſi nunquam amittatur, poteſt tamen Sacramenti repetitione augmentum accipere: bene vero character habet, qui nunquam deficit, nunquam creſcit. Ergo ſolum ob characterem impreſſum, ſemel fas eſt ea Sacramenta accipere: hac ſublata ratione non ſuppetit amplius cauſa, cur aliqua repeti poſſint, alia non poſſint Sacramenta.

III. Quantum vero conveniunt Theologi, & Patres in charactere admittendo, tantum diſſident in ejus indole, atque natura explicanda. 1. Nonnulli enim, ut Durandus, in reſpectu rationis, ſeu in mera extrinſeca denominatione conſtituunt, qua quis ad certa Religionis Chriſtianæ munia, ratione ſuſcepti Sacramenti, Dei beneplacito deligitur. 2. Nonnulli, ut Scotiſtæ, in relatione prædicamentali. 3. Nonnulli in quadam qualitate, cujuſmodi ſunt habitus, diſpoſitio. Nonnulli denique ad illud genus qualitatis characterem revocant, quæ potentia, ſeu facultas dicitur. Et huic ſententiæ adhærent Thomiſtæ Præceptorem ſuum ſequentes, qui qu. *63.* art. 2. in argum. Sed contra ſic ſcribit: „ Juxta Philoſophum *Tria ſunt in anima, potentia, habitus, & paſſio*. Sed character non eſt „ paſſio; quia paſſio cito tranſit, character autem „ indelebilis eſt ... Similiter etiam non eſt habitus; quia nullus habitus eſt, qui ſe poſſit ad bene, & male habere: character autem ad utrumque ſe habet: utuntur enim eo quidam bene, alii „ vero male ... Ergo relinquitur, quod character „ ſit potentia ". Et in corpore articuli idem confirmat dicens: „ Character importat quandam potentiam ſpiritualem ordinatam ad ea, quæ ſunt „ divini cultus ". Et revera proprium eſt cujuslibet Sacramentalis characteris aliquam ad res divinas aptitudinem, & poteſtatem impertiri. De charactere Ordinis res eſt de ſe comperta, & in verbis ipſis, quibus confertur hoc Sacramentum, expreſſa. Baptiſmi character capacem reddit hominem Sacramenta, eorumque effectus ſpirituales percipiendi. Confirmatione vero ad fidem profitendam, & proprio etiam ſanguine confirmandam, ut formatus Chriſti miles, accipit virtutem, & firmitatem.

IV. Characterem vero Sacramentalem eſſe omnino indelebilem omnes Theologi docent, & tuentur; & definivit Tridentina Synodus ſeſſ. 7. can. *9.* *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde iterari non poſſint; anathema ſit*. Et quidem ſemel impreſſum amplius non tolli nec in hac vita, nec poſt mortem, ſed perpetuo manſurum in Beatis ad gloriam, in damnatis ad pœnam, & Eccleſiæ definitionibus conformius apparet, & S. Thom. ac Theologorum omnium confirmatur doctrina, & auctoritate. S. D. ſiquidem hic q. *63.* art. 5. ſcribit: *Cum anima ſit ſubjectum characteris ſecundum intellectivam partem, manifeſtum eſt, quod ſicut intellectus eſt perpetuus, & incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima*. Ex qua doctrina conſequitur, non fore iterum baptizandum, nec ordinandum chriſtianum hominem vel Sacerdotem, ſi defunctus miraculoſe revocaretur ad vitam, & ſemper ad Sacramenta recipienda, vel Sacrificium valide celebrandum reputaretur idoneus. Hujus autem perennitatis cauſam ex ſola Dei voluntate, & ordinatione repetunt plures Theologi. Cui tamen addenda eſt & ipſa characteris natura, quæ in ſe indelebilitatis radicem habet: non quia per Dei potentiam deſtrui non poſſit, quomodo poſſunt & omnia perire; ſed quoniam defitioni a naturalibus cauſis inductæ obnoxius non eſt character: quia non deficit vel per accidens & ad alterius ruinam, nec per ſe, quaſi a ſuo contrario perimatur; nam habet, ut obſervavimus ex D. Thom., ſubjectum ab omni interitu immune, quoniam in anima ſpirituali, & incorruptibili impreſſus eſt; nec quidpiam ſibi directe contrarium, a quo tollatur, pertimeſcit; nam eſt poteſtas ſpiritualis divinitus indita, cui nihil vel phyſice, vel moraliter adverſatur.

V. Characterem in anima imprimi nullus amplius eſt, qui diſputet, poſtquam Concilia Tridentinum, & Florentinum definivere, characterem in anima imprimi, & eſſe ſignum ſpirituale, atque indelebile. Digladiantur autem Theologi, num ſit in ipſa ſubſtantia animæ collocandus, vel in aliqua naturali ejus potentia; & hoc poſito rurſum diſſident, num ſit in intellectu, vel voluntate ſtatuendus, vel partim in intellectu, partim in voluntate. Nos breviter cum D. Thom. docemus, non in ipſa ſubſtantia animæ immediate, ſed in ejus potentia, nimirum intellectu, characterem reſidere. Quod ſic evincimus. Quod datur ad operandum, & agendum, ut ſunt virtutes, habitus operativi, & auxilia Dei, non in ipſa animæ ſubſtantia, a qua ſolum ut a radice, non jam ut a principio proximo, exeunt operationes, collocandum eſt. Porro character eſt, ut diximus, vis quædam, & poteſtas ſpiritualis ad exercenda, & perficienda, quæ ad Dei cultum pertinent. Ad hæc autem non ipſa animæ ſubſtantia, ſed ejus operativæ facultates immediate concurrunt. Ergo non in illa, ſed in iſtis eſt figenda characteris ſedes. Ita docet S. Thom. hic q. *63.* art. 4. ſcribens: *Character eſt quoddam ſignaculum, quo anima inſignitur ad ſuſcipiendum, vel tradendum ea, quæ ſunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibuſdam actibus conſiſtit. Ad actus autem proprie ordinantur potentiæ animæ, ſicut eſſentia ordinatur ad eſſe. Et ideo character non eſt, ſicut in ſubjecto, in eſſentia animæ, ſed in ejus potentia*. Hanc autem potentiam non eſſe voluntatem, ſed intellectum, ſic probat Angelicus Doctor art. 2. *Quoniam ſi immediate reciperetur in voluntate, eam ad bonum ſui uſum determinaret; ita ut Chriſtianus nunquam*

quam in characteris exercitio peccaret. Nam ſicut voluntas libere nunquam agit, quin aut bene, aut male in genere moris ſe gerat; ita quod habitualiter eam afficit, determinate vel ad bonum, vel ad malum inclinat, non ad utrumlibet ſe habet indifferenter. Charactere autem homo & bene, & male uti poteſt. Non eſt ergo in voluntate collocandus. Supereſt igitur, ſubdit A. P. art. 4. ad 3. *Quod, ſicut dictum eſt, character ordinatur ad ea, quæ ſunt divini cultus, qui quidem eſt quædam fidei proteſtatio per exteriora ſigna. Et ideo oportet, quod character ſit in cognoſcitiva potentia animæ, in qua eſt fides*. Sed de his fuſius ad Scholaſticos Theologos diſputare attinet.

VI. Characteris autem effectus hi enumerantur. Primus, & principalis eſt hominem idoneum reddere ad chriſtianæ vitæ miniſteria, & ea, quæ ſunt divini cultus, vel agenda, vel ſuſcipienda. Secundus, configurare hominem Chriſto Domino, ſummo, & æterno Sacerdoti, ut docet S. Thom. hic a. 5. ſcribens: *Character eſt quædam participatio Sacerdotii Chriſti in fidelibus ejus; ut ſcilicet ſicut Chriſtus habet plenam ſpiritualis Sacerdotii poteſtatem; ita fideles ejus ei configurentur in hoc, quod participant aliquam ſpiritualem poteſtatem reſpectu Sacramentorum, & eorum quæ pertinent ad divinum cultum*. Et hic opportune animadvertit, in Chriſto, *qui eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris*, & in quo *inhabitat plenitudo Divinitatis corporaliter*, nullum eſſe characterem; quia notari charactere ovi convenit, non paſtori; ſervo, non domino; militi, non Duci; Miniſtro, non Principi. Tertius denique, diſtinguere inſignitos ab aliis. Et quidem propter hæc duo proxime dicta, tanquam notiora, *Signum* a Conciliis, & Patribus appellatur.

CAPUT OCTAVUM.

De Cæremoniis in Sacramentorum adminiſtratione, & ſuſceptione ſervandis.

DOCTRINA.

I. *Cæremoniæ unde nomen ſumpſerint*.
II. *Quid eo nomine deſignetur*.
III. *Eas deteſtantur Hæretici*.
IV. *Earum vetuſtas oſtenditur*.
V. *Nec non honeſtas*.
VI. *Atque utilitas*.
VII. *Extat in Eccleſia poteſtas cæremonias, & ritus ſtatuendi*.
VIII. *Quam exercuit cæremoniarum uſum præcipiendo*.

I. CÆremoniæ vocantur ritus illi, qui in ſacris, ac religioſis functionibus obſervantur. Nonnulli putant, latinum hoc nomen ſuam originem traxiſſe a Ceretanis (qui & Cerites dicuntur) Oppidum Ceræ in Thuſcia incolentibus, apud quos Romani, Gallis Urbem tenentibus, ſua ſacra, nempe ignem æternum, Deos Penates, cum Veſtalibus ſervanda depoſuere. Nonnulli cum S. Iſidoro a *carendo* dictas arbitrantur, quaſi *Caremoniæ*, quoniam *eorum, quæ in ſacris divinis offeruntur* (inquit laudatus Pater 5. Etymologiarum) *uſu ſe abdicant homines*: quæ notatio maxime convenit pluribus Judæorum obſervationibus in abſtinentia poſitis a certis rebus. Nonnulli denique a gerendo, quaſi Ceremoniæ, quia in ſolemni exercitatione geruntur.

II. Sunt autem Cæremoniæ officia, ſeu actus externæ Religionis, nimirum virtutis Deo colendo incumbentis, ſub qua generali notione & ipſa Sacramenta, & eorum eſſentiales ritus cæremoniarum nomine comprehenduntur. Contractius vero cæremoniæ appellantur, quæ ſunt extra Sacramentorum ſubſtantiam poſitæ, & tamen in illis ſaltem ſolemniter adminiſtrandis adhiberi conſueverunt: quorum aliæ in verbis, ut exorciſmi in Baptiſmo; aliæ in geſtibus, & corporis motibus, ut genuflexiones, tunſiones pectoris, elevatio oculorum, extenſio manuum; aliæ in externarum materiarum uſu, puta aquæ benedictæ, ſalis, olei, luminum, veſtium, ſimiliumque verſantur. Aliæ item præcedunt, aliæ comitantur, aliæ ſubſequuntur eorumdem adminiſtrationem. Quædam etiam illarum *Sacramentalia* a Theologis vocantur, quia ex una parte Sacramenta non ſunt, neque divinæ inſtitutionis, ſed eccleſiaſticæ; & ex alia myſtica non carent ſignificatione: & præterea ſive Sacramentis adjunctæ, ſive ſeorſum uſurpatæ, aliquem ſpiritualem effectum habere creduntur; & ſic ad Sacramentorum virtutem, atque imitationem, licet modo longe diſpari, accedere videntur.

III. In has Eccleſiæ cæremonias debacchati ſunt, eaſque exoſas facere, atque eliminare conati ſunt tum olim Waldenſes, & Wiclephiſtæ, tum poſtea Lutherani, & Calviniſtæ, non quidem aliqua ſaltem ſpecioſa ducti ratione, ſed ex faſtidio, & contemptu Eccleſiæ Catholicæ; illaſque ut ſimplicitati Chriſtiani cultus non congruentes, ut a divinorum Miſteriorum contemplatione, & fide amoventes, ut populum vanis obſervationibus detinentes, ut ſuperſtitioni, atque erroribus viam parantes traduxere; multis præterea mendaciis, & calumniis ſunt inſectati, ut in eorum ſcriptis his querimoniis refertis legere eſt. At iſtorum inſaniam redarguunt ſacrarum cæremoniarum antiquitas, honeſtas, utilitas, quas in ſequentibus exponendas aſſumimus.

IV. Et quidem quoad antiquitatem, ſemper ab ipſis Eccleſiæ incunabulis in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione aliquas acceſſorias uſurpatas fuiſſe cæremonias, dubitare non ſinunt vetuſtiſſimi Scriptores. Tertullian. lib. *de Coron. Milit.* cæremonias, quibus ſuo ſeculo Baptiſmus conferebatur, deſcribit dicens: *Aquam adituri ibidem ſed aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manibus conteſtamur, nos renunciare Diabolo, & Pompæ, & Angelis ejus: deinde ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit; inde ſuſcepti lactis, & mellis concordiam deguſtamus, & ex ea die lavacro quotidiano per totum hebdomadam abſtinemus*. Mox ſubjicit ritus, queis Euchariſtia diſpenſabatur. *Euchariſtiæ*, inquit, *Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præſidentis ſumimus. Oblationes pro Defunctis, & pro natalitiis annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis ado-*

rare. Harum, & aliarum hujuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, fides obſervatrix. S Cyrillus Hieroſolymit. in ſuis Catecheſibus Myſtagogicis cæremonias explanat, quæ tunc temporis in Baptiſmate, & Euchariſtia adminiſtrandis ſervabantur. In Catecheſi prima loquitur de abrenunciatione, quæ ante Baptiſmum fiebat Diabolo, & pompis ejus. In 2. deſcribit Catechumenorum unctionem. In 4. de Veſte alba per aliquot dies a baptizatis geſtanda. In 5. ſingillatim narrat ritus in Sacrificio Miſſæ uſurpatos, eis, qui & nunc adhibentur, plane ſimiles, ita ut videatur Miſſam noſtram a Præfatione uſque ad finem deſcribere. Antiquiſſimi etiam ſunt Pœnitentiales Canones, in quibus cæremoniæ memorantur ad peccatores expiandos, & per varias Orationes, manuumque impoſitiones ad abſolutionem præparandos. Sacramentarium denique a S. Gregorio Magno, quod ſeptimi ſeculi initio editum fuit tam Sancto Pontifice, nihil aliud continet, quam ritus in Sacramentorum adminiſtratione obtinentes. Patet igitur ſemper in Eccleſia cum aliquo cæremoniarum apparatu Sacramenta adminiſtrata fuiſſe, & earum aliquas adeo eſſe vetuſtas, ut ad Apoſtolorum immediatam inſtitutionem referantur, juxta regulam, quam tradit S. Auguſtinus epiſt. 48. ad Januarium dicens: *Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel a plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri.*

V. Honeſtatem vero, & laudabilem uſum cæremoniarum oſtendunt 1. Chriſti Domini exempla, qui ſæpiſſime cæremonias adhibuit; ut cum Joan. 6. cæcum a nativitate curavit, liniens ejus oculos luto; cum Matth. 7. ſaliva tetigit linguam, & aures muti, & ſurdi; cum Matth. 26. & Lucæ 22. oravit flexis genibus in terram proſtratus, cum Spiritum Sanctum communicavit inſufflando in Apoſtolos; cum Euchariſtiam inſtituens, *gratias egit, benedixit, oculos in cælum levavit*. Porro quis tam inſanus, & audax, ut Chriſtum imitantem profanum dicat, & ſuperſtitioſum? 2. Confirmat Apoſtolorum exemplum, quos aliquarum cæremoniarum Auctores fuiſſe ex Auguſtino ſuperius vidimus. 3. Additur & exemplum vetuſtioris Eccleſiæ, quæ hujuſmodi cæremoniis perpetuo uſa eſt. Denique & naturali ratione veritas hæc roboratur. Cum enim cæremoniæ de ſe malæ non ſint, ſed indifferentes, ſi nulla vitientur prava circumſtantia, immo ad Dei cultum ordinentur & honorem, bonæ, & religioſæ evadunt. Poſſe autem ordinari, immo honeſtas eſſe, & divinum cultum ornantes, oſtendit S. Tho. 1. 2. qu. 102. art. 4. ſcribens: *Totus exterior cultus Dei ad hoc præcipue ordinatur, ut homines Deum in reverentiam habeant. Habet autem hoc humanus affectus, ut ea, quæ communia ſunt, & non diſtincta ab aliis, minus revereatur; ea autem, quæ habent aliquam excellentiæ diſcretionem, magis admiretur, & revereatur. Et inde hominum conſuetudo inolevit, ut Reges, & Principes, quos oportet in reverentiam haberi a ſubditis, & pretioſioribus veſtibus ornentur, & etiam ampliores, & pulchriores habitationes poſſideant. Et propter hoc oportuit, ut aliqua ſpecialia tempora, & ſpeciale Tabernaculum, & ſpecialia vaſa, & ſpeciales Miniſtri ad cultum Dei ordinarentur, ut per hoc animi hominum ad majorem Dei reverentiam adducerentur.*

VI. Utilitatem vero ſacrarum cæremoniarum dignoſcere poſſumus ex fructibus ſaluberrrimis, quos ex illis percipiunt fideles. Nam 1. aliquæ ad hoc proſunt, ut ſuſcipientes, & adſtantes facilius vim, atque efficaciam Sacramenti, quod adminiſtratur, intelligant, aut ſaltem animadvertant. Sic exorciſmi, & inſufflationes, quæ Baptiſmo præmittuntur, ſingnificant, vim eſſe in Baptiſmo originale peccatum delendi, hominemque ex Dæmonis poteſtate eripiendi: ita ut hinc argumentum traxerit Auguſtinus exiſtentiæ peccati originalis adverſus Pelagianos lib. *6.* cont. Jul. cap. 3. In mixtione aquæ cum vino Euchariſtico repræſentatur, ut notat S. Cyprianus epiſt. ad Cæcilium, Chriſto populum adunari, & credentium plebem ei, in quem credit, copulari, & conjungi. Signum quoque Crucis in Sacramentis omnibus adhibetur, ut admoneantur fideles totam eorum efficaciam ex Chriſti morte, & paſſione manare. 2. Aliæ deſerviunt ad attentionem fidelium circa rem divinam excitandam, & ſuaviter detinendam. Nam, ut obſervat Tridentinum Concilium ſeſſ. 22. de ſacrificio Miſſæ cap. 5. *Natura hominum ea eſt, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli*. 4. Quædam conferunt ad fidem, devotionem, reverentiam Sacramentis conciliandam, quarum Majeſtatem externo illo apparatu, ornatu, & pompa ſacrorum rituum veluti ſub oculos ponunt, & ad venerationem proniores intuentium animos reddunt. Item & externos geſtus, variamque corporis conformationem ad pietatem prodeſſe obſervat Sanctus Auguſtinus in lib. *de Cura pro Mortuis gerenda*, dicens: *Neſcio, quomodo motus corporis fieri ſine motu animi præcedentis non poſſunt, ex quibus viſibiliter factis, ille interior inviſibilis, qui eos fecit, augetur, ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent iſta, præceſſit, ut facta ſunt, redit*. Hinc merito Tridentina Synodus Novatorum errorem, & calumnias profligans, definivit ſeſſ. 22. can. 7. *Si quis dixerit, cæremonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, irritabula impietatis eſſe, magis quam officia pietatis; anathema ſit.*

VII. Eſſe autem in Eccleſia, ejuſque ſupremis Rectoribus, Summis Pontificibus, Generalibus Conciliis auctoritatem cæremonias inſtituendi, illarumque obſervantiam præcipiendi, extra omnem dubitationem poſuit Tridentina Synodus ſeſſ. 21. cap. 2. dicens: *Declarat S. Synodus, hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ſtatueret, vel mutaret, quod ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*. Et jure meritoque. Nam Eccleſia a Deo poteſtatem accepit curandi, & promovendi exteriorem Dei cultum, inſtruendi fideles, & ad pietatem eos informandi: & ad hæc omnia utiliſſimas eſſe cæremonias jam oſtendimus. Præterea eidem in perſona Apoſtolorum Sacramentorum diſpenſationis œconomia data eſt. *Sic nos exiſtimet homo* (ſcribebat D. Paulus 1. ad Corinth. 11.) *ut mi-*

miniſtros Chriſti, *& diſpenſatores Myſteriorum Dei*: proinde data etiam, & conceſſa poteſtas diſponendi, & ordinandi, quæ ad eorum decentem, atque utilem adminiſtrationem pro varia temporum conditione opportuna eſſe poterant. Quamobrem idem Apoſtolus laudata Epiſtola hanc ſibi conceſſam poteſtatem ſignificavit, cum, poſtquam multa de Euchariſtia digne ſumenda dixiſſet, ſubjecit verſ. 34. *Cetera*, *cum venero*, *diſponam*: quæ verba D. Auguſtinus intelligit de ordine, rituque ſervando in hujus Sacramenti ſumptione, & ſigillatim de Euchariſtia ante omnem cibum percipienda, quod ab Apoſtolis diſpoſitum fuiſſe non dubitat; *Et ideo* (ſcribit) *non præcepit Salvator*, *quo deinceps ordine Euchariſtia ſumeretur*, *ut Apoſtolis*, *per quos Eccleſias diſpoſiturus erat*, *ſervaret hunc locum*.

VIII. Hac autem poteſtate, & auctoritate uſa eſt Eccleſia cæremonias quaſdam in ſingulis Sacramentis conficiendis, & adminiſtrandis inſtituendo, & exacte ſervandas præcipiendo, quas proinde omittere, invertere, violare, multoque minus contemnere ſine peccato non licet. Id apparet manifeſte tum ex Concilio Tridentino can. 13. ſeſſ. 7. ubi ſtatuit, & definivit: *Si quis dixerit; receptos*, *& adprobatos Eccleſiæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos*, *aut contemni*, *aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti*, *aut in novos alios per quemcumque Eccleſiæ Paſtorem mutari poſſe*; *anathema ſit*.

CAPUT NONUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Nonnullæ cæremoniæ Sacramentalia ſunt*, *& quos præſtent effectus*.
II. *Peccatorum etiam venialium remiſſionem afferunt*.
III. *Sacras cæremonias non ſolum eſſentiales*, *ſed etiam integrantes omittens peccat lethaliter*.
IV. *Omittens accidentales peccat lethaliter*, *ſi ex contemptu*, *culpabili negligentia*, *vel cum ſcandalo faciat*.
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. NOnnullæ Eccleſiæ cæremoniæ, & præcipue, quæ in uſu conſiſtunt aliquarum rerum, ac benedictionibus, & precibus Miniſtrorum conſecrantur, quæ & Sacramentalia generatim dicuntur, ad certos peculiares effectus ordinantur, & mirifice proſunt. Declaratur hæc communis, & veriſſima Eccleſiæ doctrina. Nam ex his cæremoniis nonnullæ non ad meram populi inſtructionem, nec ad ſolam Sacramentorum inducendam reverentiam, aut unice ad excitandam pietatem, & devotionem fidelium, ſed ulterius ad quoſdam determinatos effectus ab Eccleſia ſunt ordinatæ, quos illa per benedictiones, & preces ſuorum Miniſtrorum diſtincte explicat, & poſtulat ab illis obtineri, qui cum fide, & devotione præfatis rebus, vel cæremoniis uſi fuerint. Porro non inaniter hæc intendi, & poſtulari ab Eccleſia, præterquamquod ejus cum Chriſto Capite ſuo, & Sponſo conjunctio, & familiaritas ſuadet, communis etiam fidelium ſenſus, & praxis confirmat. Et revera, ineſſe Sacramentalibus, de quibus loquimur, efficacitatem ad ea beneficia impetranda, quorum gratia aſſumuntur, & pii omnes conſulunt, & frequenter experiuntur in ſemetipſis. Nam, quanta in exorciſmis, in ſigno Crucis, & in Aquæ benedictæ aſperſione ad terrendos, fugandoſque Dæmones virtus elucet? *Signo Crucis* (inquit S. Athanaſius lib. de Incarn.) *omnia magica compeſcuntur*, *& venefica inefficacia fiunt*. *Veniat*, *qui iſtorum experimentum facere velit*, *& in ipſis præſtigiis Dæmonum*, *& impoſturis vaticiniorum*, *& in miraculis magiæ*, *utatur Signo Crucis*, *& videbit*, *quomodo ejus rei metu Dæmones fugiant*, *vaticinia ceſſant*, *magiæ*, *& veneficia conquieſcunt*. Idipſum plurimi teſtantur Patres, & innumera facta demonſtrant. Præter Dæmonum cohibitionem, attribuuntur Sacramentalibus plures etiam corporales utilitates, ut morborum depulſio, procellarum ſedatio, agrorum fertilitas, & ſimilia.

Conſectarium Secundum.

II. Præfata Sacramentalia etiam peccatorum venialium remiſſionem ſuo uſu afferunt, non quidem immediate, nec ex *opere operato*, proprie, ac rigide hanc locutionem accipiendo. Et primo quidem de hocce Sacramentalium effectu communis eſt Theologorum ſententia, a qua non diſſentit D. Th. cum hic q. 83. a. 3. ad 3. ſcribit: „ Quidam „ probabiliter dicunt, quod homo per ingreſſum „ Eccleſiæ conſecratæ conſequitur remiſſionem pec„ catorum venialium, ſicut & per aſperſionem a„ quæ benedictæ, inducentes quod in Pſal. 84. v. „ 1. *Benedixiſti Domine terram tuam* . . . *remiſiſti* „ *iniquitatem plebis tuæ* “. Quomodo autem hunc effectum, qui ad Sacramentorum operationem magis accedit, præſtent Sacramentalia, digladiantur Theologi. Nos, ut diximus, cenſemus non immediate venialia per uſum Sacramentalium auferri; quia nequeunt venialia tolli quoad culpæ reatum niſi per aliquam formam eis adverſam, & repugnantem, & cum eis incompatibilem; & hæc eſſe non poteſt aliquod donum habituale, nam cum quolibet gradu gratiæ venialia copulari poſſunt: ſed ſolum mediate, videlicet auxilia divina, voluntatem hominis moventia ad deteſtationem venialium, conciliando, & promerendo, ut docet S. Th. 3. p. q. 87. a. 2. ſcribens: *Unumquodque tollitur per ſuum oppoſitum*. *Peccatum autem veniale non contrariatur Caritati*, *ſed retardat actum ejus*, *inquantum nimis hæret homo bono creato* ... *Et ideo ad hoc quod peccatum veniale tollatur*, *non requiritur quod infundatur gratia habitualis*; *ſed ſufficit aliquis motus gratiæ*, *vel caritatis ad ejus remiſſionem*. Porro præfata auxilia a Sacramentalibus nobis non parantur *ex opere operato*, ut quidam putant; quoniam Sacramentalium effectus non eſt infallibilis, ſicut gratia Sacramentorum, ut omnes fatentur; neque in aliqua Dei ſpeciali promiſſione fundatur, quæ nullibi in Scripturis occurrit, nec ex intrinſeco ejus operis merito enaſcitur, ut patet. Nec e contra Sacramentalium vis reponenda eſt in ſola excitatione objectiva voluntatis humanæ ad pios illos actus edendos, quibus venialia expiantur: hoc enim pacto nimium extenuatur Sacramentalium vis, & efficacitas, cum illis non major tribuatur virtus, & efficacia, quam quæ ineſt pictu-

ris, & Imaginibus ſacris, nec non lectioni piorum librorum, aliiſque hujuſmodi exterioribus adjumentis. Quamobrem multo probabilius eorum vim, & efficaciam refundimus in Eccleſiæ orationes, quæ ſua ſanctitate, & meritorum copia impetrat iis, qui ſacramentalibus utuntur, opportuna auxilia ad venialia deteſtanda. Hæc autem vis impetratoria opus operantis involvit: quamvis ſi comparatio fiat ad utentem ſacramentalibus, (cum hujus merita vel dignitas non ſpectetur) in aliquo ſenſu, ſed latiore, dici poteſt etiam *ex opere operato* eidem præfata auxilia conferri. Sed de hoc fortaſſis redibit ſermo in Sacramento Pœnitentiæ.

Conſectarium Tertium.

III. Sacras Cæremonias non ſolum eſſentiales, ſed etiam integrantes omittens peccat lethaliter. Patet veritas hujus conſectarii. Nam ſi eſſentiales omittit, irritum facit Sacramentum; quare illum profanat, eique injuriam irrogat, ſicut & proximo graviſſimum damnum affert, ut ſuperius diximus. Si vero ſolum integrantes omittat, ſalva Sacramenti ſubſtantia, adhuc peccat lethaliter, quia legem Eccleſiæ in re gravi violat. Quamobrem graviter peccaret, qui exorciſmos in Baptiſmo, unctiones tum primam, tum ſecundam omitteret, inſufflationem, & uſum ſalis, & ſalivæ in Catechumeno; quia hæ ſunt partes hocce Sacramentum integrantes. Similiter lethaliter peccaret, qui in Miſſæ Sacrificio oblationem panis, & vini, vel Hoſtiæ, & Calicis omitteret elevationem, ſicut & ceteras cæremonias, quarum omiſſio gravem populo afferret offenſionem, ut ſuis in locis fuſius expendemus.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui vero accidentales ritus, vel cæremonias omittit, peccat lethaliter, ſi ex contemptu faciat, vel ex culpabili negligentia, vel cum adſtantium ſcandalo. A gravi vero culpa excuſatur, ſi res levis ſit, & abſit contemptus, & ſcandalum. Prima pars eſt de ſe manifeſta: nam vel levem ritum, leviſſimamque cæremoniam ex contemptu omittere, ut inquit S. Bernardus, *eſt convertere in crimen gravis rebellionis nævum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis*. Et idem pariter dicendum, ſi ex gravi prodeat negligentia omiſſio: nam in Sacramentis tum in miniſtrandis, tum ſuſcipiendis rei ipſius majeſtas, ſanctitas, gravitas eam attentionem poſtulat majorem, & maximam, cujus humana imbecillitas capax eſt. Quare gravis culpæ rei ſunt Sacerdotes, qui in Sacroſanctæ Miſſæ oblatione ex incuria, vel oſcitantia ſive in addiſcendis, ſive in exercendis ſacris cæremoniis actiones ſuis verbis non aptant, cæremonias dimidiant, magna celeritate confundunt, Cruces ita deformant, ut magica ſigna delineare videantur; quæ profecto magnam afferunt adſtantibus piis præſertim offenſionem, & ſcandalum. Levis vero culpæ reus erit, qui vel levem omittit cæremoniam, cum & in divinis, parvitas materiæ locum habeat; vel ex ſubita inadvertentia erret. Sed fuſius de his in ſingulorum Sacramentorum tractatione.

REFLEXIO.

I. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibut myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii?* Hæc profecto Eccleſia eſt Jeſu Chriſti, quæ ex deſerto gentilitatis paulatim aſcendens, ſicut tenuis virgula fumi, in magnam tandem crevit amplitudinem, & ſuaviſſimum ſanctimoniæ odorem per totum orbem diffundit. In ipſa ſunt aromata pretioſiſſima, & unguenta ſuaveolentia, quibus fideles ejus membra inunguntur ad ſanitatem, ad dignitatem, ad ſpecioſitatem, ad fragrantiam, ad ſuavitatem. Tantum enim bonum nobis præſtant Sacramenta, quibus Eccleſia firmatur, ornatur, munitur. Hæc enim tum ſanctificante gratia, quam diffundunt in cordibus noſtris, tum auxiliis, & divinis chariſmatibus, ad quæ obtinenda maxime fideles reddunt idoneos, ſanctitatem præſtant, conferunt dignitatem, ornant ſpecioſitate, fragrantia, & ſuavitate Deo, & Angelis quam maxime gratos efficiunt.

II. In Baptiſmo ſiquidem abluimur ad ſanitatem, dum originali labe emundatis gratia Spiritus Sancti diffunditur in cordibus, per quam ex Diaboli mancipiis filii Dei efficimur, divinæ conſortes naturæ, & Chriſti hæredes. Unde ajebat S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi III. *Deſcendi quidem in aquam, ferens peccata, ſed gratiæ invocatio ſignans animam, non permittit deinceps ab horrendo illo ſubmergi dracone. Mortuus in peccatis deſcendiſti, & aſcendis vivificatus in juſtitia.* In Pœnitentia quoque ungimur ad ſanitatem, linitis vulneribus, & abſterſis oleo, & vino, ut pius Samaritanus edocuit, oleo quidem miſericordiæ, qua a Deo condonantur peccata, vino compunctionis, & doloris, quo ſua peccata deflet peccator, & deteſtatur, & veniam petit, ut docet S. Ambroſius de Pœnit. lib. 1. cap. 16. ſcribens: *Volo veniam, reus ſperet, petat caro lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur, obſecret, & cum ſecundo, & tertio dilata fuerit ejus communio, credat ſe remiſſius ſupplicaſſe, fletus augeat, miſerabilior poſtea revertatur, teneat pedes brachiis, oſculetur oſculis, lavet fletibus, nec dimittet, ut de ipſo dicat Dominus Jeſus, remiſſa* ſunt peccata ejus multa, quia dilexit multum.

III. Ad dignitatem ungimur, dum in Sacramento Confirmationis ſacro Chriſmate delibuti fideles militari cingulo ornantur, tanquam milites Chriſti, pugnaturi uſque ad ſanguinis effuſionem pro fidei veritatibus ſtrenue tuendis, & confirmandis. Unde Tertullianus ſcribebat lib. de Baptiſmo n. 5. & 6. *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione ... In nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit, quomodo & ipſius Baptiſmi carnalis actus, quo in aqua mergimur, eſt ſpiritualis effectus, quo delictis liberamur. Deinde manus imponitur per benedictionem educens, & invitans Spiritum Sanctum .... Tunc ille ſanctiſſimus Spiritus ſuper emundata, & benedicta corpora libens a Patre deſcendit.* Et S. Melchiades in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſcribebat: *Quia in hoc mundo tota ætate victuris inter inviſibiles hoſtes, & pericula gradiendum eſt, in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam; in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur.*

Un-

Unguntur etiam ad dignitatem fideles, dum divino adſcribuntur Miniſterio, & ad oves Chriſti paſcendas, cuſtodiendas, regendas, ad ovile revocandas, tanquam Paſtores, ſacra Ordinatione aſſumuntur. Quare merito ſcribit S. Jo. Chryſ. lib. 3. de Sacerd. cap. 3. *Sacerdotium quidem in terris peragitur, ſed in cæleſtium rerum claſſem, ordinemque referendum eſt, atque idem per quam merito, quippe non mortalis quiſpiam, non Angelus, nec Archangelus, non alia quævis creatura, ſed divinus ipſe Paracletus Ordinem hujuſmodi diſpoſuit.* Unguntur etiam Miniſtri Altaris ad fragrantiam, ut Chriſti bonus odor ſint populis; ad ſuavitatem, ut alios ad ſui imitationem alliciant; ad ſpecioſitatem, ut populorum ſibi amorem concilient, & venerationem. Quare egregie animadvertit D. Ambroſius lib. 1. ep. 6. ſcribens: *Separavit Deus Sacerdotes a populo, & præcepit Moyſi, ut montem cum Sacerdotibus aſcenderet, populus autem deorſum ſtaret. Vides diviſionem? Nihil in Sacerdotibus plebejum requiri, nihil populare, nihil commune cum ſtudio, & uſu, & moribus multitudinis inconditæ. Sobriam a turbis gravitatem, ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitas ſibi vendicat Sacerdotalis. Quomodo enim poteſt a populo obſervari, qui nihil habet ſecretum a populo, & a multitudine diſpar? Quid in ſe miretur, ſi ſua in ſe recognoſcat? Si nihil in ſe aſpiciat, quod ultra ſe eveniat?* Quamobrem Thomas a Kempis Sacerdotes monet *oportere omnibus virtutibus eſſe ornatos, & aliis bonæ vitæ exemplar præbere. Ejus converſationem non cum popularibus, & communibus hominum viis, ſed cum Angelis in cælo, aut cum perfectis viris in terra.*

IV. Denique ad ſpecioſitatem, ſuavitatem, fragrantiam unguntur fideles, dum ſacra reficiuntur Euchariſtia, in qua, ut inquit laud. Auctor, *vitia curantur, paſſiones frænantur, tentationes vincuntur, aut minuuntur, gratia major infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, roboratur ſpes, caritas augeſcit, & dilatatur.* Dum in extrema Unctione & ipſæ peccatorum reliquiæ abraduntur, in quo, ut inquit Theophylactus, *Oleum datur ad labores utile, & lucis fomentum, & bilaritatis effectum ſignificans miſericordiam Dei, & gratiam Spiritus Sancti, per quam a labore liberamur, & lucem, & gaudium, hilaritatemque percipimus.* Et dum tandem Matrimonio Sacerdotali benedictione copulati, bonum, quod habent nuptiæ, participant. Hoc autem, inquit S. Auguſtinus lib. 9. de Gen. *Triplex eſt, fides, proles, & ſacramentum. In fide attenditur, ne per vinculum conjugale cum altera, vel altero concubatur. In prole, ut amanter ſuſcipiatur, benigne nutriatur, religioſe educetur. In Sacramento autem & conjugium non ſeparetur, & dimiſſus, vel dimiſſa nec cauſa prolis alteri conjungatur. Hæc eſt tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas.*

DE SACRAMENTIS
PARS ALTERA,
DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Omnia, quæ ad primum, & ſummæ neceſſitatis Sacramentum Baptiſma pertinent, unica concludemus Diſſertatione, in qua complectemur, quæ ad ejus naturam, inſtitutionem, neceſſitatem, effectuſque explicandos conducunt, ut Theologiæ Moralis Tyronibus nihil ad eruditionem deſit. Eam de more diſtincta Capita divident.

DISSERTATIO UNICA
DE BAPTISMI NATURA, INSTITUTIONE, NECESSITATE, ET EFFECTIBUS.

CAPUT PRIMUM.
Baptiſmi nomina, definitio, & inſtitutio explicantur.

DOCTRINA.

I. *Varia bujus Sacramenti nomina enumerantur.*
II. *Ejuſdem definitio exhibetur.*
III. *Inſtitutum a Chriſto Domino immediate fuit & quidem ante Paſſionem, & Reſurrectionem ſuam.*
IV. *Et probabilius, cum Diſcipulos ad prædicandum miſit.*

I. Lavacrum illud, quo in Chriſtiana Religione initiati, & Eccleſiæ, tamquam ipſius membra, aggregandi abluuntur, *Baptiſmus*, vel *Baptiſma* appellatur, quæ vox græcæ eſt originis, ut nomen ipſum, quod ablutio latine redditur, declarat. Et merito hoc nomine tum a Græcis, tum a Latinis Patribus donatum fuit, quia adhibetur ad animam a maculis peccatorum detergendam, & abluendam. Quamobrem dicebat Apoſtolorum Princeps Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* Verum, cum præter hunc præcipuum, proprium, & ſingularem effectum, alia præſtet beneficia, aliis nominibus tum in Scripturis, tum a Patribus deſignatur. Appellatur ſiquidem in Scriptura ad Epheſios 5. *Lavacrum aquæ*. Ad Tit. 3. *Lavacrum regenerationis, & renovationis*. 1. ad Corinth. *Sanctificatio*. Ad Coloſſ. 2. *Circumciſio non manufacta*. Ad Roman. 6. *Vitæ novitas, & ſepultura hominis cum Chriſto in mortem*. Et denique ad Hebræos *Illuminatio*. Quod poſtremum nomen Græci Patres ſæpiſſime uſurparunt ad denotandum, in Baptiſmo fidei habitum infundi, quo homines ſpiritualiter illuminantur: ſicut & Latini Patres frequenter *Fidei Sacramentum* Baptiſmum appellant, quia per ipſum initiati Chriſti fidelibus adnumerantur, & fidem in Chriſtum publice profitentur; per ſe quidem, ſi ſint adulti, per patrinos vero, & ſuſceptores, ſi nondum uſu rationis fruantur. Ab utriſque vero Patribus tum Græcis, quam Latinis *Sigillum*, *Obſignatio*, *Signaculum* audit, ratione videlicet characteris, quo Chriſtiani hominis anima obſignatur. Licet enim & alia quædam Sacramenta characterem imprimant; tamen hoc nomen ſpecialiter Baptiſmo tribuitur, quo primo diſcernuntur fideles ab infidelibus. Sunt & alia plura nomina, quæ huic tribuuntur Sacramento, & legi poſſunt apud S. Gregorium Nazianzenum Orat. 40. in S. Baptiſma.

II. Baptiſmi definitio multifarie a Theologis exhibetur, quidam externum ritum magis ſpectantes, alii vero ad ipſius ritus efficaciam, & virtutem reſpicientes. Hinc Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacramentis q. 6. cap. 1. ſic Baptiſmum definit: *Aqua diluendis criminibus ſanctificata per verbum Dei*. Magiſter Sent. lib. 4. diſt. 3. *Baptiſmus* (inquit) *eſt ablutio exterior facta ſub verborum forma præſcripta*: quam definitionem laudat A. P. 3. p. quæſt. 66. art. 1. Catechiſmus Romanus par. 2. n. 5. Baptiſmum definit: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Quæ definitio materiam, formam, effectum, genus, & differentiam ſub pauciſſimis verbis complectens, iiſque omnibus ex Scripturis N. T. ſelectis, jure laudatur. Verum in moralibus compoſitis, quæ ex pluribus, diverſique generis rebus conſtituta ſunt, explicandis vix brevitas cum claritate conjungitur, ut paucis valeant omnia comprehendi, quæ ad exactam eorum notionem deſiderantur. Ex memoratis ergo definitionibus hæc educi poteſt, fuſior quidem, ſed planior Baptiſmi deſcriptio: *Chriſtianum Baptiſma eſt exterior hominis ablutio cum expreſſa invocatione SS. Trinitatis ad gratiam regenerantem ſignificandam, ſimul & conferendam, a Chriſto inſtituta.*

III. Et quidem a Chriſto Domino immediate inſtitutum hoc regenerationis Sacramentum concedunt omnes tum Orthodoxi, tum Heterodoxi: & dubitare non ſinunt plura Evangeliorum loca, ac præſertim illud Matth. ult. *Euntes, docete omnes gen-*

gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Verum non ita conveniunt etiam Catholicæ Eccleſiæ Patres, & Theologi in inſtitutionis tempore deſignando. Non ante Paſſionem, & Reſurrectionem inſtitutum fuiſſe ſenſere Tertul. cap. 11. & 12. S. Jo. Chryſoſtomus, Theophyl., & Euthymius: & ipſe S. Leo Papa in ſua ad univerſos Siciliæ Epiſcopos epiſtola ab ipſis non diſſentire videtur. At horum opinio modo obſolevit, & contraria invaluit affirmans inſtitutum a Chriſto Baptiſma ante ſuam Paſſionem, & mortem, quæ eſt S. Auguſtini pluribus locis expreſſa, & omnium Theologorum ſuffragio gaudet, & adprobatione. Et revera Jo. cap. 3. com. 22. de Chriſto dicitur: *Poſt hæc venit Jeſus, & Diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*. Et com. 26. ſubditur: *Et venerunt* (diſcipuli Joannis) *ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, & cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*. Et rurſum initio Capitis ſequentis legitur: *Ut ergo cognovit Jeſus, quia audierunt Phariſæi, quod Jeſus, plures Diſcipulos facit, & baptizat quam Joannes* (*quamquam Jeſus non baptizaret, ſed Diſcipuli ejus*) *reliquit Judæam* &c. Porro neceſſe non eſt verba, quæ in poſtremo textu parentheſi incluſa ſunt, ita interpretari, ut a Chriſto nemini immediate Baptiſmus conceſſus fuerit, ſed ſolum mediante Apoſtolorum miniſterio; nam & in primo teſtimonio hujuſmodi non ponitur modificatio, & uterque locus conciliari facile poteſt, dicendo Chriſtum paucos aliquos baptizaſſe per ſe, ut certe ipſos Apoſtolos, per hos vero promiſcuæ multitudini dediſſe Baptiſmum. Et certe incredibile videtur Apoſtolis nondum baptizatis Euchariſtiam, & alios baptizandi facultatem præbuiſſe; ſicut & incredibile eſt eis, quorum pedes abluere non eſt dedignatus, per ſe Baptiſmum non dediſſe. Sed ut ut de hoc dicatur, vis hujus argumenti, quod ex his Evangelii textibus deducitur, in eo poſita eſt, quod ſive per ſe aliquando, ſive per alios baptizare conſueverit Jeſus, Baptiſmus certe, de quo ſermo habetur, eſt Baptiſmus Chriſti, qui dari a nemine poterat, ſi nondum fuiſſet inſtitutus.

IV. Quod ſi preſſius quæratur, quo definito tempore Baptiſmum ſuum inſtituerit Chriſtus, reſpondebimus certo definiri non poſſe, ſed probabilius tunc contigiſſe, quando Matth. 18. Marc. 3. Luc. 9. miſit Apoſtolos, ut Judæis Meſſiæ adventum denunciarent, dicens illis: *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquavit Regnum Cælorum*. Et quidem certo definire non ſinunt & ſilentium Evangelicæ Hiſtoriæ, & varietas opinionum, quæ Doctoribus Catholicis placuere. Nonnulli enim cenſent tunc inſtitutum Baptiſma, quando Joan. 3. Chriſtus dixit Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Sed in illis verbis Dominus ſolum a ſe condendi Baptiſmi neceſſitatem commendavit, non actualem, & exercitam inſtitutionem deſignavit. Alii vero, & plures, præſertim Patres, tunc inſtitutum a Chriſto arbitrantur Baptiſmum, quando in Jordane a Joanne baptizatus eſt. Sed tunc, ut obſervat S. Thom., ſolum ſolemnis quædam Baptiſmi inauguratio fuit, quam proprie dicta inſtitutio. Nam laud. Doctor Angelicus in IV. Sent. Diſt. 3. q. 2. a. 5. multiplicem Baptiſmi inſtitutionem explicat, & diſtinguit; ſed præcipue inſtitutionem *quoad uſum* ſecernit ab ea, quam vocat inſtitutionem *quoad materiam, & formam*, & hanc ultimam dumtaxat in Chriſti baptiſmo factam fuiſſe his verbis decernit: *Tunc vim regenerativam aquis Chriſtus contulit, & aliquo modo fuit forma figurata per præſentiam trium Perſonarum in ſigno viſibili, quia Pater apparuit in voce, Filius in carne, Spiritus Sanctus in columba: & ſimiliter fructus Baptiſmi ibi præfiguratus fuit, quia cæli aperti ſunt ſuper eum*. Et revera nullum opportunius tempus expreſſius Baptiſmi inſtitutionem collocandi noſtris ſe ſe offert conjecturis, quam illud, quo Chriſtus ſuos diſcipulos miſit ad baptizandum: miſit vero illos ad baptizandum, quando prædicationis per Judæam munus Apoſtolis delegavit. Nam ex Jo. 3. innoteſcit, tunc eos ſimul baptizare cœpiſſe. Quamobrem probabilius diximus, hoc fuiſſe definitum tempus Inſtitutionis Baptiſmi.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Diverſus plane fuit Baptiſmus Joannis a Chriſti baptiſmate.*
II. *Baptiſma eſt verum, & primum Novæ Legis Sacramentum.*
III. *Baptiſmi ſuſcipiendi præceptum quando obligare incepit.*

Conſectarium Primum.

I. Licet eodem tempore fuerint & Chriſti Baptiſma, & baptiſma Joannis; diverſus tamen plane fuit Baptiſmus Chriſti a Baptiſmo Joannis, & ritu externo, & maxime occulta efficacitate, ac virtute. Et quidem Chriſti Baptiſmus ex ablutione per aquam, & ex præſcriptorum verborum recitatione queis tres Divinæ exprimuntur Perſonæ, tanquam ex partibus eſſentialibus conſtat, ut in ſequentibus oſtendemus. At Joannis Baptiſma aut ſine ulla verborum prolatione dabatur; aut certe non verbis, quæ trium Divinarum SS. Trinitatis perſonarum expreſſam continerent invocationem. Nam ſi hanc adhibuiſſet Joannes, quomodo ab ipſo baptizati dicere potuiſſent Act. 19. ſe nihil de Spiritu Sancto audiviſſe? Ritus ergo plane diverſus erat in Baptiſmo Joannis, & Chriſti. Verum multo majus erat diſcrimen in virtute, & efficacitate. Nam ut optime obſervat D. Thom. 3. p. qu. 38. art. 1. ad 1. „ Baptiſmum Joannis erat „ quoddam Sacramentale diſponens ad baptiſmum „ Chriſti: & ideo aliqualiter pertinebat ad legem „ Chriſti, non autem ad legem Moyſis ". Sacramentale appellat Angelicus baptiſmum Joannis, quem tamen & Sacramentum appellare, latiori tamen ſignificatione, nonnulli Theologi non reformidant. Et revera Baptiſmi ſui inefficaciam confeſſus eſt & ipſe Joannes, dum ſponte profitebatur, *ſe baptizare quidem per aquam*, *Chriſtum* vero, utpote ſe fortiorem, baptizaturum *in Spiritu Sancto*, ut habetur Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3., quibus verbis declaravit, non tantum Chriſti perſo-

ſonam ſibi merito, & dignitate anteponere, ſed & Baptiſmum ſuum inferiorem virtute, & efficacia, utpote qui Spiritum Sanctum minime donaret. Præterea hanc Baptiſmatis Joannis inferioritatem oſtendit S. Th. ex his, quæ habentur cap. 19. Act. ubi dicitur, Paulum juſſiſſe fideles, qui Epheſi affirmabant ſe ſolum Baptiſmum Joannis ſuſcepiſſe, iterum baptizari in nomine Chriſti; quia inquiebat Apoſtolus, *Joannes baptizavit Baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent. Quibus auditis* (ſubdit Sacer Hiſtoricus) *baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu, & cum impoſuiſſent illis manus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos.* Patet igitur Joannis Baptiſma illa caruiſſe efficacitate, & virtute, qua Chriſti Baptiſmus pollebat, cum baptizati a Joanne adhuc Apoſtolo viſi fuerint Baptiſmo Chriſti indigere. Quamobrem optime inferebat S. Th. l. l. artic. 6. „ Illis, qui tantum in aqua bapti„ zati erant baptiſmo Joannis, non ſolum ſup„ plendum erat, quod deerat (ut ſcilicet daretur „ eis Spiritus Sanctus per impoſitionem manuum) „ ſed erant iterato totaliter baptizandi in aqua, „ & ſpiritu ". Nam, ut animadvertit artic. 3. „ Tota doctrina, & operatio Joannis præparato„ ria erat ad Chriſtum; ſicut miniſtri, & inferio„ ris artificis eſt præparare materiam ad for„ mam, quam inducit principalis artifex. Gra„ tia autem conferenda erat per Chriſtum, juxta „ illud Jo. 1. *Gratia, & veritas per Jeſum Chri„ ſtum facta eſt.* Et ideo Baptiſma Joannis gra„ tiam non conferebat, ſed ſolum ad gratiam præ„ parabat tripliciter. Uno quidem modo, per do„ ctrinam Joannis inducentem homines ad fidem „ Chriſti. Alio modo aſſuefaciendo homines ad „ ritum baptiſmi Chriſti. Tertio modo per pœ„ nitentiam præparando homines ad ſuſcipiendum „ effectum Baptiſmi Chriſti ". Hanc eamdem veritatem confirmant Patres, qui omnes magno intervallo Joannis Baptiſma a Baptiſmo Chriſti diſtare affirmant communi confenſione. *Regeneratio* (inquiebat Origenes in Jo. Tom. 8.) *non apud Joannem, ſed apud Jeſum per Apoſtolos ſuos fiebat. Joannis Baptiſma* (ſubdit Tertul. lib. de Baptiſmo cap. 10.) *mandato quidem divinum fuit, ſed humanum conditione, & poteſtate, nihil enim cæleſte præſtabat, ſed cæleſtibus præminiſtrabat, pœnitentiæ ſcilicet præpoſitum.* S. Ambroſ. in cap. 3. Lucæ: *Aliud fuit Baptiſma pœnitentiæ, aliud gratiæ eſt.* S. Auguſt. Tr. in Joan. *Quos baptizavit Judas, non ſunt iterum baptizati, & quos baptizavit Joannes, iterum baptizati ſunt: quos enim baptizavit Joannes, Joannes baptizavit, quos autem baptizavit Judas, Chriſtus baptizavit.* Sic veritatem hanc extra omnem dubitationem poſuit Tridentina Synodus, dum ſeſſ. 7. can. 1. definivit: *Si quis dixerit, Baptiſmum Joannis eamdem vim cum Baptiſmo Chriſti habuiſſe, anathema ſit.*

Conſectarium Secundum.

II. Baptiſmus Chriſtianus eſt verum novæ Legis Sacramentum, & inter Sacramenta primum tum ordine ſuſceptionis, tum ordine neceſſitatis. Et revera Baptiſmum eſſe verum Sacramentum patet, cum nulla illi deſit ad veram Sacramenti rationem requiſita conditio. Nam, ut diximus de Sacramentis in genere Diſſ. 1. cap. 1. n. 7. tria ad rationem Sacramenti requiruntur, Inſtitutio Chriſti, ſignum ſenſibile, promiſſio gratiæ. Porro Chriſti inſtitutionem non deeſſe oſtendimus cap. præced. n. 3. Non deeſt quoque promiſſio, & collatio gratiæ, cum dicat Apoſtolus 1. ad Cor. *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis.* Non deeſt ſignum ſenſibile, quod in ipſa ablutione exhibetur. Eſſe autem primum ordine patet ex perpetua Eccleſiæ diſciplina, quæ ad alia Sacramenta Baptiſmo non antea initiatos nunquam admiſit, nec capaces exiſtimavit. Et revera, cum Baptiſmus juxta Apoſtolum ſit *regenerationis lavacrum*, ſicut generatio naturalis ad omnia vitæ officia prærequiritur, ita regeneratio in Chriſto omnibus aliis Chriſtianæ legis officiis, expiationibus, ac miniſteriis præire debet. Hinc Baptiſmus Sacramentorum janua appellatur, per quam qui non ingreditur, in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, locum habere non poteſt. Eſt denique primus neceſſitate, quia ſine Baptiſmo ſalus æterna obtineri non poteſt, dicente Domino: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Sed de hoc fuſius infra.

Conſectarium Tertium.

III. Licet Chriſtus Baptiſmum ante ſuam Paſſionem, & mortem inſtituerit, præceptum tamen de eo ſuſcipiendo urgere cœpit ſolum poſt ejus in Cælum Aſcenſionem, & poſt ſufficientem Evangelii promulgationem. Ita docet Trid. Synodus ſeſſ. 6. cap. 4. declarans: *Translationem ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei ... poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poſſe.* Rationem reddit D. Thom. hic q. 66. art. 2. ſcribens: „ Neceſſitas utendi hoc Sacra„ mento indicta fuit hominibus poſt Paſſionem, & „ Reſurrectionem: tum quia in Paſſione Chri„ ſti terminata ſunt figuralia Sacramenta, quibus „ ſuccedit Baptiſmus, & alia Sacramenta novæ le„ gis: tum etiam quia per Baptiſmum configura„ tur homo Paſſioni, & Reſurrectioni Chriſti, in„ quantum moritur peccato, & incipit novam ju„ ſtitiæ vitam. Et ideo oportuit Chriſtum prius pa„ ti, & reſurgere, quam hominibus indiceretur ne„ ceſſitas ſe configurandi morti, & reſurrectioni „ ejus ". Sed de hoc iterum cum de neceſſitate Baptiſmi agemus.

CAPUT TERTIUM.

De Materia tum remota, tum proxima Baptiſmi.

DOCTRINA.

I. *Quænam ſit materia remota Baptiſmi.*
II. *Cur aquam Chriſtus elegerit in Baptiſmi materiam.*
III. *Quænam ſit dicenda vera aqua ad Baptiſmum idonea.*
IV. *Non omnis mixtio reddit aquam ad Baptiſmum ineptam.*

V. *Quid*

V. *Quid requiritur, ut non ſolum apta, ſed etiam licita Baptiſmi materia ſit.*
VI. *In neceſſitate licite quacumque aqua naturali uti conceſſum eſt.*
VII. *Ablutio proxima Baptiſmi materia.*
VIII. *Quæ ad recte, & rite peragendam ablutionem requirantur.*
IX. X. *Nonnulli caſus circa ablutionem reſolvuntur.*
XI. *Ut ablutio fiat ab agente libero oportet.*
XII. *Triplex ablutionis Baptiſmalis modus explicatur.*
XIII. *Quandiu obtinuerit in Eccleſia ritus Baptiſmi per immerſionem.*
XIV. *Nunquam tamen reprobatus ritus baptizandi per infuſionem.*
XV. *In Eccleſia Græca adhuc durat ritus immerſionis.*
XVI. *Quando in Eccleſia Occidentali deſinere incœpit.*
XVII. *Quando uſus baptizandi per infuſionem invaluerit.*

I. Duplicem diſtinximus in præced. Parte diſſ. 2. cap. 1. nu. 3. in Sacramentis materiam, remotam alteram, alteram proximam. Hanc pariter diſtinctionem adhibemus & in hoc Baptiſmi Sacramento. Quamobrem dicimus, materiam Baptiſmi remotam eſſe *aquam*, proximam vero *ablutionem*. Et quidem aquam eſſe remotam Baptiſmi materiam dubitare non ſinunt luculentiſſima teſtimonia Scripturæ Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua* &c. Act. 3. *Petrus dixit, numquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt ſicut & nos? Et juſſit eos baptizari*. Et rurſum Act. 17. Eunuchus Candacis Reginæ dixit: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? . . . & deſcenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum*. Et Paulus ad Heb. 10. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda a conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda*. Confirmat perpetua Patrum traditio, & cuſtodita ſemper praxis Eccleſiæ in ipſo Baptiſmi vocabulo manifeſtata, ita ut dicere potuerit S. Auguſtinus tract. 15. in Jo. *Tolle aquam, non eſt Baptiſmus*. Nomine vero aquæ intelligi aquam naturalem, ſive elementarem oſtendit ipſum aquæ vocabulum abſolute prolatum, quod ſolum ad id referri debet ad quod ſignificandum ex propria ſua inſtitutione eſt deſtinatum, & ſtatim audita voce menti occurrit. Et ſane, non niſi naturalis eſſe poterat; & elementaris aqua illa, qua Petrus una die tria millia, & altera quinque millia hominum baptizavit; & illa, in qua baptizatus fuit Eunuchus, & quæ in via occurrit, ut dicitur Act. 8. *Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, & dixit Eunuchus, ecce aqua, quid probibet me baptizari? & deſcendit uterque in aquam*. Quamobrem jure definivit Trid. Synodus ſeſſ. 7. can. 2. *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, anathema ſit*.

II. Quare vero Chriſtus aquam pro hujus Sacramenti materia deſignaverit, rationem reddit S. Tho. hic q. 66. art. 3. nimirum 1. „ Quantum ad „ ipſam rationem Baptiſmi, qui eſt regeneratio in „ ſpiritualem vitam; quod maxime congruit aquæ. Unde & ſemina, ex quibus generantur omnia viventia, ſcilicet plantæ, & animalia, „ humida ſunt, & ad aquam pertinent. 2. Ad effectus Baptiſmi ſignificandos, quibus competunt „ aquæ proprietates, quæ ſua humiditate lavat; „ ex quo conveniens eſt ad ſignificandam, & cauſandam ablutionem peccatorum: ſua frigiditate „ etiam temperat ſuperfluitatem caloris; & ex hoc „ competit ad mitigandam concupiſcentiam fomitis: ſua diaphaneitate eſt luminis ſuſceptiva; „ unde competit baptiſmo, inquantum eſt fidei ſacramentum. 3. Ad repræſentanda myſteria Chriſti, quibus juſtificamur. Ut enim dicit Chryſoſtomus ſuper illud Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit* (habetur hom. 24. in Jo. a med.) *ſicut in* „ *quodam ſepulchro, in aqua ſubmergentibus nobis* „ *capita, vetus homo ſepelitur; & ſubmerſus deorſum occultatur; & deinde novus rurſum aſcendit*. 4. Ratione ſuæ communitatis, & abundantiæ, eſt conveniens materia neceſſitati hujus Sacramenti; poteſt enim ubique de facili haberi “.

III. Naturalis vero, & elementaris aqua eſt habenda, quæ talis communi hominum ſenſu judicatur, & abſolute ſine aliquo addito appellatur; cujuſmodi eſt aqua, ſive maris ſit, ſive fluvii, ſive paludis, ſive putei, ſive fontis, ſive ſtagni, ſive pluviæ. Hinc aqua ex nive, & glacie reſoluta, immo & ex rore cæli collecta, idonea eſt Baptiſmi materia; quia ex concretione, & congelatione ſuam non amittit naturam, ad quam facile reducitur. Licet enim, dum in nive, glacie, grandine concreta eſt, non ſit apta ad baptizandum, tum quia tunc abſolute aqua non dicitur ſed nix, glacies, grando, tum quia ad abluendum apta non eſt, nec de ſe ordinata; facile tamen diſſolvi poteſt, & ad primam ſuam fluiditatem revocari, ut vere aqua ſit, & dicatur.

IV. Immo nec omnis alterius rei aquæ admixtio ſemper ita ejus naturam immutat, ut inepta fiat hujuſce Sacramenti materia. Quod patet ex praxi Eccleſiæ, quæ ſacrum Chriſma baptiſmali aquæ admiſcet; & ex ipſa maris aqua, quæ licet ſalinis particulis infecta, tamen aquæ naturam, & nomen ſervat. Hinc optima eſt Sancti Thomæ doctrina hic q. 66. „ in qualibet aqua, „ qualitercumque tranſmutata, dummodo non ſolvatur ſpecies aquæ, poteſt fieri baptiſma “. Quamobrem tanquam ineptæ non ſunt rejiciendæ aquæ minerales, licet ex tranſitu per mineralia loca ſulphureas, acidaſque particulas ſecum deferant, quas odore, & ſapore manifeſtant. Sicut & D. Thom. cenſet, nec ineptam eſſe aquam per cineres percolatam, quæ lixivium dicitur, nec in qua decoctæ fuerint herbæ, carnes, & piſces, niſi tanta decoctorum corporum in ea contingeret reſolutio, ut liquor plus habere de aliena ſubſtantia quam de aqua, ex ſpiſſitudine deprehendatur. Sic enim ſcribit l. l. art. 4. ad 2. „ Admixtio chriſmatis non ſolvit ſpeciem aquæ, „ ſicut nec etiam aqua decoctionis carnium, aut „ aliorum hujuſmodi, niſi forte ſit facta tanta „ reſolutio corporum lixatorum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena ſubſtantia, quam de „ aqua, quod ex ſpiſſitudine perſpici poteſt. Si „ tamen ex liquore ſic inſpiſſato exprimatur aqua „ ſubtilis, poteſt in ea fieri baptiſmus, ſicut &

„ in

„ in aqua, quæ exprimitur ex luto, licet in luto „ baptiſmus fieri non poſſit “: quia, ut ſuperius dixerat, „ lutum eſt magis terra, quam aqua, „ & vinum lymphatum magis eſt vinum, quam „ aqua “.

IV. Inepta ſumeretur materia baptiſmi ex illis liquoribus, qui nec aqua ſunt, nec dicuntur, ut ex cerviſia, lacte, urina, ſaliva, ſudore, ſputo, lacrymis; ſicut nec ex aqua vel verno tempore ex vitibus, vel aliis arboribus guttatim ſtillante, aut ope clibani e roſis, aut herbis expreſſa. Nam ea omnia nec naturam aquæ habent, nec abſolute aqua dicuntur; licet aliquam illius ſpeciem præſeferant, & etiam aquæ nomine donentur, ſed cum aliquo addito, puta aqua roſacea, aqua artificialis, & in eorum formatione naturæ aliqua imitatio habeatur per artem. Sic itaque docet A. P. loc. cit. ad 5. „ Aqua roſacea eſt liquor roſæ re- „ ſolutum, unde in ea non poteſt fieri Baptiſmus; „ & eadem ratione nec in aquis alchimicis, ſicut „ nec in vino. Nec eſt eadem ratio de aquis plu- „ vialibus, quæ generantur ex majori parte ex ſu- „ blimatione corporum reſolutorum ex aquis; mi- „ nimum autem eſt ibi de liquoribus corporum „ mixtorum: qui tamen per hujuſmodi ſublimatio- „ nem virtute naturæ, quæ eſt fortior arte, reſol- „ vuntur in veram aquam: quod ars facere non „ poteſt. Unde aqua pluvialis nullam proprieta- „ tem retinet alicujus corporis mixti: quod de „ aquis roſaceis, & alchimicis dici non poteſt “. Num autem inter hæc collocanda ſit & aqua ex ſale liquato expreſſa, dubium eſſe poteſt. Ego puto dubiam materiam: nam licet ſal ex ſola aqua maris fiat; tamen in eo tam parum aquæ remanet, quæ ita exſiccatur, ut novam plane rem conſtituat, mixtum nimirum ſal, qui licet iterum liqueſcat arte, aquæ tamen naturam nunquam recuperaſſe videtur. Secus vero dicendum de aquis miraculoſe ex petra elicitis, cum modus productionis miraculoſus rerum naturam non mutet, ſed efformet: ſic verum vinum fuit, quod ex aqua convertit Chriſtus in nuptiis Canæ Galilææ, & vera aqua, quam ex petra elicuit Moyſes in deſerto. Quamobrem & D. Thom. veram aquam fuiſſe teſtatur, quæ miraculoſe egreſſa eſt ex perfoſſo latere Chriſti in Cruce jam mortui. Unde ſic ſcribit l. cit. in reſp. ad 3. „ Aqua fluens de latere Chriſti pen- „ dentis in Cruce non fuit humor phlegmaticus, „ ut quidam dixerunt ... Fuit autem aqua pura, „ miraculoſe egrediens a corpore mortuo, ſicut & „ ſanguis, ad comprobandam veritatem Dominici „ corporis “.

V. Non omni aqua, tametſi idonea ad Baptiſmum materia, licite uti poſſumus; ſed talis eſſe debet, ut decens ſit tanto Sacramento, & ad hoc deſtinata. Veritas hujus doctrinæ patet manifeſte. Nam extra caſum neceſſitatis aquam adhibere fœdam, & lutulentam, magnam præſefert irreligioſitatem, & irreverentiam, adeout communiter lethalis culpa judicetur. Præterea talis abuſus Sacramenti obſcurat ſignificationem: non enim mundaret, ſed fœdaret, non ablueret, ſed inquinaret, & contemptui, ac deriſioni circumſtantium Sacramentum exponeret, qui baptizatum tali aqua fœdatum conſpicerent. Præterea ex præcepto Eccleſiæ in ſolemni Baptiſmo adhibenda eſt aqua benedicta, & ad hoc in Baptiſterio aſſervata: quod omittere profecto non leve peccatum foret, niſi neceſſitate excuſante, ut docent Salmanticenſes de Baptiſmo punct. 1. n. 4. Nam tali aqua eſſe in Baptiſmate utendum ex traditione Apoſtolica didicit Eccleſia, ut teſtatur S. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 27. Quamobrem ejus conſecrationem memorant Conſtitutiones, Apoſtolicæ dictæ, necnon S. Cyprianus epiſt. 70. ad Januar. S. Ambroſius lib. de Sacramentis, S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 3. aliique paſſim Patres. Solum autem diſcrimen inter Græcam, & Latinam Eccleſiam illud eſt, quod Græci aquam conſecrant, & benedicunt, quoties miniſtrandum eſt Baptiſma; Latini vero aquæ benedictionem peragunt ex antiquiſſima conſuetudine pridie Paſchatis, vel Pentecoſtes, ut patet ex veteri Ordine Romano in officio Sabbati Sancti: quam vigentem conſuetudinem teſtantur omnia fere Concilia, tum Provincialia, tum Diœceſana, quæ poſt Tridentinum habita ſunt: proinde talis aquæ uſus eſt cuſtodiendus, nec ſine gravi culpa omitti poteſt. Immo, quoties contingat hoc Sacramentum extra caſum neceſſitatis privatim adminiſtrari, ex ipſo ſacro fonte eſt deſumenda aqua, nec communi, & vulgari utendum.

VI. At, urgente neceſſitate baptizandi de vita periclitantem, non ſolum abſque ulla prorſus culpa adhiberi poteſt aqua conſecratione carens, quæ ad valorem baptiſmi nequaquam eſt neceſſaria, ſed etiam fœculenta, & qualis citius ad manus pervenit: immo & talis, de qua (alia non ſuppetente) utrum ſit idonea materia, nec ne, prudenter dubitatur; cum Caritas ſuggerat, ſubveniendum in extremo periculo potius dubio remedio, quam nullo, ſaltem conditionem ei Baptiſmati addendo. Nec in tali caſu ſpernenda illorum opinio, qui & aquam ex ſale reſoluto, & tenuem cerviſiam putant aquæ locum ſupplere poſſe; ita tamen, ut ſic baptizatus, ſi ſupervixerit, tutiore, & certiore Batiſmo ſub nota conditione, *ſi non es baptizatus &c.* donetur.

VII. Materia proxima Baptiſmi eſt ablutio per aquam. Patet hujus aſſertionis veritas ex generali doctrina, quam ſuperius dedimus, ſcilicet cujuſque Sacramenti materiam proximam ſitam eſſe in applicatione materiæ remotæ ad certum uſum. Porro uſus, ad quem aqua in Baptiſmo applicanda Chriſti inſtitutione deſtinatur, eſt externa corporis ablutio. Confirmat hunc aquæ uſum in Baptiſma applicandum & ipſummet Baptiſmi nomen, & baptizandi verbum in Chriſti verbis, atque in hujuſmodi Sacramenti forma expreſſum: *baptizare* enim in Sacrarum litterarum uſu, & communi ſenſu eſt *abluere*. 2. Scripturæ teſtimonia, quibus baptiſmus *lavacrum regenerationis*, & *vitæ* appellatur. 3. Effectus, ad quem ordinatur Baptiſma, ſcilicet ſpiritualis emundatio, ad quam ſignificandam externæ ablutionis deſervit analogia.

VIII. Tria itaque ad Baptiſmum neceſſaria requiruntur, ſine quibus ablutionis veritas vel dubie ſubſiſtit, vel non ſubſiſtit omnino. 1. Ut aqua baptizandi corpus immediate tangatur. 2. Ut partes aquæ ſucceſſivo motu partibus corporis applicentur; nam aqua contenta in vaſe, quamvis caput hominis immediate tangat, non dicitur tamen abluere, nec revera abluit. 3. Ut hic im-

immediatus, & ſucceſſivus aquæ corpus abluentis contactus fiat opera, & applicatione alicujus liberi agentis non aliquo fortuito caſu. Siquidem de ablutione, quæ ſit actio humana, vel ejus opus, eſt ſermo; cujuſmodi non eſſet, quæ haberetur ex repentino caſu infantis in puteum, vel fluvium, etiamſi de alicujus retinentis manu incogitanter elapſus eſſet. Non eſt tamen neceſſe ad ablutionis veritatem, ut qui aquam applicat, eam etiam immediate tangat, quemadmodum, ut baptizatus ab illa immediate tangatur, requiri affirmamus; ſed ſufficit, ſi per calathum, vel aliud vas ſupra baptizatum effundatur.

IX. Hac triplici animadverſione plures reſolvuntur caſus circa veritatem, & validitatem ablutionis. Sic primo valida eſt ablutio, qua aqua ſuper caput infantis effunditur prolata forma: licet aliæ corporis partes extra ablutionem ſint. Quamobrem docet S. Th. hic q. 68. art. 1. ad 4. „ Si primo „ ex utero matris caput egrediatur, in quo fun„ dantur omnes ſenſus, debet baptizari, periculo „ imminente; & non eſt poſtea rebaptizandus, ſi „ eum perfecte naſci contigerit “. Quam doctrinam adoptavit Eccleſia in præſenti diſciplina, quæ ſolum in capite abluit infantes, & in Rituali Romano ſtatuit: *Si Infantis caput emerſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec poſtea, ſi vivus evaſerit, erit iterum baptizandus*. 2. Non eſt certe valida, & legitima ablutio facta in alia corporis parte, vel membro, quæ caput non ſit. Ita docet S. Thom. l. l. ſubdens: „ Et videtur idem faciendum (ideſt non bapti„ zandum) quæcumque alia pars egrediatur, pe„ riculo imminente. Quia tamen in nulla exte„ riorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſi„ cut in capite, videtur quibuſdam, quod pro„ pter dubium, quacumque alia parte corporis ab„ luta, puer poſt perfectam nativitatem ſit bapti„ zandus ſub hac forma: *Si non es baptizatus*, „ *ego te baptizo* “. Quam pariter doctrinam adopravit Eccleſia, quæ in Rituali Romano pariter ſtatuit: *Quod ſi aliud membrum emerſerit, quod vitalem indicet motum, in illo, ſi periculum impenderet, baptizetur; & tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus*. Ex qua doctrina illud colligitur, ante exitum infantis ex utero matris ſaltem parte aliqua corporis non eſſe baptizandum, & baptiſmum nullum eſſe habendum; proinde minus probabilem cenſendam illorum Doctorum opinionem, qui putant, validum eſſe baptiſma, collatum infanti adhuc in utero matris incluſo, ſi ad eum ablutionis aqua aliquo modo poſſet deferri. Sed hanc quæſtionem fuſius diſcutiemus cap. 9. ubi de ſubjecto Baptiſmi diſputabimus. Ita pariter inſufficiens habenda eſſet illa ablutio, quæ ſolum ad veſtes, vel capillos pertingeret; quia vere homo ablutus non diceretur, cum capilli non ſint hominis partes. Nec dicendum, ablutis capillis cenſeri & caput ablutum; hoc enim non eſt undequaque verum, cum ablui poſſint, & etiam tangi capilli, inabluto, & minime tacto capite: & propterea ablutio non eſſe debet moralis, ſed phyſica. Quamobrem in quibuſdam Ritualibus indicitur, ut ſi capilloſus ſit, qui baptizatur, digitis ſiniſtræ manus cæſariem ejus diſcriminet Sacerdos, dum dextera aquam infundit, ut tangat aqua pellem capitis. Similiter ablutus in veſtibus non cenſetur niſi moraliter in corpore ablutus, nec valet ſi veſtes adeo tenues ſint, ut ad ipſum corpus aqua pertingat; nam licet & corpus ablutum dici aliquo modo poſſit; non eſt tamen illa ablutio, quam ritus poſtulat Baptiſmi, & Eccleſia adhibet, quæ nudum ſive corpus, ſive caput abluendum indicit. Non diſpari ratione valida non eſt omnino reputanda ablutio infantis pellicula ſecundina incluſi, quippe quæ pars non eſt corporis infantis, ſed merum integumentum a corpore ſeparandum. Quamobrem in caſu neceſſitatis, quando infantis mors timeatur, infringenda eſt pellicula, antequam abluatur. Quod ſi fieri non poſſit, niſi periculo mortis baptizetur, iterum poſtea baptizandus.

X. Altera conditio, ut diximus, eſt, quod partes aquæ ſucceſſivo motu partibus corporis applicentur. Quamobrem legitima, & valida ablutio non eſſet habenda ablutio, qua quis una, aut altera gutta aquæ aſpergeretur. Nec urget Petrum una die tria millia, altera die quinque millia hominum aſperſione baptizaſſe; ac proinde nonniſi aliquas guttulas aquæ ad nonnullos perveniſſe. Nam talem dicendum factam ab Apoſtolo ſuper turbam baptizandorum aſperſionem, per quam vere dicerentur omnes abluti, nedum moraliter, ſed phyſice, videlicet non ſupra veſtes, ſed in capite, & corpore. Eapropter nec valida eſt habenda illa ablutio, qua quædam mulier digito in aqua madefacto ſuper infantis frontem crucem efformavit, ut refert, & cenſet Colletus; ſicut nec ſi quis nivem, glaciem, grandinem corpori applicaret: licet enim iſta calore corporis reſoluta ipſum madefaciant: non tamen vere abluunt, nec ad abluendum adhibentur, niſi prius agentis calore, & opera ad naturalem aquam revertantur.

XI. Tertia conditio, ut ablutio fiat opera, & actione alicujus liberi agentis. Hinc non eſt ablutio, ſi quis videns fortuito infantem in puteum, vel flumen, vel canalem ruentem, formam proferat baptiſmi; quia non eſt illa ablutio ab ipſo facta, ſed a caſu plane progrediens: vel etiam ſi ab alio in flumen projici videat ad partum ſuffocatione occultandum, cum illa actio non fiat ad abluendum, ſed ad occidendum; & falſam redderet formam, *ego te baptizo*, cum ipſe non abluat. E contra ſufficiens ablutio ea dicenda eſt, qua quis puerum baptizandum vel aquæ a fonte proſilienti, vel ex ſtillicidio cadenti, vel ex recto defluenti ſubmittat; vere enim tunc eum abluere concipitur, cum hoc pacto & manus, & veſtes abluantur: & parum differre videtur actio infundendi aquam ad abluendum, & ſubjicere abluendum aquæ cadenti; ſicut par eſt actio & infundendi aquam, & immergendi. Pari pacto valida eſt ablutio, ſi baptizandus per funem in puteum, vel flumen demitteretur abluendus prolata forma. Nec veræ ablutioni obſtat alia prava adnexa voluntas, puta infantem necandi illum baptizando, vel aqua ferventi, vel venenoſa, quia adhuc vere ablueretur; ſicut vere manducat, qui cibum venenatum accipit: nec hæc prava adjuncta intentio aliam baptizandi deſtruit. Sed quid, ſi quis animo occidendi puerum, & ſimul ejus ſpirituali ſaluti proſpiciendi, ipſum in flumen, vel in puteum projiciat, verba formæ proferendo cum intentione baptizandi? Primum reſpondeo, non licere hoc

pacto infantem baptizare, quamvis ille moriturus eſſet ſine baptiſmo, quia mox ab infideli Tyranno occidendus, nec alius ſuppetat eum baptizandi modus. Nam eſt directa occiſio infantis, quæ per ſe adeo mala eſt, & juri naturæ adverſa, ut nullo pacto licite unquam fieri poſſit, 2. Certum eſt, projicientem in flumen puerum ad occidendum, & ſimul baptizandum, graviter peccare, & reum fore homicidii. Num autem eſſet valide baptizatus, dubitant Theologi. Negant communiter Scotiſtæ, quibus accedunt Dominicus Soto, Habert, qui pro hac opinione & Richardum a Mediavilla citat, his permoti argumentis. Quia, qui ſic agit, non videtur velle infantem abluere, ſed occidere: nec credibile apparet, Chriſtum in ſui Baptiſmatis inſtitutione talem abluendi modum comprehendere voluiſſe, qui directa eſt occiſio innocentis; quamvis per accidens, & ex intentione operantis ad ſpiritualem ſubmerſi ſalutem ordinetur. Præterea non habetur legitima ablutio, ſi immerſioni non reſpondeat emerſio. At probabilius oppoſitum tenent, & validum Baptiſmum habent Suarez, Laymannus, Salmanticenſes, Gonet, Berti: Piette, aliique plures perdocti Theologi: quia, inquiunt, nihil deeſt ad validum Baptiſmum, non materia, non forma, non vera ablutio, non intentio baptizandi. Nec obſtat ita agentem velle occidere infantem. Nam cum hac prava voluntate & alia conjungitur pia voluntas ipſum baptizandi; & Deus iis etiam miniſtrorum operationibus uti ad ſua Sacramenta non deſinit, quæ ob illorum malitiam ſunt pravæ, ſi alias externum, quod præſcriptum eſt, officium exhibeant: ut patet in Sacerdote, ſcienter conſecrante particulam panis veneno infectam ad occidendum communicantem, vere enim eam conſecrat. Similiter non obſtat legitimæ ablutioni, ſi immerſioni non reſpondeat emerſio. Prima enim actione fit ablutio, & emerſio factam ſupponit ablutionem, quæ pariter legitima habetur, tametſi nulla ex ablutione habeatur emundatio; licet vulgo non reputatur ablutum, quod a ſordibus non fuerit emaculatum: etſi enim ablutio ut plurimum emundationem inferat tanquam ſuum effectum; tamen & ſine illa eſſe poteſt, ſive quod ſordes non inveniat in corpore mundo; ſive quod tenacius inhærentes non auferat; ſive demum quod liquor adhibitus talis ſit, ut abluat, ſive madefaciat, non vero emundet, ut contingeret in aqua ſordida. Sed de hac quæſtione, quam inutilem vocat Habertus, pluſquam ſatis dictum arbitror.

XII. Porro hæc ablutio ad chriſtianum Baptiſma neceſſaria æque perfici poteſt ſive per immerſionem baptizandi in aquam, ſive aquæ ſuper ejus corpus effuſione, vel aſperſione. Nam uterque modus ad veritatem ſufficit externæ ablutionis: ſive enim corpus immergas in aquam, ſive aquam effundas in corpus, aqua immediate, & ſucceſſive tangit corpus, in quo vere & proprie dicta ablutio conſiſtit. Neuter præterea modus a Chriſto in particulari determinatus evinci poteſt, neuter excluſus: uterque vero Eccleſiæ praxi pro temporum varietate admiſſus, & probatus: quod argumentum invictiſſimum eſt, utrumlibet ad perficiendum Baptiſmum validum eſſe exiſtimandum.

XIII. Et revera in ſolemni Baptiſmo, & extra neceſſitatis articulum adminiſtrando immerſionis, & quidem triplicis ritus in tota Eccleſia per plura ſecula obtinuit, ut patet ex teſtimoniis veterum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum. Ex Græcis quidem Auctor lib. de Eccleſ. Hierar. cap. 2. S. Baſilius lib. de Spiritu S. S. Cyrillus Catech. Myſtag. 2. S. Joan. Chryſoſt. hom. 24. in Jo. S. Joan. Damaſcenus lib. 4. de Fide Orthod. cap. 10. & celebris eſt apud Orientales canon 50. alias 49. ex illis, qui Apoſtolici nuncupantur, in quo ſic ſtatuitur: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter non trinam immerſionem unius myſterii celebrabit, ſed ſemel mergat in Baptiſmate, quod dari dicitur in Domini morte, deponatur*. Ex Latinis vero triplicem immerſionem univerſim obſervatam commemorat Tertull. lib. ad Praxeam cap. 26. ſcribens: *Noviſſime mandans Chriſtus, ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum S., non in unum, nam nec ſemel, nec bis, ſed ter in perſonas ſingulas tingimur*. S. Ambroſius lib. 2. de Sacram. cap. 7. S. Hieronym. lib. 2. cap. 4. Epiſtolæ ad Epheſ. & in Dial. ad Lucifer. S. Leo M. epiſtola 4. ad Epiſcopos Siciliæ cap. 3. S. Gregor. M. lib. 1. Epiſtol. epiſt. 43. al. 41.

XIV. Tametſi talis ritus baptizandi in tota Eccleſia olim in uſu fuerit; non tamen reprobatus fuit ritus baptizandi per infuſionem, vel aſperſionem, ceu inutilis; immo aliquando etiam in illis ſeculis uſurpatus. Hujus aſſertionis veritas pluribus monumentis comprobatur. 1. S. Cyprianus in epiſt. ad Magnum, qui a ſe exquiſierat utrum *ii, qui in infirmitate, & languore gratiam Dei conſequuntur, habendi ſint legitimi chriſtiani*, *eo quod aqua luſtrali non loti ſint* (ſcilicet per immerſionem) *ſed perfuſi*. Reſpondet, *plene ab his per aſperſionem, & per fuſionem aquæ Chriſti baptiſmum obtineri, & cum eadem ubertate gratiæ, & prærogativis ſpiritualibus, ac ſi conſueto ritu accepiſſent*. 2. Quia non alio modo quam per infuſionem baptizabantur olim Clinici, ſeu Grabatarii, illi videlicet, qui ob periculoſam ægritudinem in lecto decumbentes Baptiſmum accipiebant: qui licet ſeu irregulares a Sacra Ordinatione ex illius ævi diſciplina repellerentur; vere tamen baptizati habebantur, & ſolum provehi ad Presbyteratum non poterant, quod minus voluntarie, utpote metu mortis impellente, & cum modica de fidei myſteriis inſtructione, baptizati præſumerentur. 3. Stephanus Papa II. in reſponſis ad varia conſulta datis Cariſiaci anno 754. ad 12. interrogatum, quo petebatur, *Si licet per neceſſitatem cum concha, vel cum manibus, infanti in infirmitate poſito, aquam ſuper caput fundere, & ſic baptizare*, reſpondiſſe invenitur: *Hoc Baptiſma, ſi in nomine Trinitatis peractum fuerit, firmiter permanebit*. 4. Ex Actis MM. SS. S. Gratiani, & ex Actis S. Bacchi Junioris apud noſtrum Combefiſium, & ex Actis S. Ludgheri apparet, Baptiſmum multoties pluribus datum per inſuperinfuſionem aquæ ex urceo, vel urna. Quare & antiquiſſimæ picturæ in agro Verano, & in Æde S. Benigni Divionenſis repræſentant Baptiſmum S. Romano a S. Laurentio, & S. Symphoriano a S. Benigno per infuſionem adminiſtratum. Quare non gratis ſcripſit D. A. hic quæſt. 68. artic. 7. S. Laurentium per effuſionem baptizaſſe. Ritus itaque baptizandi per immerſionem ex diſciplina fluxit Eccleſiæ, non ex divina immutabili inſtitutione.

XV.

XV. Ritus autem immerſionis adhuc apud Græcos, & antiquiores Orientales Eccleſias perſeverat. Græci tamen immerſioni etiam ſuperinfuſionem adjungunt, ut obſervat Goarius noſter in notis ad Euchologium, aquam cava manu e ſacro fonte hauſtam in infantium baptiſmo, quorum capita non immergunt, ne reſpirationem impediant, & ne per aures & os ſacra permeet aqua, ſuper caput infundunt. In Latina quoque Eccleſia uſque ad duodecimum ſeculum obtinuit. Nam poſt S. Greg. M. qui initio ſeptimi ſeculi obiit, & Ordinem Romanum, qui in capite de Sabbato Sancto, trinam immerſionem præſcribit in Baptiſmo ſervandam, de eadem in Baptiſmo ſervata, atque ſervanda nono ſeculo Alcuinus, Amalarius Valfridus Strabo mentionem faciunt, ſicut & undecimo ſeculo S. Petrus Damiani in Epiſt. ad ſuæ Congregationis Monachos. Et S. Anſelmus in Comment. in cap. 6. Epiſt. ad Romanos ſcribit: *Sicut ipſe Chriſtus diebus tribus in ſepulcro jacuit, ſic nos tribus vicibus ſepulcro Baptiſmatis emergimur*. Denique idem confirmat S. Bern. ſerm. in Cœna Domini, & Magiſter Sententiarum. At trina immerſio in Hiſpaniis jam a ſexto ſæculo obſoleverat, & adhibita ſolum ſimpla, ut patet ex Epiſt. S. Greg. Papæ de hoc argumento ad Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum, quæ eſt 43. lib. 1. & affirmat D. Th. hic art. 8. in corp. Sicut & teſte Edmundo Martene ſimpla immerſio in uſu erat eodem ſeculo etiam in tota Diœceſi Mechlinenſi apud Armoricos.

XVI. At tertio decimo ſeculo ritus hic mutari cœpit, & invaleſcere ritus baptizandi per infuſionem. Teſtes hujus mutationis ſunt Auctores, qui de modo baptizandi eo ſeculo tractarunt: hi ſiquidem ita de immerſione tanquam magis uſitata loquuntur, ut ſignificent alicubi aſperſionem, vel infuſionem loco illius introductam. Hic S. Thom. 3. p. q. 66. art. 7. in corp. ſic ſcribit: „ Quamvis „ tutius ſit baptizare per modum immerſionis „ (quia hoc habet communior uſus) poteſt ta„ men fieri Baptiſmus, vel per modum aſperſionis, „ vel per modum effuſionis, ſecundum illud E„ zech. 36. v. 25. *Effundam ſuper vos aquam mun„ dam;* ſicut B. Laurentius legitur baptizaſſe ". Et ad 2. iterum dicit: „ In immerſione expreſſius „ repræſentatur figura ſepulturæ Chriſti: & ideo „ hic modus baptizandi eſt certior, & laudabi„ lior ". In quibus S. Thom. verbis illud notandum volo. S. D., dum dicit, *tutiorem, & certiorem* eſſe Baptiſmum datum per immerſionem, non eſſe intelligendum quoad valorem, cum æque certus, tutuſque ſit Baptiſmus per infuſionem, ſed quoad licitam adminiſtrationem; quia cum tunc *communior uſus haberet baptizandi per immerſionem*, ab eo recedere nulli privato ex proprio arbitrio licebat.

XVII. Paulatim vero ita invaluit, & ſe dilatavit mos aquam infundendi in Baptiſmate, ut in Concil. Ravennat. anni 1311. utraque & immerſio, & ſuperinfuſio fuerit Miniſtri arbitrio relicta. Deinde vero fere in tota Occidentali Eccleſia omnino excidit immerſio, & quidem non ſine rationabili cauſa: quia nimirum Baptiſmus per immerſionem, tum baptizandorum, qui ut plurimum ſunt infantes, valetudini, tum adultorum, præcipue vero ſequioris ſexus, pudori accommodatior viſus eſt: illorum enim tenella ætas ex immerſione ægritudines facile contrahebat; iſtorum provectior & verecundia nuditatis difficultatem accedendi ad Baptiſmum inducebat. Præterea mortes, & ſuffocationes parvulorum, qui ex Miniſtrorum manibus in profundum Baptiſterii plures delapſi leguntur, in cauſa fuere, ut tutior baptizandi modus per infuſionem paſſim extenderetur; adeo ut hodierna conſuetudine in omnibus Ritualibus talis baptizandi ritus ſtatuatur. Ita tamen ut, ſi alicubi adhuc obtineat conſuetudo baptizandi per immerſionem, cuſtodiatur; at ubi abolita eſt, deſerta infuſione non inducatur. Primum docet Rituale Romanum, qui de Sacramento Baptiſmi adminiſtrando ſic Sacerdotem Miniſtrum inſtruit: *Sacerdos vaſculo, ſeu urceolo accipiat aquam baptiſmalem, & de ea infundat ſuper caput infantis in modum Crucis, & ſimul verba proferens &c.* mox hæc addit: *Ubi autem eſt conſuetudo baptizandi per immerſionem, Sacerdos accipiat Infantem, & advertens ne lædatur, caute immergat, & trina immerſione baptizet &c.* Ratio autem ſecundæ aſſertionis in eo certo fundatur principio, nimirum unumquemque Miniſtrum ad locorum, in quibus degit, & Superiorum, quibus ſubjectus eſt, legibus obtemperandum divino naturali, & Eccleſiæ univerſalis præcepto teneri. Unde & S. Auguſtinus epiſt. 118. de his agens dicebat: *Nec diſciplina ulla in eis melior gravi, prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſia, ad quamcumque forte devenerit.*

CAPUT QUARTUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Nec in caſu neceſſitatis adhibendus liquor, qui aqua non ſit.*
II. *In vino nec lymphato licet in neceſſitate Baptiſmum dare.*
III. *Licet in Baptiſmo abluta ſit notabilis pars corporis, non abluto capite, repetendum Baptiſma.*
IV. *Conferens Baptiſmum dubium in neceſſitate non imprudenter ſub conditione confert.*
V. *Ritus baptizandi per aſperſionem non eſt uſurpandus, niſi quando aliter dari non poſſit Baptiſma.*

Conſectarium Primum.

I. NEc in caſu neceſſitatis adhibendus eſt in Baptiſmo liquor, de quo certo conſtet aquam non eſſe: nam tunc profanationi exponitur Sacramentum, nullumque ſuſcipienti confertur beneficium. Hinc S. Carolus Borromæus Act. P. IV. monet: „ Aliis autem liquoribus, aut aquis, quæ „ ex floribus, herbis, aliiſque id generis expri„ muntur, eliciunturque, Baptiſmum confici non „ poſſe Parochus oſtendat ". Proinde ut falſa, & improbabilis habenda illorum Theologorum opinio, qui putant in neceſſitate adhiberi poſſe artificiales aquas ad baptiſmum conficiendum. Quando vero prudenter credi poteſt, liquorem naturam aquæ retinere, non eſt illicitum eo uti, immo jubente caritate conferendum per eum Baptiſma, ut infanti periclitanti de æterna ſalute eo meliori,

quo fieri poteſt, modo auxilium præſtetur. Hinc prudenter ex D. Thom. adhibetur ad Baptiſmum in neceſſitate conferendum & juſculum, & lixivium: quia, ut inquit S. D. q. 66. art. 4. ad 4. *tales aquæ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus mixtis, ſed ſolum alterationem quandam recipiunt ex hoc, quod tranſeant per aliqua corpora*. Ab hac S. Thom. doctrina, quam philoſoficam potius, quam Theologicam appellat, recedere nefas non eſſe ſcribit Franzoja. Nec illi vel culpæ, vel religioni verto, quippe qui dicere poteſt, ſe in nullius juraſſe verbo Magiſtri. Sed ſolum dico, non ſapienter ipſum recedere: nam quæ profert argumenta nec leviter D. Thom. doctrinam pulſant, quæ ſemper ſuam retinet & veritatem, & probabilitatem. Nam S. Th. non minus Philoſophus egregius fuit, ſaltem juxta vigentem ſuo tempore philoſophiam, quam Theologus. Præterea argumenta non evincunt. Nam 1. dicit, *juſculum non eſt aqua vera, & naturalis, ſed mixta ex particulis adipis, & carnis per totam aquæ molem diffuſis*. Fateor: at hæc mixtio naturam aquæ non immutat, ſed ſolum alterationem inducit, ſicut aqua maris eſt quid mixtum ex aqua, & particulis ſalis per totam aquæ molem diffuſis, & tamen adhuc vera eſt aqua: ſimiliter aquæ minerales ſunt mixtæ ex particulis aluminis, ſulphuris, aliorumque mineralium per totam aquæ molem diffuſis; & tamen naturam aquæ ſervant. Addit 2. *Nemo unus appellat juſculum aquam veram, & naturalem, ſed ſicut nomine, ita re ab aqua diſtinguit*. Verum repono, hæc diſtinctio, & diverſitas nominis ſolum aquæ alterationem deſignat, non alterius ſpeciei liquorem: niſi (ut animadvertit S. D.) *tanta ſit facta reſolutio corporum lixitorum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena ſubſtantia, quam de aqua*. Ipſemet Franzoja docet, in neceſſitate adhiberi poſſe ad Baptiſmum cerviſiam tenuem, ſicut & aquas artificiales, quas Pharmacopolæ longas vocant: & tamen cerviſia tenuis non aqua dicitur, ſed cerviſia; & aqua Pharmacopolarum non aqua ſine addito dicitur, ſed cum addito. Hinc aqua, in qua Thei, vel Caffei aliquid ſit decoctum, non aqua dicitur, ſed Theum appellant, vel Caffeum; & ſimiliter aqua, in qua immixtum ſit modicum ſacchari, & ſucci Citrini, non aqua dicitur, ſed italice Limonea: & tamen nullus ambigit in præfatis mixtam aquam permanere, nec ejus naturam ablatam, ſed ſolum alteratione aliqua leviter immutatam. Subdit 3. *Aqua a Chriſto Domino inſtituta eſt, quia per ablutionem corporis, & ſordium abſterſionem apte ſignificat, quod Baptiſmus efficit in anima, cujus maculas eluit, & abſtergit . . . . at juſculum, quo corpus non eluitur, ſed inquinatur, hanc ſignificationem non habet*. Egregie quidem quoad myſticam inſtitutionem; at inutiliter quoad phyſicam applicationem: alioquin aqua turbida, & lutulenta non eſſet apta materia Baptiſmi, quippe quæ corpus non emundat, ſed inquinat. Præterea hæc phyſica emundatio corporis non eſt neceſſaria ad valorem Baptiſmi: nam phyſice non habetur, ut ſuperius diximus, ſi corpus vel maculas non habeat, a quibus emundetur, aut ita inhærentes habeat, ut ea ablutione non tollantur. Ad myſticam itaque ſignificationem ſolum ſufficit, ut aqua de ſe a natura ordinata ſit ad maculas abſtergendas; licet per accidens hic & nunc adhibita, talem effectum minime præſtet. 4. Urget: *Nullum diſcrimen aſſignari poteſt inter juſculum, & aquas artificiales. Aquæ enim artificiales, ſi vere loquimur, nihil aliud ſunt, niſi aquæ naturales cum particulis, ſeu corpuſculis alterius generis permixtæ. Ergo ſicuti pro certo habendum eſt* (addere poterat, & fatetur D. Thom.) *aquas artificiales non eſſe aptam baptiſmi materiam ... ita etiam & de juſculo videtur dicendum*. At totum hoc ineptum argumentum jam præoccupavit D. Thom. & ſolvit in reſp. ad 5. ſcribens: *Aqua roſacea eſt liquor roſæ reſolutus; unde in ea non poteſt fieri Baptiſmus*. Et rationem jam reddiderat in corp. articuli ſcribens: *Ars deficit ab operatione naturæ: quia natura dat formam ſubſtantialem, quod ars facere non poteſt: ſed omnes formæ artificiales ſunt accidentales, niſi forte apponendo proprium agens ad propriam materiam, ſicut ignem combuſtibili*. En igitur diſcrimen inter aquas artificiales, & juſculum, ac lixivium. In illis ars non poteſt ex mixtis elicere veram, & naturalem formam aquæ, ſed quam inducit forma eſt accidentalis, & extranea naturæ aquæ, licet aliquam præſeferat aquæ ſimilitudinem: proinde aquæ artificiales ineptæ ſunt ad Baptiſmum. In juſculo vero, & lixivio ipſa ſubſtantia aquæ naturalis permanet, & ſolum mixtione alienorum corpuſcnlorum alteratur: quæ tamen alteratio, ut jam diximus ex D. Thom. *ſi tanta ſit, ut liquor plus habeat de aliena ſubſtantia, quam de aqua*, tunc talis facta eſt mutatio, ut non amplius aqua habeatur, quemadmodum patet in luto, in quo tanta eſt mixtio terræ cum aqua, ut non amplius aqua ſit, ſed lutum; & ſic inepta evadit Baptiſmi materia. Addit Franzoja, in Sacramentis conferendis non licere ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, ut liquet ex propoſitione 1. ab Innoc. XI. proſcripta. Ita ſane. Sed hic non de ritu agitur in Baptiſmi adminiſtratione ſervando, ſed de valida materia. Et D. Thom. ſolum in eo art. 4. agit de materia baptiſmi abſolute inſpecta, non vero in ordine ad ritum adminiſtrationis, ſed de illa, quæ in quocumque eventu adhiberi poſſit. Nemo autem ignorat plus requiri ad licitam, & rite habendam Baptiſmi adminiſtrationem, quam ad ejus valorem. Hinc valet Baptiſmus collatus aqua lutulenta, ſordida, fœtente; quod tamen illicitum eſſe nemo ambigit. Præterea propoſitio intelligenda eſt extra caſum neceſſitatis, & quando libera eſt electio materiæ, ut fatetur idem Franzoja, qui licitum dicit in neceſſitate uti cerviſia tenui, & aquis artificialibus longis, licet non niſi probabilem conſtituant baptiſmi materiam. Denique ſe a S. Thom. doctrina recedere dicit, ut Sacramentum in tuto ponat. At recedere non oportebat, ne faluti innocentis obicem poneret, utpote qui jam noſſe debebat, Sacramenta propter homines eſſe, non homines propter Sacramenta; nec ullam irrogari injuriam Sacramento, ſi neceſſitate urgente ea adhibeatur materia, quæ in promptu habetur, quando melior haberi nequit. Et hæc quidem dicta ſunt, ut A. P. mei doctrinam vindicem, quem ſine ullo prorſus errore ſcripſiſſe, & ejus oppugnatores ſemper eſſe de errore ſuſpectos, teſtantur Pontifices.

Con-

Conſectarium Secundum.

II. In vino nec lymphato adminiſtrandum eſt Baptiſma. Ita docet S. Th. hic a. 4. quia in vino etiam lymphato prævalet magis natura vini, quam aquæ, & vinum dicitur, non aqua. Nec contrarium unquam docuit Stephanus II. ut inſcite, & ſolum ex animi in Pontifices perverſitate aſſeruit Auctor Animadverſionum in Bullam Cœnæ pag. 24. ubi tantam tribuit huic Pontifici ſacræ doctrinæ ignorantiam, ut in hunc errorem prolapſum dicat, declarando validum Baptiſma & in vino collatum, ex reſponſo quod dediſſe legitur anno 754. ad Monachos Btitannici Monaſterii apud Gallos, conſultus de variis circa Baptiſmum quæſtionibus; in quo num. 11. ſic loquitur: *Si in vino quis, propterea quia aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adſcribitur culpa: infante: ſic permaneant in Baptiſmo.* Sed noſſe debebat Scriptor ille, qui maximam eruditionem affectat, 1. ſimile Decretum ſub Siricii Papæ nomine in aliquibus MM. SS. legi ſic expreſſum: *Presbyter, qui in vino baptizat pro maxima neceſſitate, ut æger non periclitetur, pro tali re nulla ei culpa adſcribatur: infans vero ille, ſi in SS. Trinitate baptizatus eſt, in eo baptiſmo permaneat.* Propterea hac ignorantia culpandi erant non ſolum Pontifices VIII. ſeculi, ſed & IV. in quo rexit Eccleſiam Siricius. 2. Utrumque Decretum ſuppoſititium eſſe, ut validiſſimis argumentis evincit Joannes Harduinus in ſua ſpeciali Diſſertatione de Baptiſmo in vino, quam legiſſe oportebat laudatum Auctorem, priuſquam tanta fiducia ſupinam ignorantiam Pontificum oſtentaret. 3. Reſponſum Stephano attributum ſanum proferre ſenſum, ſi particula *ſi*, quæ intercidiſſe videtur, inſeratur poſt illa verba *nulla ei adſcribitur culpa*, & hoc pacto continuetur oratio, *ſi infans ſic permaneat*: tunc enim reddit hunc ſenſum, non eſſe imputandum culpæ Miniſtri illius, qui per ſimplicitatem loco deficientis aquæ vinum ad baptizandum adhibuit, ſi infans ſine vero baptiſmo deceſſerit. Qui ſenſus & titulo reſponſioni præfixo, qui eſt de baptiſmate, non de baptizato, & ſequentibus verbis magis congruit: ſubditur enim: *Nam ſi præſens adfuit aqua, ille Presbyter excommunicetur, & Pœnitentiæ ſubmittatur, quia contra Canonum ſententiam agere præſumpſerit.* Ex quibus verbis manifeſte patet, quæſtionem non fuiſſe de valore baptiſmi, ſed de culpa, & pœna baptizantis; atque Stephanum non docuiſſe validum baptiſmum in vino collatum, ſed ſolum vel puniendum Miniſtrum, ſi hoc ſine neceſſitate præſtitit, vel excuſandum, ſi deficiente aqua ex ſimplicitate ita ſe geſſit. Porro vel hoc ignorabat Scriptor ille, & tunc illi regerendum illud Eccleſ. 4. v. 30. *de mendacio ineruditionis tuæ confundere*: vel hæc optime noverat; & tunc merito illum exprobrat Baruch 1. quod *abierit in ſenſum cordis ſui maligni.*

Conſectarium Tertium.

III. Licet in Baptiſmo abluta ſit pars aliqua notabilis corporis, non abluto capite, repetendus ſub conditione Baptiſmus. Oppoſitum cenſent non pauci Theologi, docentes validum Baptiſmum, nec repetendum, ſi ablutio facta ſit in aliqua principali corporis parte, puta pectore, ſcapulis, dorſo &c. Et quidem hanc doctrinam non abſolute rejicit D. A. hic art. 11. ſed noſtram tutiorem doctrinam mox confirmat, ſubdens: „ Quia tamen in nulla exteriorum partium inregritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite, videtur quibuſdam, quod propter dubium quacumque alia parte corporis abluta (præter caput) puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub hac forma, ſi non es baptizatus &c. " Idem confirmat & Rituale Romanum, docens Infantem, qui ex utero Matris *aliud membrum* præter caput miſerit, & in eo fuerit ablutus, fore ſub conditione baptizandum. Quod & docet S. Carolus Borromæus q. 4. de Bapt. admin. ſtatuens: „ Si fœtus ex utero matris ... vel manu, vel pede, vel *aliqua parte* externa ob neceſſitatem baptizatus eſt, cum ſuperſtes erit, ſub conditione baptizetur. Confirmat denique Bened. XIV. qui in aureo de Synodo lib. 7. cap. 5. n. 10. monet quidem Epiſcopos, ne in ſuis Synodalibus Decretis aliquid decernant circa valorem Baptiſmi in parte notabili corporis collati; ſed curent, ut Parochi illud exacte exequantur, quod in Rituali Romano præſcribitur, de ſupplendo ſcilicet Baptiſmo ſub conditione, quando in quacumque parte corporis, excepto capite, collatum ſit.

Conſectarium Quartum.

IV. Quando Baptiſma dubium confertur, urgente neceſſitate, non imprudenter ſe gerit, qui illud ſub conditione confert. Obſiſtit huic doctrinæ Clarìs. Franzoja, qui putat ex neceſſitate baptizatum in pede, vel alia corporis parte, quæ caput non ſit, licet dubium ſit Baptiſma, & ſub conditione repetendum, abſolute tamen eſſe baptizandum his argumentis. 1. Quia non eſt aſſignabilis conditio adhibenda. 2. Quia in nullis Ritualibus præſcribitur, in quibus tamen, ubi conditio adjicienda eſt, clare præſcribitur. 3. Mutatio in forma Baptiſmi per adjectam conditionem non eſt adhibenda ſine Eccleſiæ auctoritate, quæ jubet, Baptiſmum dubie collatum eſſe ſub conditione repetendum, ut tum animæ ſaluti, tum Sacramenti dignitati conſulatur. 4. In Sacramentis adminiſtrandis arbitraria commenta locum habere non debent. Verum hæc tanti non mihi videntur ponderis argumenta, ut a poſita doctrina cogant recedere. Nam 1. Si quando ſemel collatum eſt dubium Baptiſma, eſt adhibenda conditio, ut & ſaluti conſulatur infantis, & dignitati Baptiſmi, cur, quando adhibendum eſt primo, non eſt æque conſulendum & ſanctitati Baptiſmi? Nonne eadem eſt ſanctitas Baptiſmi, & quando dubie confertur primo, & quando ex dubio repetitur ſecundo? Non imprudens eſt ergo, qui primo dubie baptizans conditionem adhibet, ne fruſtrationis periculo Sacramentum exponat. At inquit, quænam conditio adhibenda erit? hæc, *ſi valide baptizaris*, ego te baptizo. Ritualia hanc conditionem non præſcribunt. At nec vetant: & ſi ſolum eam jubent, quando repetendum eſt Baptiſma, merito id faciunt, ne videatur iterari Baptiſma, quod nonniſi ſemel dari, vel ſuſcipi poteſt. Mutatio formæ ad-

dendo conditionem fieri non debet ſine Eccleſiæ auctoritate. At hic non deeſt Eccleſiæ auctoritas, quæ generaliter jubet, dubium Baptiſma eſſe ſub conditione dandum. Quid, quod Bened. XIV. in laud. de Syn. lib. 7. cap. 5. agens de infantibus in utero Matris adhuc latentibus baptizandis docet: „ Ad Parochos pertinere, obſtetrices inſtruere, „ ut, cum caſus evenerit, in quo infantem nulla „ adhuc ſui parte editum, mox deceſſurum pru- „ denter timeant, illum *baptizent ſub conditione*, „ *ſub qua* pariter erit iterum baptizandus, ſi pe- „ riculum evadat, & foras prodeat, quemadmo- „ dum poſt alios faciendum monet Tournelius". En Baptiſmum ſub conditione collatum & prima, & altera vice. Nunc quærat Franzoja a Benedicto, ſub qua conditione conferendus? Ex quo Rituali deſumpta hæc doctrina? An in Sacramentis arbitraria commenta locum habeant? An forma mutari poſſit ſine ulla Eccleſiæ auctoritate? Et quæ nos jam illi dedimus, reſponſa habebit; & præterea fortaſſis audiet, non figuris rhetoricis, ſed firmis argumentis Theologorum etiam benigniorum opiniones confutari.

Conſectarium Quintum.

V. Licet Baptiſmus & valide per aſperſionem conferri poſſit, & olim fuerit collatus; modus tamen iſte in praxi non eſt amplius adhibendus, niſi aliter dari non poſſit. Et quidem Baptiſmum per aſperſionem valere jam cap. præced. num. 13. ex S. Cypriano oſtendimus. At nunc nullibi obtinere, nec ritum hunc adhibendum oſtendunt Ritualia, quæ immerſionem, aut ſupereffuſionem retinendam dicunt, de aſperſione vero alte ſilent. Sic enim habet Rituale Romanum; *Baptiſmus licet fieri poſſit aut per infuſionem aquæ, aut per immerſionem, aut per aſperſionem: primus quidem, vel ſecundus modus, qui magis ſunt in uſu, pro Eccleſiarum conſuetudine retineantur*. Præterea, cum quilibet Miniſter Eccleſiæ ſuæ ritibus ſe debeat conformare, & nullibi uſus obtineat per aſperſionem baptizandi, ritum hunc introducere nec debet, nec licite poteſt, ut docet S. Th. hic art. 6. in corp. ſcribens: *Graviter peccat aliter baptizans, quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans*. Solum itaque urgente neceſſitate, ſi nec immerſione, nec infuſione baptiſmus dari poſſit, quod contingere tamen vix poſſe videtur, aſperſionem poterit baptizando uſurpare.

CAPUT QUINTUM.

De Baptiſmi Forma.

DOCTRINA.

I. *Quænam ſit forma Baptiſmi a Chriſto inſtituta, & in Baptiſmo adhibenda.*
II. *Græcorum forma idonea eſt ad verum Baptiſma.*
III. *Num omiſſio verborum actionem baptizantis denotantium formam reddat inutilem.*
IV. *Neceſſe eſt ad valorem Baptiſmi, ut tres Divinæ Perſonæ nominentur.*

I. FOrma Baptiſmi a Chriſto Domino præſcripta in illis verbis Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quam adhibet Eccleſia latina, his verbis continetur, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Hanc formam eſſe a Chriſto pro Baptiſmo inſtitutam inficiantur Sociniani, & Remonſtrantes, qui in verbis Chriſti, non quid dicendum ſit in Baptiſmo, ſed ſolum quid prædocendum, a Chriſto indicatum fuiſſe contendunt. Sed hujus commenti falſitatem redarguunt perpetua traditione Eccleſiæ Patres, & ſenſus totius Eccleſiæ, quæ neceſſariam intellexit, & conſtanter adhibuit prædictorum verborum in dando Baptiſmo pronuntiationem. S. Juſtin. apolog. 2. pro Chriſtianis ſcribit: *Super eo, qui renaſcendum ſibi ſtatuerit .... Parentis omnium rerum, & Domini Dei nomen nominatur, in nomine autem etiam Jeſu Chriſti, atque in nomine Spiritus Sancti abluitur is, qui illuminatur*. Tertul. de Bapt. cap. 13. *Lex tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta, ita inquit, docete nationes, tingentes eos in nomine Patris* &c. Sanctus Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 22. *Oportet inviolabiliter manere traditionem, quæ in vivifica gratia data eſt. Fides perficitur per Baptiſmum, Baptiſmus Sacramento fidei initiatur, & utraque res per has voces impletur, ſicut credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ſic & Baptiſmus in nomine Patris* &c. Sanctus Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo cap. 25. *Certa ſunt Evangelii verba, ſine quibus non poteſt conſecrari Baptiſmus*. Et lib. 3. cap. 15. dixerat: *Si Evangelicis verbis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum*. Non ergo baptizare in nomine Patris &c. ſolum virtutem, ac fidem trium Divinarum Perſonarum importat, ut obganniunt Sociniani, ſed & eorumdem nuncupationem. In verbis vero, quibus utitur Occidentalis Eccleſia, & præſertim Romana, contineri perfectam, & abſolutam formam Baptiſmi manifeſte patet: tum quia ea verba formam a Chriſto præſcriptam exacte complectuntur; tum quia hæc forma ab immemorabili, ideoque præſumptive ab ipſa Apoſtolorum ætate in Baptiſmatis apud Latinos celebratione uſurpata fuit, cum eam deſignent & Sacramentarium Gregorii M. & Ordo Romanus paulo poſt ejus mortem editus, & exhibent quidem, non certe ut tunc primo inductam, ſed ut a Majorum uſu, atque traditione tranſmiſſam: unde & in Actis S. Stephani Papæ, & Martyris medio tertio ſeculo ab eo baptizante pronuntiata legitur apud Baron. an. 259. n. 2. Et revera, præfata formæ verba continent & actionem Sacramentalem, & ſubjectum, & cauſam illius, tum miniſterialem, tum principalem, quæ eſt S. Trinitas, cujus & unam eſſentiam, atque naturam to *in nomine*, & Perſonarum diſtinctionem earum expreſſa nuncupatione declarat.

II. Nec diverſa, ſeu alia eſt forma, qua apud Græcos, & ceteras Orientales Eccleſias celebratur Baptiſmus per hæc verba: *Baptizatur* (non *baptizetur*, ut plures Scholaſtici credunt) *ſervus vel ſerva Dei N. N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Nam & hæc quoque forma apud illos antiquiſſima eſt, ut antiquiſſimi eorum libri Rituales patefaciunt; & nunquam de valore Baptiſmi ſub hac forma collati controverſia mota eſt: ſed & Eccleſia Latina tanquam legitimam ſem-

ſemper agnovit, ut teſtatur Eugen. IV. in Florentino Decreto, ubi Latinorum forma recitata ſtatim ſubdit: *Non tamen negamus, quin & per illa verba, Baptizatur ſervus, vel ſerva Dei* &c. *verum perficiatur Baptiſma*. Et revera, præfata verba nec ab Evangelica Chriſti forma, neque ab ea, qua utitur Romana Eccleſia, quoad ſententiam recedunt. Nam quod abluendi actio paſſivo modo efferatur, adeoque baptizantis miniſterium ſolum implicite denotetur, nihil refert; cum alias, ut in prælaudato Decreto animadvertitur, principalis cauſa, ex qua Baptiſmus virtutem habet, videlicet S. Trinitas, diſerte declaretur. Quare egregie ſcribit D. Thom. hic art. 5. ad 1. „Græci non attribuunt actum Baptiſmi Miniſtris ad „vitandum antiquorum errorem, qui virtutem Baptiſmi baptizantibus attribuebant, dicentes: *Ego* „*ſum Pauli, ego Cephæ:* & ideo dicunt, *Baptizatur ſervus Chriſti*, talis *in nomine Patris*, &c. „Et quia exprimitur actus exercitus per miniſtrum cum invocatione Trinitatis, verum perficitur Sacramentum “.

III. Nunc vero expendendum eſt, num omnia præfata verba adeo ſint neceſſaria, ut aliquorum omiſſio inutilem Baptiſmum efficiat. Et primo quidem certum eſt, verba, quibus actio Baptizantis aut exprimatur in Latina forma per verbum *baptizo*, vel indicetur in Græca illa voce *Baptizatur*, ante Divinarum Perſonarum invocationem eſſe neceſſaria ad perfectionem Baptiſmi. Adverſati ſunt huic doctrinæ aliqui antiquiores Theologi ſeculi XII. ſcilicet Petrus Cantor, Præpoſitivus, Hugo a S. Victore, Stephanus Tornacenſis Epiſcopus, aliique, quibus elapſo ſeculo ſaltem ex parte faviſſe videtur Joan. Morinus, affirmans, Baptiſmum ſine illis collatum olim valuiſſe, nunc vero minime, quoniam prædictorum verborum expreſſio jam lege Eccleſiæ conditio neceſſaria ad Baptiſmi veritatem evaſit, ſicut Parochi, & duorum teſtium præſentia ad matrimonii firmitatem. At hæc Morini hypotheſis gratuita omnino eſt, & falſa, cum incredibile ſit præter Chriſti inſtitutionem aliquid ad alicujus Sacramenti validitatem directe neceſſarium ab Eccleſia præſcribi aut voluiſſe, aut etiam potuiſſe. Dixi *directe* neceſſarium, quoniam Parochi, & teſtium præſentia in Matrimonio exigitur, non ut illud ſit Sacramentum, ſed ut ſit contractus legitimus, ſine quo Sacramentum eſſe non poteſt. At contra Veterum doctrinam, & in noſtræ confirmationem hæc militant ineluctabilia argumenta. Nam 1. veterum Theologorum opinio jam ab Alexand. III. (quod a nonnullis illorum ignoratum fortaſſe fuit) reprobata invenitur Extra. de Baptiſmo cap. 1. ſic ſtatuente: *Si quis puerum ter in aquam immerſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & non dixerit, ego te baptizo, non eſt puer baptizatus*. Hinc huic definitioni inhærens Alex. VIII. anno 1690. hanc damnavit propoſitionem: *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. prætermiſſis illis*, ego te baptizo. 3. Idem declaravit & Eugenius IV. in Conc. Florent. ſtatuens: *Si exprimitur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum, cum SS. Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum*. 4. Sicut noſtra doctrina fulcitur, ita adverſariorum opinio perpetuæ praxi, & traditioni Eccleſiæ repugnat, quæ in verbis Chriſti Domini Matth. 28. nedum invocandi perſonas Trinitatis, ſed & exprimendi Baptiſmi actum intellexit impoſitam neceſſitatem. 5. Confirmat etiam D. Tho. ſatis efficaci ratione, quam ex ipſa Sacramentorum intima indole, & natura depromit, in quibus perficiendis neceſſariam eſſe miniſtrantis intentionem, fatentur omnes. Obſervat itaque S. D. ſine illa expreſſione intelligi non poſſe externam ablutionem potius ad baptiſmum, quam ad corporis curationem, vel alium etiam ſpiritualem uſum determinari. Sic itaque ſcribit artic. 5. ad 2. „Quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri poteſt, oportet, quod determinetur in verbis „formæ, ad quid fiat. Quod quidem non fit per „hoc, quod dicitur *in nomine Patris, & Filii*, „*& Spiritus Sancti*: quia omnia in tali nomine „facere debemus, ut habetur ad Coloſſ. 3. Et „ideo, ſi non exprimatur actus baptiſmi vel per „modum noſtrum, vel per modum Græcorum, „non perficitur Sacramentum “. Merito itaque peſſimam vocavit Stephanus Tornacenſis, quæ in Diœceſi Claromontana aliquando obtinuit, conſuetudinem, ſcilicet, ut baptizantes in caſu neceſſitatis Laici eam expreſſionem omitterent: & Mauritius Pariſienſis de eo abuſu interrogatus reſpondit, nullum ea tinctione perfici Sacramentum.

IV. Neceſſarium eſt ad valorem Baptiſmi, ut SS. Trinitatis Perſonæ verbaliter nominentur. Quamobrem invalidus eſt Baptiſmus, in quo ſolum vel Chriſti nomen, vel Patris ſolius, vel ſolius Spiritus Sancti, aut etiam Trinitatis collective exprimeretur, licet ſingulæ perſonæ mente intelligerentur. Adverſantur huic doctrinæ, præſertim quatenus negat Baptiſmum in nomine Chriſti collatum non valere, plures antiquiores Scholaſtici Hugo a S. Victore, Petrus Pictavienſis, Petrus Lombardus, Magiſter Sententiarum nuncupatus, quibus poſtea ſe adjunxerunt Jo. de Raguſio, Cajetanus, Adrianus, aliique, quia putarunt olim in nomine Chriſti tantum datum fuiſſe Baptiſma. Verum noſtram aſſertionem hæc luculenta evincunt teſtimonia. 1. In verbis Chriſti Domini Matth. 28. expreſſa, & diſtincta trium Divinarum Perſonarum invocatio continetur, & præcipitur, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. 2. In præfatis verbis expreſſam, & diſtinctam præcipi diſerte docuerunt Patres, & ſentit Eccleſia, prout perpetua ſua praxi & obſervantia indicavit. Patrum teſtimonia legi poſſunt fuſe in Bellarmino lib. 1. de Baptiſmo cap. 3. in Suarezio 3. p. Tom. 2. diſp. 11. ſect. 3. Natali Alexandro, aliiſque Theologis: quamobrem ſolum pauca recitabo. S. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 11. cujus titulus eſt, *Adverſus eos, qui dicunt, ſufficere Baptiſma tantum in nomine Domini, ideſt in nomine Jeſu Chriſti*, ſcribit: „Neminem „in fraudem inducat illud Apoſtoli, quod nomen „Patris, & Spiritus Sancti in Baptiſmi commemoratione frequenter omittit; neque putet unam harum vocum eſſe indifferentem: nam oportet manere inviolabilem traditionem, quæ „in vivifica gratia data eſt ... Sicut credimus in „Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ſic & „baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti “. S. Gregor. Nyſſenus epiſt. ad Seba-

baſtenos: *Imperfecta gratia eſt, ſi unum aliquod S. Trinitatis nomen, qualecumque ſit illud, in ſalutari baptiſmo prætermittatur; cum neque in ſolo Patre, & Filio, ſine Spiritu S. myſterium regenerationis adimpleatur; neque ſi Filius ſilentio prætereatur, in ſolo Patre, & Spiritu Sancto baptiſmus habet, unde nobis perfectam vitam largiatur; neque in Patre, & Filio, prætermiſſo Spiritu Sancto, reſurrectionis noſtræ gratia conſummatur*. S. Ambroſius lib. de Myſteriis cap. 4. *Credit Catechumenus in crucem Domini Jeſu, qua & ipſe ſignatur: ſed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire*. His addantur & teſtimonia aliorum PP. quæ n. 1. attulimus, eamdem enim tradunt doctrinam. 3. Eamdem confirmant veritatem Concilia: neque enim ob aliam cauſam rejectum Paulianiſtarum Baptiſmum a Concil. Nicæno I., quorumdam Montaniſtarum a Laodiceno, Photinianorum ab Arelatenſi II. can. 16. & 17. Eunomianorum, & Sabellianorum a I. Conſtantinopolitano par eſt exiſtimare (quandoquidem hæc Concilia aliorum hæreticorum Baptiſma non repudiabant) niſi quia ab enumeratis Sectariis in forma Baptiſmi aliquod trium Perſonarum nomen ſupprimeretur, ut de Paulianiſtis teſtatur S. Auguſtinus lib. de Hæreſ. hær. 44. & Innoc. I. epiſt. 22. cap. 5. & de Eunomianis Theodoretus in 4. hæreticarum fabularum. 4. Summi quoque Pontifices hujus traditionis vigiles cuſtodes eam retinendam docuere. Apud Gratianum diſt. 4. de Conſecrat. cap. *Revera* Pelagii Papæ Reſcriptum legitur ad Gaudentium Epiſcopum, ſic expreſſum: *Si ii, qui in locis dilectioni tuæ vicinis commorari dicuntur, ſe ſolummodo in nomine Domini baptizatos fuiſſe confitentur, immo cujuſcumque dubitationis ambiguo eos ad fidem catholicam venientes in SS. Trinitatis nomine baptizabis*. Et ibidem cap. *in Synodo* affertur Zachariæ Papæ reſcriptum, cujuſdam Synodi Anglicanæ Decretum confirmantis *ut quicumque ſine invocatione Trinitatis merſus fuiſſet, Sacramentum regenerationis non haberet, quia ſi locus in fonte baptiſmatis quis fuerit ſine invocatione Trinitatis, perfectus Chriſtianus non eſt, niſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti fuerit baptizatus*. Subditque, *pro certo eſſe, qui vel unam de Trinitate Perſonam in Baptiſmo non nominaverit, illud Baptiſma eſſe verum non poſſe*. 5. Denique S. Thom. eamdem veritatem theologica confirmat ratione, ſic ſcribens hic art. 6. quæſt. 66. „ Sacramenta habent „ efficaciam ex inſtitutione Chriſti. Et ideo ſi „ prætermittatur aliquid eorum, quæ Chriſtus in„ ſtituit circa aliquod ſacramentum, efficacia ca„ ret; niſi ex ſpeciali diſpenſatione ejus, qui vir„ tutem ſuam Sacramentis non alligavit. Chriſtus „ autem inſtituit, Sacramentum Baptiſmi dari cum „ invocatione Trinitatis. Et ideo quidquid deſit „ ad plenam invocationem Trinitatis, tollit inte„ gritatem Baptiſmi. Nec obſtat, quod in no„ mine unius Perſonæ intelligatur & alia (ſicut „ in nomine Patris intelligitur Filius) aut quod „ ille, qui nominat unam ſolam Perſonam, pot„ eſt habere rectam fidem de tribus: quia .... „ non ſufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad „ perfectionem Sacramenti, niſi ſenſibilibus ver„ bis Trinitas exprimatur. Unde & in Baptiſmo „ Chriſti ... adfuit Trinitas in ſenſibilibus ſignis, „ ſcilicet Pater in voce, Filius in humana natu„ ra, Spiritus S. in Columba ".

V. Non omnes voces in forma Baptiſmi ita ſunt eſſentiales, ut earum omiſſio invalidum reddat Sacramentum. Quatuor ſunt voculæ, de quibus inter Theologos diſputatur, num earum omiſſio invalidum reddat Baptiſma, nimirum *ego*, *in*, *te*, & conjunctio & in Perſonarum nominibus. Et primo quidem omiſſionem pronominis *ego* invalidum non reddere Baptiſma expreſſe docet S. Th. hic a. 5. ad 1. ſcribens: Quod autem additur *Ego* in „ forma noſtra, non eſt de ſubſtantia formæ, ſed „ ponitur ad majorem expreſſionem intentionis ". E contra omiſſionem particulæ *Te*, deſignantis perſonam Baptizati, certum eſt, nullum reddere Baptiſma, ita expreſſe docente S. Th. IV. Sent. diſt. 3. q. 1. art. 3. „ Expreſſio perſonæ baptiza„ tæ eſt de ſubſtantia formæ, quia per eam deter„ minatur actus ad hunc Baptiſmum ". Idem declarat etiam Pontifex Alex. III. Cap. *Si quis* extra. de Baptiſmo, & ejus effectu, ſtatuens, quod „ ſi quis puerum in aqua mergeret, dicendo in „ nomine Patris &c. & non dixerit, *ego te bapti„ zo, puer non eſt baptizatus* " indicans non minus neceſſariam eſſe expreſſionem actionis miniſtri, quam perſonæ recipientis. Et revera in omnibus Ritualibus, ubi forma Baptiſmi deſignatur, etiam indicitur exprimenda baptizati perſona, vel proprio nomine, vel Pronomen *Te*; quod magis conforme eſt præcepto Chriſti, dicentis *Baptizantes eos*. Omiſſionem vero particulæ *in* formam corrumpere, & invalidum reddere Baptiſma affirmant Comitolus, Sotus, Navarrus & recenter Juvenınus, ſeu Auctor Theoriæ & Praxis Sacramentorum Cap. 3. §. 3. qu. 7. aliique, quos citat Concina, & quorum doctrinam ſe probare ſcribit. At argumenta, quæ proferunt, non mihi videntur ad prudentem inducendam dubitationem de ejus validitate ſatis idonea. 1. Quia in latino ſermone idem valet *in nomine*, ac *nomine*, cum agitur de re perficienda ulterius auctoritate, poteſtate, & invocatione: Grammatici ſiquidem docent, illas particulas omitti poſſe elegantiæ cauſa, & figurata ſyntaxi, quia ſubintelliguntur. 2. Quia in Scripturis hoc idem exprimitur, modo cum propoſitione *in* dicendo, *in nomine*; modo ſine ea propoſitione, & quidem in eodem ſenſu. Sic Machab. 1. cap. 14. com. 43. dicitur: *Et ſcribatur* IN *nomine ejus* (Demetrii Regis) ..... *ut operiatur purpura, & auro*. Et Eſther 3. com. 8. dicitur: *ſcribite ergo Judæis, ſicut vobis placet, Regis* NOMINE *ſignantes litteras*. Et iterum com. 10. *ipſæque epiſtolæ, quæ Regis* NOMINE *mittebantur, annulo ipſius obſignatæ ſunt*. Idem igitur in ſcripturis ſignificat & *in nomine*, & *nomine*. At reponit Concina, dicendo *nomine* abſque præpoſitiva particula *in*, Miniſter oſtendit, ſe auctoritate, vel poteſtate, vel imperio trium Perſonarum facere. Utique hoc verum eſt: nam Miniſter baptizat auctoritate, poteſtate, & imperio divinarum trium Perſonarum. Et præterea hoc idem ſignificatur etiam addita particula *in*: dicitur ſiquidem Matth. 7. com. 22. *Nonne IN nomine tuo prophetavimus, & IN nomine tuo Dæmonia ejecimus, & IN nomine tuo virtutes multas fecimus?*

mus? ideſt auctoritate, poteſtate, invocatione tua Dæmonia ejecimus, virtutes fecimus. Idem ergo eſt ſenſus, ſive dicatur nomine, ſive in nomine. Minime, inquit Juveninus lo. laud. hoc non ſufficit: nam ulterius oportet, ut per verba, quæ profert Miniſter, ſignificet, ac deſignet tres perſonas agere in Baptiſmo, quæ actio deſignatur per præpoſitionem IN. At hoc idem etiam deſignatur omiſſa præpoſitione, & ſolum dicendo *nomine*. Nam dicendo epiſtolas ſcriptas *nomine Regis*, deſignatur, ipſum Regem agere, jubere, ordinare. Nec levis igitur mihi apparet differentia in ſignificatione, & ſenſu, ſive dicatur *nomine*, ſive *in nomine*. Proinde minime auderem baptizare, nec ſub conditione, infantem baptizatum per hanc formam *Ego te baptizo nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & potius de irregularitate incurrenda a rebaptizante dubitarem, quam de validitate hujus baptiſmatis. Idem dicendum & de omiſſione particulæ copulativæ *ET*. Nam licet P. Cuniliati ſcripſerit, illum invalide baptizare, qui omitteret particulam *ET*; quia non ſignificaret diſtinctionem perſonarum, & eſſet forma Sabelliana (quæ tamen doctrina ſolum in prima, & ſecunda Editione habetur, in reliquis ſuppreſſa) certum eſt eam omiſſionem formam non corrumpere: nam vocabula Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſua propria, & nativa ſignificatione oſtendunt oppoſitionem relationis, & conſequenter diſtinctionem Perſonarum. Non loquor de omiſſione clauſulæ *Amen*: nam nec ad formam, nec ad integritatem Sacramenti pertinet; immo eam omittere nec leve eſt piaculum; licet benigniores Theologi Salmanticenſes, Bonacina, Dicaſtillo, aliique dicant eſſe veniale. Nam nec præſcribitur a Concil. Trident., nec in Catechiſmo Romano ponitur P. 2. de Baptiſmi Sacramento num. 13. ubi forma Baptiſmi majuſculis literis integra exprimitur, nec indicitur in Rituali Romano, nec adſtruitur pronuncianda a D. Th. hic q. 66. a. 5. ubi data opera formam Baptiſmi ſtatuit, & confirmat. Minime tamen probo, quod addit Franzoja, *rectius omitti*, & quidem falſa ratione. Non recte omittitur, nam olim non Sacerdos baptizans, ſed populus, & Clerus præſens reſpondebat *Amen*, ut patet ex Joanne Moſchi Prato ſpirituali cap. 76. & ipſo fatente Franzoja, ponitur ab Alex. III. cap. *Si quis*, tit. 4. 5. Decret. Falſum autem dico rationem ab eo adductam, nimirum, *quia cum illud* AMEN *idem ſit, ac fiat, firmum ſit, Baptiſmo adjectum, ejus indubitatæ efficaciæ repugnare videtur.* Nam ſi hoc verum eſſet, nullæ Sacramentorum formæ eſſet adjiciendum, cum æqualis ſit, & indubitata omnium Sacramentorum efficacia: & tamen in Pontificali Romano addenda dicitur in fine formæ Confirmationis, quæ ſic exprimitur: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Reſp. Amen. Addenda etiam præſcribitur in Rituali Romano formæ Sacramenti Pœnitentiæ, nec non Sacramento Extremæ Unctionis. Nec illa additio, ſive fiat a Miniſtro, ſive ab adſtantibus, nec leviter indubitatæ efficaciæ Sacramenti repugnat; quin immo confirmat fidem, quam profitetur, & ratam, ac certam pronuntiat, & ſolum optat, ne culpa recipientis reddatur inefficax.

VI. Licet ea, quæ docuimus in præced. Parte Diſt. 2. cap. 3. de mutatione, quæ contingit in formis, ſive aliquid addendo, ſive invertendo, & interrumpendo, ſatis eſſe poſſint ad omnes difficultates circa formam Baptiſmi enodandas; tamen non inutile erit Tyronibus, & aliquas ſingillatim expendere formarum mutationes, ſalva ſemper manente generali regula lo. laud. nu. 4. conſtituta, ſubſtantialem mutationem, quæ ſenſum corrumpit verborum, invalidum reddere Baptiſmum; illam vero, quæ ſolum accidentaliter mutat, quin ſenſum corrumpat, omnino non reddere. Expendendæ itaque 1. mutationes illæ, quæ certo corrumpunt; 2. de quibus dubium eſt, an corrumpant; 3. quæ certo non corrumpunt.

VII. In prima claſſe reponendæ procul dubio ſunt tanquam divinorum verborum non corrumpentes ſolum, ſed ſenſus evertentes, plures hæreticorum formæ, quas referunt Patres, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores, nimirum 1. Marcoſitarum ex Gnoſticorum ſecta, quam refert S. Iren. lib. 1. cap. 1. his verbis concinnatam: *In nomine ignoti Patris univerſorum: in veritate Matre omnium: in eo, qui in Jeſum deſcendit: in unione, redemptione, & communione virtutum.* 2. Altera Montaniſtarum, & Cataphrygum, qui *in Patrem, & Filium, & in Montanum, Priſcillamque* juxta S. Baſilium epiſt. 1. ad Amphilochium, tingebant. 3. Elceſæorum, quos *in elementorum confeſſione* baptizaſſe refert Theodoretus 2. Hæret. Fab. cap. 7. 4. Menandri, qui eodem narrante Theodoreto laud. lib. cap. 2. *in ſuo proprio nomine baptizabat*. 5. Eunomianorum, & quorumdam ex Bonoſianis, & Arianis, qui ex S. Epiphan. hær. 76. & S. Gregor. M. lib. 11. epiſt. 67. baptizabant *in mortem Chriſti*. 6. Illorum, qui, ut refertur can. 49. Apoſtolorum, & in epiſt. 2. Vigilii Papæ, *In tribus ſine initio principiis, in tribus Filiis, & in tribus Paracletis* tingebant. 7. Illorum, qui *in Angelorum, & Archangelorum nominibus* baptizabant, quos carpit Damaſus Papa in Synodica 4. apud Theodor. lib. 5. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 11. Denique ineptis formulis eſt & illa accenſenda, quam nonnulli imperiti adhibitam in extrema neceſſitate laudabant, ſcilicet *Baptizo te in nomine Dei, & ſanctæ, & veræ Crucis*, licet eam validam exiſtimaverit Sanctus Bernardus epiſt. 413. ad Hincmarum Archidiaconum, ſi tamen ipſe eam ſcripſit epiſtolam. Inutilis quoque eſt habenda, quam Deuterius Arianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus adhibuit, dicendo *Baptizetur N. N. in nomine Patris per Filium in Spiritu ſancto*, cujus vitium etiam miraculo evaneſcentis aquæ, ut refert Theodorus Lector 1. Collectan., proditum fuit. Sicut & iſtæ: *Ego te baptizo cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*, vel *cum nomine Patris* &c. vel *in nominibus Patris* &c. ut docet S. Th. hic a. 5. ad 6. cum in his invocationibus vera de Dei unitate, & Trinitate doctrina corrumpatur: nec non & iſta, *Ego te baptizo in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*, quia unitas eſſentiæ in tribus Perſonis, omiſſo to *in nomine*, non exprimitur. His omnibus accenſendæ & illæ, in quibus trium Perſonarum nomina ſingillatim non enumerantur, cujuſmodi ſunt, Ego te baptizo *in nomine SS. Trinitatis*, vel *unius, & trini*, vel *in nomine trium perſonarum*, vel *in nomine Jeſu Chriſti*. Et certe meo videri

non

non ſapienter prorſus has formulas Franzoja inter dubias recenſet, cum, ut oſtendimus cap. præced. expreſſa trium Perſonarum per propria nomina invocatio ſit de neceſſitate ad valorem Baptiſmi: proinde illis verbis collatum invalidum pronuntiat & Concina. His inutilibus formis ex D. Thom. doctrina & hæc accenſenda eſt, *ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & ab utroque procedentis*, ſive *ſpirati*: nam, ut obſervat S. D. l. l. ad 7. non retinet uſitata nomina; & præterea ea verba non perſonarum proprietates, ipſaſque perſonas ſignificant, ſed potius actus exprimunt notionales. Unde in 1. p. q. 33. art. 2. ad 2. ſcribit: „ Generatio ſignificat, ut in fieri, ſed Paternitas ſignificat complementum generationis; & „ ideo potius eſt nomen divinæ Perſonæ Pater, „ quam generans, vel genitor ". Et magis inutilis eſſet habenda illa forma, qua loco Patris diceretur *Ingeniti*: quia hoc nomen in ſe non perſonale eſt, ſed notionale; & S. Epiphan. hær. 73. aperte negat æquipollere *Patri*. Non inſcite tamen, nec inepte animadvertit Caj. l. l. quod cum præfata nomina Genitoris, Geniti, & Spirati in communi ſenſu Theologorum pro Patre, Filio, & Spiritu ſancto accipiantur, non evidenter inutilem reddunt formam, quæ tamen certe inter dubias eſt recenſenda. Certe inter inutiles formas & hæc eſt connumeranda, *Ego te baptizo in nomine Omnipotentis, ſapientis, & Boni*, cum non perſonalia nomina exprimant, ſed communia tribus Perſonis, & ſolum, ut vocant Theologi, appropriata.

VIII. Inter dubias vero, præter illas Part. præced. Diſſ. 2. cap. 3. a nu. 4. ad 10. enumeratas, hæ ſunt adjungendæ: *Ego te baptizo in Deo Patre, & Filio, & Spiritu ſancto*, vel *in virtute, eſſentia, & auctoritate Patris* &c. quia non ita unitatem exprimunt eſſentiæ, ſicut *in nomine*. Pariter & iſta, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus* ſuppreſſo adjectivo *ſancti*, quia non videtur tertia Trinitatis Perſona ſingillatim deſignata. Sicut qui loco *Filii* poneret *Verbi*, quod nomen non tantam habet ad ſecundam deſignandam perſonam vim, & energiam, ut nomen *Filii*; ſicut ſi loco *Filii* dicatur *Jeſu Chriſti*, qui licet ſit vere Filius Patris, non tamen exprimitur voce.

IX. Formæ autem, in quibus mutatio eſt tantum accidentalis, nec corrumpitur forma Baptiſmi, hæ mihi probabilius videntur, licet non deſint Theologi, qui earum aliquas vel inutiles, vel ſaltem dubias appellent. 1. Si baptizans non latinis verbis, ſed ſui idiomatis vernaculis uteretur, ſervato eodem ſenſu, & ſententia. Immo expedit, ut Obſtetrices, & communiter fideles de forma Baptiſmi in propria lingua edoceantur, ut valeant in neceſſitate rite, & recte Baptiſma conferre, & longius ſint ab omni ſive pronuntiationis, ſive dictionis errore. 2. Si quis loco dicendi, ego te baptizo, diceret, *Ego te tingo, te lavo, te mundo* in nomine Patris &c. cum idem ſonent, ac *te baptizo*. 3. Si loco *Ego* diceret, *Nos baptizamus*, quod concedunt Theologi, ſi Miniſter baptizans ſit Epiſcopus, aut Perſona in dignitate conſtituta: at negant, ſed prorſus improbabiliter, de privata perſona, ſive inferiori miniſtro; cum tamen idem prorſus ſignificet in ore cujuſcumque perſonæ de ſe loquentis, ſive *ego* dicat, ſive *Nos*. 4. Si loco *Te* nomen diceret Baptizati, puta Petrum, Titium &c. vel vos, vel *Dominationem, Amplitudinem tuam*, cum hæ honorificæ ſint Perſonæ compellationes. 5. Similiter, ſi quis baptizans dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Spiritus ſancti*, vel *ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus ſancti*; cum hæc repetitio ſubſtantiam formæ non mutet, quidquid in oppoſitum dicat Comitolus, putans ter repeti eamdem formam, & ſemper imperfectam, cum revera una ſit forma eodem tenore continuata, & cum ablutione conjuncta. Et revera Stephanus II. Papa validam judicavit hanc formulam a ruſtico Presbytero adhibitam: *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritus ſancti mergo*. Et Græci baptizantes ita pronuntiant, *Baptizatur ſervus Dei N. in nomine Patris Amen, & Filii Amen, & Spiritus ſancti Amen, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen*. Et Æthiopes addunt *Spiritus ſancti Paracliti, Amen*. 6. De illo, qui linguæ latinæ imperitus verba latina deformabat, dicens *Patria, Filia, & Spiritua S.* diximus loco cit. primæ partis. 7. Similiter additiones, ſive antecedant, ſive ſubſequantur formam Baptiſmi, niſi eam corrumpant, inutilem non reddunt Baptiſmum, ut diximus l. l. ubi expendimus formulam illam, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & B. Virginis*, vel *Beata Virgo te adjuvet*. Hinc validæ ſunt formæ Maronitarum ſic tingentium. *Baptizetur N. in veniam peccatorum, in mores irreprehenſibiles, & in Reſurrectionem benedictam ex mortuis in vitam æternam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen*. Et alia, quæ in quodam MS. Monaſterii Bobienſis legitur: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, unam habentium ſubſtantiam, ut habeas vitam æternam, & partem cum Sanctis*. Sed de his ſatis, & pluſquam ſatis.

CAPUT SEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quid de Baptiſmo in nomine Chriſti ſentiendum.*
II. *Num in omni mutatione formæ Baptiſmi gravis culpa committatur.*
III. *Non ſemper reiterandum Baptiſma ex errore in forma.*

Conſectarium Primum.

I. NUm olim valide collatum fuerit Baptiſma in ſolius Chriſti nomine, quæſtio eſt, non ad mores ſpectans, ſed ad eccleſiaſticam, & ſacram eruditionem. Pro affirmante ſententia, quidquid dici poteſt, ingenti ſpecioſitate, ac ſumma eruditione congeſſit Eminentiſſimus Joſeph Auguſtinus Orſi S. R. E. Cardinalis, tum in ſua de Baptiſmo in nomine Jeſu Chriſti Diſſertatione, tum in ejuſdem Vindiciis ab Anonymi Conſodalis Doctoris Sorbonici objectis. Quod attinet ad S. Thom. doctrinam, tria ille habet, unum incertum, hypotheticum alterum, tertium omnino certum. Nimirum 1. num aliquando datum fuerit Baptiſ-

ptiſma in nomine Chriſti: & hoc factum nec admittit, nec rejicit D. Thom. hic art. 6., ſed hypothetice tantum ſibi tanquam objectum propoſuit pro ſui temporis uſu. Hac itaque facta hypotheſi ſolum docet „ ex ſpeciali revelatione Apoſtolos „ in primitiva Eccleſia in nomine Chriſti bapti„ zaſſe, ut nomen Chriſti, quod erat odioſum „ Judæis, & Gentilibus, honorabile redderetur „ per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus „ Sanctus dabatur in Baptiſmo". 2. Et quidem, ut dicit in corpore articuli „ ex ſpeciali diſpenſa„ tione ejus, qui virtutem ſuam Sacramentis non „ alligavit". Tertium autem, quod tanquam certum in corpore articuli ſtatuit, eſt, Baptiſmum datum in nomine Chriſti ſine expreſſa Perſonarum Trinitatis invocatione, nullum eſſe, & invalidum: quamobrem Baptiſma hoc pacto ſive ex ignorantia, ſive ex errore, ſive ex malitia datum, eſſe reiterandum, non ſub conditione, ſed abſolute.

Conſectarium Secundum.

II. Nunquam ſine culpa, & quidem gravi, vel aliquid omittitur in forma Baptiſmi, vel mutatur; & quidem non ſolum, quando ſubſtantialiter ex omiſſione, vel mutatione corrumpitur forma Baptiſmi, ſed etiam cum ſolum accidentaliter alteratur. Lethale peccatum committi a Miniſtro ſubſtantialiter formam corrumpente, nullus eſt qui ambigat: nam gravem irrogat injuriam Chriſto Sacramentorum Auctori, ipſum Sacramentum profanat, grave infert, & forte irreparabile damnum proximo. At peccare etiam lethaliter miniſtrantem Baptiſma in quacumque levi mutatione in forma Baptiſmi non concedunt omnes Theologi. Sunt enim, qui cenſent, adeo exiguam, levemque eſſe poſſe alterationem, ut venialis ſolum culpa incurratur. Verum, quam ſtatui doctrinam, puto longe probabiliorem: non enim ſpectanda eſt levitas materiæ in ſe, ſed in ordine ad Sacramentum, quod confertur, & ad ritum Eccleſiæ præſtitutum. Primum poſtulat, ut formæ Sacramentorum rite, & recte ſerventur: alterum, ut nulla inducatur in ritu ab Eccleſia inſtituto, immo de forma Baptiſmi loquendo, ab ipſo Chriſto Sacramentorum inſtitutore præſtituto, nec levis mutatio. Ideoque merito dicit S. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 11. *Ille e gratia excedit, qui addit, aut detrabit ad verba præſcripta in Sacramento Baptiſmi.* Et juxta S. Thom. hic q. 66. a. 8. *graviter peccaret aliter baptizans* (quam inſtitutum eſt) *quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans.* Ubi notandum, D. A. non de eo loqui, qui ritum Eccleſiæ contemnit, quod profecto nemo ambigit eſſe non poſſe ſine lethali culpa; ſed de illo, qui ex oſcitantia, negligentia, inadvertentia culpabili non obſervat, quia videtur virtualiter contemnere. Et revera, quis pius acriter non increparet Miniſtrum Baptiſmi, ſi illum audiret baptizando, vel omittere pronomen *ego*, vel loco baptizo dicere *te abluo*, vel nomina Perſonarum ſine copulativa particula proferre? Hinc Salmanticenſes docent, peccare lethaliter Latinum Sacerdotem adhibentem in Baptiſmo formam Græcam. Turrecremata, & Graffius omiſſionem pronominis *ego* gravioris culpæ damnant. Omittentem particulam *in* reum gravioris culpæ reputant Theologi illi, qui cenſent ejus omiſſionem formam corrumpere: & etiam poſita incorruptione formæ non excuſatur a lethali culpa, qui verba Chriſti Domini mutat, & ritum Eccleſiæ; quod & de aliis mutationibus eſt intelligendum. Nam optime docet Concina Diſſ. 1. de Baptiſ. n. 5. „ Ritus adminiſtrandi Sacramenta, & „ præſertim illa, quæ formas a Chriſto inſtitutas „ ſpectant, integre abſque ulla diminutione, aut „ additione ſervandos eſſe, cum ſummi momenti „ ſint. Quare non video, quomodo excuſari a „ gravi culpa poſſit, qui deliberato animo quid„ piam addat, variet, aut diminuat". Num autem excuſari poſſit a gravi culpa ignorantia, ipſe in Miniſtro ordinario non puto, quippe qui tenetur ea ſcire, quæ propria ſunt ſui officii, & muneris, præſertim in Sacramentorum adminiſtratione; & quia errare in formis Sacramentorum ſcandalo eſſet adſtantibus. Facilius tamen excuſari poteſt error, & ignorantia in Miniſtro neceſſitatis, præſertim ſi fœmina ſit, vel rudis laicus, qui ex confuſione, præcipitantia, & ſollicitudine turbari poſſunt, & inadvertenter errare. Nec iſti ullo modo peccant, ſi non latinis, ſed vernaculis utuntur verbis in forma Baptiſmi, ut diximus cap. præced. n. 3.

Conſectarium Tertium.

III. Non ſtatim ac aliquis deprehenditur error in materia, vel forma, dubium eſt reputandum Baptiſma, & iterandum etiam ſub conditione. Doctrinam hanc ſtatuo adverſus vigentem aliquibus in locis conſuetudinem repetendi ſub conditione Baptiſma, quando ex neceſſitate a laico, vel fœmina primo collatum eſt, ea unica ratione, quia certum non eſt, eos valide baptizaſſe, vel baptizando non erraſſe; & contra illos, qui imprudenter ex quocunque errore Baptiſmum putant inutilem, & ſtatim ſub conditione repetunt, obtentu ſummæ neceſſitatis hujus Sacramenti ad ſalutem. Hujus nimiæ in dubitando, & repetendo baptiſmate pronitatis teſtimonium affero ex Deciſionibus Congregationis Conc. Trid., quæ in unum collectæ typis editæ ſunt pluribus Tomis Venetiis, ubi Tom. 17. ann. 1753. rebaptizatus dicitur puer, quia ab Obſtetrice ſub hac formula fuerat primo baptizatus, *mi ti abbatezo nel nome del Padre, del Figlio, e dello Spirito Santo.* Et quidem his ineptis argumentis. 1. Quia verbum *abbatezo* novum eſt, & inuſitatum. 2. Quia ſignificare videtur Abbatem facio, vel Abbatem gero. 3. Quia omiſſa fuit conjunctio ET ante nomen Filii. Et propterea poſtulatum fuit a Sacra Congregatione, num omnes forent rebabtizandi infantes, qui in neceſſitatis articulo baptizati fuerant ab ea Obſtetrice, quæ per quinquaginta annos illud munus exercuerat. Præterea ipſe teſtis ſum hujus veritatis: vidi ſiquidem, & agnovi Parochum, qui rebaptizavit puerum, quia, dum a Sacerdote ſolemniter tingeretur, hic accepta ſcutella, in qua aquam repoſitam putaverat, incepit formam, *Ego te baptizo*, & deprehendens ſcutellam vacuam eſſe, ſtatim ex ſacro fonte aquam ſumpſit, & ſubjunxit *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Putavit ſiquidem dupliciter illum erraſſe, 1. quia non projecit aquam, cum dixit, *ego te ba-*

baptizo. 2. Quia inter prima verba, & ſubſequentia brevis illa morula interceſſit, accipiendo aquam ex ſacro fonte, ſuper quem baptizabat. At erratum non eſſe in primo oſtendi ex ipſo Romano Rituali, qui non præcipit, ut aqua infundatur, dum dicuntur verba, *ego te baptizo;* ſed trinam effuſionem eſſe hoc pacto adhibendam, ut cum Miniſter dicit *ego te baptizo* in nomine Patris, *fundat primo*, & Filii, *fundat ſecundo*, & Spiritus Sancti, *fundat tertio*; nec morulam illam ullo modo formam baptiſmi abrupiſſe, cum pronuntiatis verbis, *ego te baptizo*, aquam hauſerit ex ipſo ſacro fonte ibidem conſtituto, & ſupra quem baptizabat, & formam abluendo juxta Rituale Romanum & proſecutus fuerit, & compleverit. His accedit & nimia aliquorum Theologorum fidentia in decernendis ſubſtantialibus verbis formæ, ex quarum vel omiſſione, vel mutatione, nullum ſtatim declarant Baptiſmum, ut videre eſt in illorum Theologorum doctrina, qua ſtatuunt, omiſſionem particulæ ET ita formam mutare, ut Sabellianam hæreſim contineat. Contra hos omnes itaque poſitam in confectario propoſitionem confirmo auctoritate, & doctrina 1. Romani Catechiſmi, qui de Baptiſmo §. 57. ſic Parochos inſtruit: „ Qua in „ re diligenter a Paſtoribus aliqua providenda „ ſunt, in quibus fere quotidie non ſine maxi- „ ma Sacramenti injuria peccatur. Neque enim „ deſunt, qui nullum ſcelus admitti poſſe arbi- „ trentur, ſi quemvis ſine delectu cum adjunctio- „ ne illa (conditionis ſcilicet) baptizent. Quare „ ſi infans ad eos deferatur, nihil prorſus quæren- „ dum putant, an is prius ablutus fuerit, ſed ſta- „ tim ei Baptiſmum tribuunt: quin etiam quam- „ vis exploratum habeant, domi Sacramentum ad- „ miniſtratum eſſe, tamen ſacram ablutionem in „ Eccleſia, adhibita ſolemni cæremonia, cum ad- „ junctione repetere non dubitant: quod quidem „ ſine ſacrilegio facere non poſſunt . . . Nam ea „ Baptiſmi forma (conditionata) in illis tantum „ permittitur, in quibus re *diligentius perquiſita* „ dubium relinquitur, an Baptiſmum rite ſuſce- „ perint; aliter vero nunquam fas eſt, cum ad- „ junctione, Baptiſmum alicui iterum adminiſtra- „ re “. 2. Sapientiſſimi Pontificis Bened. XIV. qui tum ſua Inſt. 8. tum in Opere aureo de Synodo lib. 7. cap. 8. 1. docet, improbandas eſſe Synodos in quibus generatim, & indiſtincte iterum ſub conditione in Eccleſia baptizari jubentur, qui privatim fuere ab Obſtetricibus domi baptizati: unde inferendum eſt damnandam hanc conſuetudinem, ſi forte alicubi viget, ut ego novi in aliqua ex Provinciis Italiæ vigere. 3. Quando contingit infantes ex neceſſitate ſacro Baptiſmate tingi domi ſive ab Obſtetrice, ſive ab alio, inquirendus eſt, & interrogandus Miniſter ille neceſſitatis, num rite adhibuerit, quæ ad Baptiſmun ſunt neceſſaria: & ſi deprehendantur omnia rite ſervata, nullo modo iterum conferatur Baptiſma, etiam ſub conditione, cum nulla ſuppetat prudens dubitandi ratio. Et ſane, cum hoc Sacramentum iterabile non ſit, & Eccleſia ita initerabile declaraverit, ut pœna irregularitatis puniat iterantem; non ſine prudenti dubio, & firma dubitandi ratione, nec ſub conditione iterari debet. Quamobrem, ſi forte dubium de ejus valore occurrat, non ſtatim repetendum Baptiſma, quia (ut paſſim dicunt nonnulli Theologi) *id tutius eſt*, *& in dubio plus ſapiunt*, *qui Sacramento provident*, ſed conſilium adhibendum Doctorum, ac Theologorum, & etiam, ſi opus ſit, tempuſque ſuppetat, conſulendus Epiſcopus, & ex ejus ſententia vel repetendus, vel non repetendus Baptiſmus. Noverint ſiquidem Miniſtri ſine prudenti dubio rebaptizantes probabilius irregularitatis cenſuram non effugere, licet ſub conditione rebaptizent, ut ſuo loco dicemus.

CAPUT SEPTIMUM.

De Ministro Baptismi

Tum ad validam, tum ad licitam collationem.

Doctrina.

I. *Epiſcopus 1. eſt ordinarius Baptiſmi Miniſter.*
II. *Sunt & Presbyteri ordinarii Miniſtri.*
III. *Diaconi non niſi ex Commiſſione ſolemniter baptizent.*
IV. *Valide quilibet homo poteſt Baptiſmum miniſtrare.*
V. *Sed ſolum in neceſſitate licite.*
VI. *Nullus ſeipſum baptizare poteſt.*
VII. *Unus Miniſter poteſt plures ſimul uno Baptiſmo abluere.*
VIII. *Quando plures invalide uni Baptiſma conferant.*
IX. X. *Quando valide, ſed illicite.*

I. Triplicem diſtinguunt Theologi Miniſtrorum Baptiſmi ſeriem, & ordinem. Nam alii ſunt hujus Sacramenti ex ſua inſtitutione ordinarii Miniſtri: 2. Alii extraordinarii, ſive ex delegatione: 3. Alii neceſſitatis. De ſingulis dicendum. Et primo quidem ordinaria Baptiſmi extra neceſſitatem, & ſolemniter adminiſtrandi poteſtas principali, & ſummo jure in Epiſcopis reſidet, qui etiam primis Eccleſiæ ſeculis eam ſibi reſervatam habebant. Hujus doctrinæ veritas patet 1. Quia Chriſtus Apoſtolis dixit Matth. ultimo: *Euntes*, *docete omnes Gentes*, *baptizantes eos in nomine Patris* &c. Apoſtolorum autem ſucceſſores ſunt Epiſcopi: unde Beda dicit: *Sicut in Apoſtolis eſt forma Epiſcoporum*, *ſic in ſeptuaginta duobus eſt forma Presbyterorum*. Quod & confirmant Patres. Tertull. lib. de Baptiſmo cap. 17. ſcribit: *Dandi quidem habet jus Summus Sacerdos*, *qui eſt Epiſcopus*, *debinc Presbyteri*, *& Diaconi*, *non tamen ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ bonorem*, *quo ſalvo*, *ſalva pax eſt*. Et infra munus baptizandi appellat *dicatum Epiſcopis*, *munus Epiſcopatus*. Et S. Hieronym. Dialog. cont. Luciferianos ſubdit: *Sine chriſmate*, *& Epiſcopi juſſione neque Presbyter*, *nec Diaconus jus habet baptizandi*. Ex quibus verbis etiam patet, Epiſcopos hoc munus ſibi reſervaſſe: quod & confirmat S. Ignatius Martyr in Epiſt. ad Smyrnenſes ſcribens: *Non eſſe licitum ſine Epiſcopo neque baptizare*, *neque Agapes facere*. Et colligitur etiam ex S. Auguſt. lib. 22. de Civ. Dei cap. 8. ubi narrans de quodam S. Stephani meritis ad Chri-

ſtum converſo, & baptizari cupiente, *& ecce*, inquit, *diluculum clamat, ut ad Epiſcopum curreretur*. Et de S. Ambroſio narrat Paulinus in ejus vita, ipſius in rebus divinis fortiſſimum laudans laborem, *in tantum ut quod ſolitus erat implere circa baptizandos, quinque poſtea Epiſcopi, a tempore, quo deceſſit, vix implerent*. Legatur, ſi quis plura hac de re cupit, P. Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 1. a. 3. Quamobrem dum S. D. hic a. 2. q. 67. dicit: *Datum Apoſtolis officium baptizandi, ut per alios exercendum*, non eſt intelligendus *excluſive*, quaſi dicat, ipſis jus, & poteſtatem non competere baptizandi: nam, ut inquit ibidem in reſp. ad 1. *Non per hoc excluditur, quin Epiſcopi non poſſint baptizare; quia quod poteſt inferior, poteſt & ſuperior*. Sed *exercite* quia plerumque hoc munus Epiſcopi per Parochos exercent, eiſque committunt.

II. Presbyteris ſeu Sacerdotibus ordinarium baptizandi ſolemniter munus vi ipſorum ordinationis convenit; ſemper tamen cum debita ab Epiſcopis dependentia. Primam hujus doctrinæ partem ſtatuit Eugenius IV. in Florentino Decreto, ubi de Miniſtro Baptiſmi ſic loquitur: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare*. Et confirmatur ex canone inter Apoſtolicos 50. decernente: *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter non trinam merſionem hujus myſterii celebret, deponatur*. Et in Sacramentario S. Gregorii, & in Ordine Romano Miniſter Baptiſmi appellatur ſimpliciter *Epiſcopus*, vel *Sacerdos*. Hanc veritatem confirmat S. Thom. art. 2. l. l. ea ratione: „ Quia „ Sacerdotes in ſua ordinatione poteſtatem accipiunt conficiendi Euchariſtiam, quæ eſt Sacramentum Eccleſiaſticæ unitatis, cujus homo fit particeps per Baptiſmum, unde & accipit jus ad menſam Domini accedendi. Et ideo ſicut ad Sacerdotem pertinet conſecrare Euchariſtiam... ita & proprium officium Sacerdotis pertinet baptizare; ejuſdem enim eſſe videtur operari totum, & ad partem in toto “. Quod vero ſint Epiſcopo & in hoc miniſterio ſubordinati, patet ex eo, quod Presbyteri ſint tantum Epiſcoporum coadjutores, quibus ut Eccleſiæ regimen, ita & baptizandi ſolemniter munus primo, & per ſe noſcitur convenire.

III. Diaconis ordinaria Baptiſmi adminiſtratio nequaquam competit, extraordinaria tamen, & delegata poteſt concedi. Patet 1. ex Jure Canon. cap. *Diaconos* diſt. 93. deprompto ex epiſt. 9. Gelaſii Papæ ad Lucaniæ Epiſcopos ſic ſtatuentis: *Diaconos propriam inſtituimus ſervare menſuram . . . . abſque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, niſi prædictis Ordinibus fortaſſe longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat, ne quiſquam ſine remedio ſalutari de ſeculo vocetur*. Et cap. *Conſtat* diſt. 14. de Confirm. hæc Iſidori lib. 2. de Off. cap. 24. verba adoptat: *Conſtat, Baptiſmum ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum; ejuſque miniſterium nec ipſis Diaconis explere eſt licitum abſque Epiſcopo, vel Presbytero*. Conſtat quoque ex Decret. Eugenii IV. in Concil. Flor. qui cum ſolum Sacerdotem miniſtrum vocet, *cui ex officio* competit baptizare, Diaconis non minus, quam inferioribus Clericis, indicat non competere. Rationem reddit D. A. hic q. 67. a. 1. dicens: „ Ad „ Diaconos non pertinet aliquod Sacramentum „ principaliter quaſi ex proprio officio præbere, „ ſed adhibere miniſterium aliis majoribus in Sacramentorum exhibitione “. Poſſe tamen committi munus ſolemniter baptizandi patet ex Actis Apoſtolorum cap. 8. ubi Philippum Diaconum plures viros, ac mulieres baptizaſſe ex commiſſione, ut præſumitur, Apoſtolorum, com. 12. evincitur, & com. 38. quoad Eunuchum Reginæ Candacis clarius perhibetur. Confirmant etiam allata Juris Canonici teſtimonia, qaæ, dum vetant ſine Epiſcopo, & Presbytero Diaconos baptizare, indicant, quod his annuentibus poſſint. S. Hieronymus quoque in Dialog. adverſ. Luciferianos in minoribus urbibus Diaconos baptizare permiſſos (videlicet ſolemniter, & in Eccleſia) commemorat. In ipſa Diaconi ordinatione Epiſcopus Diaconibus dicit: *Cogitate magnopere ad quantum gradum Eccleſiæ aſcenditis. Diaconum enim oportet miniſtrare ad Altare, baptizare* &c. quæ verba munus ſolemniter baptizandi ſaltem extra ordinem eis delegari poſſe confirmant. Nam ipſis ineſſe oſtendunt quandam, ratione ſuæ ordinationis, juris poteſtatem ad baptizandum, diſtinctam ab ea, quæ ex Chriſti inſtitutione omnibus convenit (ut infra dicemus) qualis eſt baptizandi in neceſſitate facultas; incompletam tamen, ſive inchoatam, & ex ſpeciali commiſſione perficiendam, adeoque non ordinariam.

IV. Quilibet homo cujuſcumque ſexus, gradus, & religionis, qui deliberate, & rite applicandi materiam, & formam ſit capax, poteſt valide baptizare. Hanc doctrinam, quæ modo certa eſt in Eccleſia Catholica, non talis antiquitus habita eſt. Celebris enim eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica controverſia de valore Baptiſmi ab Hæreticis collati inter S. Cyprianum, cui adhærebant Agrippinus, Firmilianus, pluresque alii Africani, & Orientales Epiſcopi, & S. Stephanum Romanum Pontificem, qui eorum doctrinæ de rebaptizandis hæreticis novitatem exprobrabat, & *nil* reponebat *innovandum* in Eccleſia. Porro laudati Patres cum hæreticorum baptiſmo rejiciebant & baptiſmum a Laicis datum, ut colligitur, ex 1. S. Baſilii ad Amphilochium Epiſtola, qui, cum dixiſſet de hæreticis, *qui* autem *abrupti ſunt* (ab unitate Eccleſiæ) *Laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent poteſtatem*, deinde de S. Cypriano, & Firmiliano, quorum ipſe ſententiæ adhærebat, loquens ſubdit: *quare eos, qui ab ipſis* (hæræticis) *baptizati erant, tanquam a Laicis baptizatos, juſſerant ad Eccleſiam venientes, vero Eccleſiæ baptiſmo expurgari*. Porro, ſi Laicorum Baptiſma non recipiebant, quanto minus fœminarum, & non baptizatorum invalidum cenſuiſſe Baptiſma credendi ſunt? Calvinus quoque lib. 4. Inſtit. cap. 15. a Laicis baptiſmum conferri non ſuffert, incertum, utrum quia irritam, an illicitam exiſtimaverit eorum operam; unde & de hoc ipſo diffident ejus aſſeclæ. Contra hos omnes catholica veritas a nobis aſſerta ſic oſtenditur, 1. Concilii Lateranenſis IV. ſub Innoc. III. cap. *Firmiter* definitione: *Sacramentum Baptiſmi, quod ad invocationem individuæ Trinitatis, Patris &c. conſecratur, in qua tam parvulis, quam adultis in forma Eccleſiæ, a quocumque rite collatum, proficit ad ſalutem*. Confirmat antiqua Eccleſiæ ſententia, quam Lateranenſe ſecutum eſt, atque Apoſtolicæ traditionis, & divinæ

hac

hac de re voluntatis validiſſimam præſumptionem ingenerat. Et hanc quidem traditionem Cypriano, Africanis, & Orientalibus unice ingerebat S. Stephanus Papa, ut habetur ex ipſo S. Cypriano epiſt. ad Pompejum, qui Stephanum ſic ſcribentem inducit: *Si quis ergo a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponantur in pœnitentiam.* Huic traditioni innixus ſcribebat S. Leo Papa Epiſt. 90. ad Ruſticum Narbonenſem: *Si de quibus ſcripſiſti, qui ſe baptizatos ſciunt, ſed cujus fidei fuerint, qui baptizavere, ſe neſcire profitentur, quolibet modo formam Baptiſmi acceperint, rebaptizandi non ſunt.* Dogma Catholicum definivit Trid. Synod. ſeſſ. 7. de Bapt. can. 4. *Si quis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris &c. cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit.* De Laicis vero S. Auguſtinus lib. 2. cont. epiſt. Parmen. cap. 13. ſcribit: *Etſi Laicus Baptiſma pereunti dederit, neceſſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet, quomodo dandum eſſet, didicit, neſcio, an pie quiſpiam repetendum duxerit . . . . ſed etſi nulla neceſſitate uſurpetur, at a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non poteſt dici non datum, quamvis recte dici poſſit, illicite datum.* Fœminas quoque valide baptizare indicat S. Doctor lib. 7. de Bapt. cap. 53. generaliter ſtatuens: *Habere eos Baptiſmum, qui ubicumque, & a quibuſcumque illud verbis Evangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide ſuſcepiſſent.* Et probat D. Thom. hic a. 4. ſcribens: „ Chriſtus eſt, qui principaliter baptizat, ſecundum illud Joan. 1. 33. *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem, hic eſt qui baptizat.* Dicitur autem ad Coloſſ. 3. (æquivalenter) quod in Chiſto non eſt maſculus, & fœmina. Et ideo ſicut maſculus laicus poteſt baptizare, quaſi miniſter Chriſti; ita etiam & fœmina ". Valere autem Baptiſma a quocumque etiam extra neceſſitatem datum, proinde illicite, hæc oſtendit invicta ratio. Cum Baptiſmus a quocumque urgente caſu neceſſitatis licite, adeoque utiliter dari poſſit, ut mox oſtendemus; hinc evidenter ſequitur, & extra neceſſitatem ab iis datum valere: neque enim ad ejus perfeſſionem aliquid minus in neceſſitate deſideratur, quam extra: cum eſſentia Sacramentorum ſit ſemper eadem, atque invariabilis, & Miniſtri ſufficientia non creſcat, niſi quando pendet a facultate juriſdictionis, ſolum in aliquo eventu conceſſæ; at juriſdictio ad valide baptizandum omnino non requiritur.

V. In caſu neceſſitatis, quando ſcilicet alterius potioris miniſterio in vitæ diſcrimine exiſtens Baptiſmum obtinere non poteſt, licet cuicumque homini idoneo ad ritum faciendum, etiam Laico, fœminæ, & non baptizato eum dare. Huic veriſſimæ doctrinæ adverſantur Calvinus, & Sectatores, qui potius ſine Baptiſmo abire e vita infantes ſinendos eſſe contendunt, quam non habenti Eccleſiæ miniſterium ejus collationem permittendam. In eadem dementiſſima, & damnoſiſſima perſuaſione verſari plures ex recentioribus Græcis Schiſmaticis, & Ruthenis, ſive Moſcovitis narrat Arcudius in ſuo Tract. de Baptiſmo cap. 2. Contra quam Eugenius IV. in ſæpius laudato Florentino pro Armenorum inſtructione Decreto docet; *In caſu neceſſitatis non ſolum Sacerdos, & Diaconus, ſed etiam Laicus, & mulier, immo & Paganus, & Hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia.* Hanc doctrinam ex traditione deſumpſerat. Nam Tertul. lib. 1. de Baptiſmo cap. 17. ait: *Etiam Laicis jus eſt . . . ſed quanto magis Laicis diſciplina verecundiæ, & modeſtiæ incumbit, cum ea majoribus competat, nec ſibi aſſumat dicatum Epiſcopis officium Epiſcopatus . . . ſufficit ſcilicet in neceſſitatibus utaris, ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit, tunc enim inſtantia ſuccurrendi excipitur, cum viget circumſtantia periclitantis, quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſedeat præſtare, quod libere potuit.* S. Hieron. quoque Dial. cont. Lucifer. poſtquam dixit, ut ſuperius retulimus, *ſine chriſmate, & Epiſcopi juſſione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habent baptizandi*, ſubdit, *ſi tamen neceſſitas cogit, ſcimus etiam Laicis licere.* S. Auguſtini vero teſtimonium n. præced. attulimus, quibus & alia, & quidem plura Patrum teſtimonia addere poſſemus: ſed in re clara, & comperta ſupervacaneum foret. Ratio autem univerſalis hujus conceſſionis nec alia occurrit, nec affertur a Patribus, quam ſumma Baptiſmi ad æternam ſalutem neceſſitas, de qua inferius dicemus. Ex qua neceſſitate infertur, licere & fœminis baptizare: quamvis enim aperta antiquorum teſtimonia non extent; nec tamen in contrarium quidquam adduci poteſt. Adducunt nonnulli Caput *Super quibus* 30. q. 4. ubi dicitur: *Super quibus conſuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex ſententia reſpondendum; ut & baptiſmus ſit, ſi inſtante neceſſitate, fœmina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.* At deſumptum eſt ex Urbani II. apocrypha Decretali ad Vitalem epiſtola.

VI. Nemo poteſt ſeipſum nec in neceſſitate licite, vel valide baptizare. Nam ex Chriſti inſtitutione oportet baptizantem a baptizato diſtingui, quod ipſe Chriſtus ſuo oſtendit exemplo, cum non a ſe ipſo, ſed a Joanne baptizari voluit, & juſſione, qua eos baptizare injunxit Apoſtolis, quos docuiſſent, *euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos* &c. Quare ſicut nemo poteſt ſeipſum docere, ſic nec baptizare. Eadem veritas Innoc. III. confirmatur auctoritate. Hic ſiquidem in Extra. *de Baptiſmo, & ejus effectu*, Metenſi Epiſcopo ſic reſcribit: „ Sane intimaſti, quod quidam Judæus in mortis articulo conſtitutus, cum inter Judæos tunc exiſteret, in aquam ſe ipſum merſerit, dicendo *Ego baptizo me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Reſpondemus, quoniam cum inter baptizatum, & baptizantem debeat eſſe diſtinctio, ſicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apoſtolis, *ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos* &c. memoratus Judæus eſt denuo ab alio baptizandus, ut oſtendatur, quod alius ſit baptizatus, & alius qui baptizat ". Mox hanc ſuam reſponſionem Pontifex alia egregia fulcit ratione, ſubdens: „ In Baptiſmo ſpiritualis generatio celebratur, de qua veritas ait Jo. 3. *Oportet vos naſci denuo.* Sicut ergo in carnali generatione, qua proles ex viro, & fœmina naſcitur, alius eſt, qui carnaliter gignit, & alius, qui carnali-

ter

„ ter gignitur ; ſic & in Sacramentali generatione, qua ſoboles ex aqua, & Spiritu S. renaſcitur, alius debet eſſe, qui ſpiritualiter generat, „ alius, qui ſpiritualiter generetur “. Accedit in Baptiſmo ſui ipſius verba latinæ formæ aut ſubſtantialiter eſſe immutanda, aut falſam reddere ſignificationem.

VII. Valide, & in caſu neceſſitatis etiam licite poteſt ab uno Miniſtro pluribus ſimul conferri Baptiſma, unica infuſione, ſive aſperſione eos omnes abluente, & unica formæ prolatione, quæ ſit ad pluralem numerum accommodata, dicendo, *Ego vos baptizo* &c. Ita docet S. Thom. hic art. *6.* ſcribens in reſp. ad 2. „ In caſu neceſſitatis unus poteſt „ ſimul plures baptizare ſub hac forma, *Ego vos* „ *baptizo* &c. puta ſi immineret ruina, aut gladius, „ aut aliquid hujuſmodi, quod omnino moram non „ pateretur, ut ſigillatim omnes baptizarentur. „ Nec per hoc diverſificaretur forma Eccleſiæ, „ quia plurale non eſt niſi ſingulare geminatum, „ præſertim cum pluraliter dicatur Matth. ult. „ *Baptizantes eos* “.

VIII. Nunquam licet plures ſimul unum baptizare: validum tamen, & unum eſt Baptiſma a pluribus eidem perſonæ collatum, ſi quilibet totum, & eodem tempore, & intentione abſoluta, & independente ritum perficiat. Hanc quoque doctrinam tradit D. A. laud. art. *6.* Qui primo animadvertit: „ Sacramentum Baptiſmi præcipue „ habere virtutem ex forma, quam Apoſtolus vocat *Verbum vitæ* “. Proinde ſubdit, attendendum, qua forma hujuſmodi baptizantes uterentur: „ ſi enim dicerent (ſubdit S. D.) *Nos te baptizamus in nomine Patris* &c. non conferretur Sacramentum Baptiſmi, eo quod non ſervaretur forma Eccleſiæ, *ego te baptizo in nomine Patris* &c. „ . . . . Nam ex tali forma, *Nos te baptizamus*, „ exprimitur talis intentio, quod plures conveniant ad unum Baptiſmum conferendum: quod „ quidem videtur eſſe contra rationem Miniſterii: „ homo enim non baptizat, niſi ut Miniſter Chriſti, & vicem ejus gerens. Unde ſicut unus eſt „ Chriſtus, ita oportet eſſe unum Miniſtrum, qui „ Chriſtum repræſentet. Propter quod ſignanter „ Apoſtolus docet Epheſ. 4. c. 5. *Unus Dominus*, „ *una Fides*, *unum Baptiſma* “. Hinc infertur ita baptizantes & graviter peccare, & nullum eſſe attentatum ab ipſis Baptiſma. Quod pariter ſequeretur, ſi conſpiraſſent, ut non niſi ſingulorum expleto miniſterio opus a ſe maturatum ſuccederet: tunc enim nullum eſſet Baptiſma ſub rei futuræ conditione collatum. Idem dicendum, ſi plures eo animo ad unum baptizandum convenirent, ut vellent a ſingulis integrum Baptiſmi valorem pendere; licet omnes eodem tempore totum ritum abſolverent: nullus enim baptizat defectu intentionis a Chriſti voluntate, & inſtituto abhorrentis.

IX. At ſi (proſequitur S. D.) duobus ſimul baptizantibus, „ uterque diceret, *Ego te baptizo in* „ *nomine Patris* &c. uterque exprimerent ſuam intentionem, quaſi ipſe ſingulariter Baptiſmum conferret; quod poſſet contingere in eo caſu, in „ quo contentioſe uterque aliquem baptizare conaretur; tunc manifeſtum eſt, quod ille, qui prius „ verba proferret, daret Baptiſmi Sacramentum: „ alius vero, quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret; & ſi verba pronuntiare præſumeret, eſſet puniendus, ut rebaptizator “. Datum itaque eſſet legitimum Baptiſma a primo, qui baptiſmalem ritum abſolveret: at uterque lethaliter peccaret, & tardiori ſuperadderetur etiam rebaptizantis delictum. Nec obſtat, plures Sacerdotes ad eamdem conſecrandam hoſtiam cum Epiſcopo in ſacra Ordinatione convenire. Talis enim cooperatio non dedecet in Sacramento unionis, & unitatis ex pluribus, quale eſt Euchariſtia, quæ in pane multis granis conſtante, & in vino ex pluribus racemis expreſſo conficitur; at Baptiſmo non convenit.

X. „ Quod ſi (addit A. P.) omnino ſimul ambo „ verba proferrent, & hominem immergerent, aut „ aſpergerent, eſſent puniendi de inordinato modo „ baptizandi, & non de iteratione Baptiſmi: quia „ uterque intenderet non baptizatum baptizare; & „ uterque, quantum in ſe eſt, baptizaret. Nec „ traderent aliud, & aliud Sacramentum, ſed „ Chriſtus, qui eſt unus interius baptizans, unum „ Sacramentum per utrumque conferret “. Quod etiam a Theologis declaratur exemplo plurium equorum trahentium eumdem currum, cui agitando quilibet ſeorſim ſufficeret: ita enim ſingulorum attemperatur motio, ut nullius inofficioſus maneat, irrituſque concurſus. Palam tamen eſt ita baptizantes graviter peccare, & injuriam tum Chriſto, tum Sacramento inferre.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Parochis jus baptizandi competit.*
II. *Baptiſmum valide dare poteſt & qui baptizatus non eſt.*
III. *In Baptiſmo neceſſitatis eſt ordo ſervandus in baptizando.*
IV. *Idem Miniſter & materiam applicare, & formam proferre debet.*
V. *Quando liceat Diaconis ſolemniter baptizare.*
VI. *Non omnibus Sacerdotibus conceſſum eſt, ut ſemper licite baptizent.*
VII. *Neceſſitate urgente, qui poteſt, tenetur Baptiſmum conferre.*

Conſectarium Primum.

I. Licet Presbyteri ſint in Baptiſmi miniſterio Epiſcopis ſubordinati, in præſenti tamen diſciplina Eccleſiæ, eo ipſo quod Presbyter electus in Parochum, ab Epiſcopo ut idoneus admittitur, & inſtituitur, jure communi cenſetur baptizandi facultatem ſtabiliter accepiſſe, & poteſtatem eamdem cuicumque alteri Sacerdoti pro arbitrio committendi. Jamdudum enim eſt, & ſexto Eccleſiæ ſeculo jam vigebat hic mos, & conſuetudo; quia creſcente baptizandorum multitudine plerumque infantium, & ſublata conſuetudine, ſive lege, quæ certis tantum celebrioribus feſtivitatibus, præſertim vero Paſchatis, & Pentecoſtes, ſolemnem Baptiſmi celebrationem alligabat, Epiſcopi inferioribus Sacerdotibus animarum curam gerentibus baptizandi officium ſine nova; & particulari licentia indiſcriminatim exercendum dimiſerunt; non ita tamen, ut per ſe, ſi vellent, illud præſtare non poſ-

poſſint, & cuilibet alii Presbytero in eadem Parœcia pro arbitrio committere, vel adimere.

Conſectarium Secundum.

II. Baptiſmum valide dare poteſt & qui baptizatus non eſt. De ejus doctrinæ veritate olim dubitaſſe videtur S. Auguſtinus lib. 2. cont. epiſt. Parmen. dicens: *Et hæc quidem alia quæſtio eſt, utrum ab iis, qui nunquam fuerunt Chriſtiani, poſſit Baptiſmus dari. Nec aliquid temere inde affirmandum eſt ſine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei ſufficit.* Nihilominus lib. 7. de Baptiſmo cap. 53. aſſerit, ſe in tali Concilio nequaquam dubitaturum, quin pro affirmante parte ſuffragium ferret. Sic enim ſcribit: *Si eo modo affectus eſſem, quo eram, cum iſta dictarem, nequaquam dubitarem, habere eos Baptiſmum, qui ubicumque, & a QUIBUSCUMQUE illum verbis Evangelicis conſecratum ſine ſui ſimulatione, & cum aliqua fide, accepiſſet.* Et ſane de hac re non dubitavit Romana Eccleſia. *Romanus Pontifex* (inquit Iſidorus relatus cap. *Romanus* de conſecrat. diſt. 4.) *non hominem indicat, qui baptizat, ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam Baptiſmi, licet Paganus ſit, qui baptizat.* Unde Nicolaus I. in ſæpius memorato reſponſo ad Bulgaros ait: *A quodam, neſcitis utrum Chriſtiano, an Pagano, multos in Patria veſtra baptizatos aſſeritis . . . hi profecto, ſi in nomine SS. Trinitatis baptizati fuerint, conſtat, eos non eſſe denuo baptizandos.* Ante Nicolaum Concilium Compendienſe anni 757. can. 9. ſtatuerat: *Si quis baptizatus a Presbytero non baptizato, & S. Trinitas in iſto Baptiſmo invocata fuerit, baptizatus eſt, ſicut Sergius Papa dicit.* Proinde de hujus Baptiſmi valore non eſt modo ambigendum.

Conſectarium Tertium.

III. In Miniſtro neceſſitatis, quando baptizandus eſt puer, ordo prælationis, quantum fieri poteſt, eſt ſervandus, ita ſcilicet ut præſtantior Baptiſmum miniſtret. Ita docet S. Thomas hic q. 76. art. 4. ſcribens: „ Non debet mulier baptizare, ſi adſit copia viri, ſicut nec laicus præſente Clerico, nec Clericus præſente Sacerdote, qui tamen poteſt baptizare præſente Epiſcopo, eo quod hoc pertinet ad officium Sacerdotis “. Hanc doctrinam ſecutus eſt S. Carolus Borromæus in Inſtruct. Baptiſmi; tenendamque ſtatuunt Rituale Romanum, & Concilia plura Gallica a Natali Alexandro citata. Ratio autem ſuadet: quia reverentia debita Sacramento poſtulat, ut in ejus adminiſtratione ob neceſſitatem ſuſcepta potiores inferioribus præponantur, Clericus Laico, Diaconus, aliuſque in ordine ſuperior Clericis inferioribus, Diacono Sacerdos. Quamobrem præſentibus dignioribus, qui poſſint, & velint, non ſine gravi peccato baptiſmus ab inferioribus, in caſu neceſſitatis (qui tamen revera tunc neceſſitatis non eſſet) perſonis illis poſthabitis præberetur; & mortale quidem communiter reputatur, quando Sacerdoti, vel Diacono, vel baptizato ille, qui careat Sacerdotio, vel Diaconatu, vel baptiſmo, anteferatur. Inverſionem vero hujus ordinis, quoad alios, licet plures benigniores Theologi levis dumtaxat irreligioſitatis damnent, cenſeo tamen non levem culpam dicendam; cum agatur de Sacramenti miniſterio, de lege & ritu Eccleſiæ ſervando; & præſertim ſi ex arrogantia, & ſuperbia quis tale miniſterium digniore relicto ſibi uſurpet. Solum levem reddere poteſt culpam confuſio, inadvertentia, ſollicitudo adminiſtrandi Sacramentum, quæ conſiderationi locum non relinquat. Immo & laudabiliter aliquando hic ordo prætermittitur, nimirum 1. ſi inferior ritum baptizandi calleat, dignior vero ignoret. Sapientiſſime propterea ſtatuit S. Carolus Part. 4. tit. De Baptiſ. Miniſt. „ Obſtetricibus quidem, quæ baptizare conſueverunt, formamque Baptiſmi tenent, baptizare quidem, neceſſitate urgente, permittitur, etiam præſente Laico, qui Sacramenti conficiendi plane ignarus, rudiſque ſit “. Quod & confirmat Catech. Roman. cap. de Bapt. n. 24. 2. Si ratio pudoris, & honeſtatis fœminæ potius operam poſtulet, ut in Baptiſmo infantis, qui ex utero prorſus extrahi non poteſt. 3. Si potior ſit ipſemet baptizandi Parens, qui tamen aliis deficientibus propriam prolem in periculo mortis verſantem licite baptizat, quin propterea contrahat cognationem ſpiritualem, quæ conjugalis debiti impediat petitionem; dummodo illum ex legitimo habuerit Matrimonio: nam alias filium ex concubina generatum baptizans, nequit illam amplius in uxorem ducere, & viciſſim. Sic ſtatuitur can. Ad limina can. 30. q. 1. „ Suæ uxori jam legitimæ ſociatæ impune, quamdiu vixerit, judicamus manere conjunctum “. Aliquam ſolum ingerit difficultatem, ſi urgente neceſſitate adſit ſolum Sacerdos excommunicatus, an adhuc ſit præferendus laico, vel Obſtetrici. Aliqui adhuc præferendum putant hunc Sacerdotem, quia in extrema neceſſitate ceſſat interdictum Eccleſiæ, ut patet in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, quæ hujuſmodi Sacerdoti in extrema neceſſitate conceditur: & præterea baptizare ſine ſolemnitate non eſt actum exercere ſacræ Ordinationis. At oppoſitam opinionem probabiliorem exiſtimo: quandoquidem Sacerdos per excommunicationem eſt a corpore Eccleſiæ, ut putridum membrum, ſegregatus, cujus proinde officia reſpuit Eccleſia; immo illa vetita vult, & interdicta. Non eſt itaque præferendus Laico, membro corpori Eccleſiæ conjuncto, & in tali caſu æque, ac Sacerdos, idoneo Sacramenti Miniſtro. Præterea Sacerdotibus excommunicatis ſolum ex neceſſitate conceditur in aliorum utilitatem Sacramenta neceſſitatis dare. At quænam neceſſitas, amabo, ubi alter adeſt, qui poteſt Sacramentum miniſtrare? Si præſente laico poteſt in extremo periculo poſitum abſolvere, mirum non eſt, quia laicus omni caret poteſtate abſolvendi: non poſſet tamen, ſi alter eſſet Sacerdos præſens, licet excommunicatus eſſet approbatus Confeſſarius, vel Parochus; cum per excommunicationem omni privetur Eccleſiaſtica juriſdictione. Quamobrem & lethaliter peccaret, qui ad baptizandum in neceſſitate infidelem, vel excommunicatum vocaret, ſi poſſet habere opportune Miniſtrum fidelem, & communione Eccleſiæ gaudentem: quia injuriam irrogaret Sacramento; & vocando infidelem exponeret etiam Sacramentum periculo

culo vel nullitatis, vel irriſionis. Similiter lethaliter peccaret Sacerdos, qui præſente Parocho ſibi officium uſurparet baptizandi infantem, ſi Parochus ſit paratus dare baptiſmum, licet ſit in neceſſitate miniſtrandum: nam alienum jus invaderet, & paſtorale munus ſibi uſurparet cum alterius injuria. Nec neceſſitas urgens excuſaret, cum reſpectu Sacerdotis baptizantis nulla eſſet, quia poſſet a Parocho præſente, & volente baptiſmus conferri.

Conſectarium Quartum.

IV. Idem ſit Miniſter, oportet, qui baptizando materiam proximam cum forma conjungat. Ita expreſſe docet S. Thom. hic q. *67.* art. *6.* ad 3. dicens: „ Sicut ſupra dictum eſt, integritas „ Baptiſmi conſiſtit in forma verborum, & in uſu „ materiæ; ideo neque ille, qui tantum verba „ profert, baptizat, neque ille, qui immergit. „ Et ideo ſi unus verba proferat, & alius immer„ gat, nulla forma verborum poterit eſſe conve„ niens; neque enim poterit dici: *Ego te baptizo* „ cum ipſe non immergat, & per conſequens non „ baptizet; neque etiam poterit dici, *Nos te ba„ ptizamus*, cum neuter baptizet “. Hinc ſi moribundo infanti ſoli mutus, & mancus præſentes ſint, ut ſibi objecerat 3. loco S. D. non poterunt ille aquam, hic verba adhibendo prodeſſe; & ſi hoc tentarent, nullum eſſet habendum Baptiſma, ac proinde repetendum. Huic itaque inhærens S. Thom. doctrinæ ſapientiſſimus Pontifex Benedict. XIV. de Synod. lib. 7. cap. *6.* n. 8. ſcribens: „ Rationabiliter Patribus Concilii Meclinenſis an„ ni *1606.* ſaltem ut incertum, & dubium viſum „ eſt Baptiſma collatum ab hæreticis Hollandiæ, „ & finitimarum regionum, apud quos mos inva„ luerat, ut uno aquam fundente, alter Sacra„ menti formam pronuntiaret, & propterea juſte „ illud iterandum decreviſſe “.

Ita docet & Concina diſſ. 1. cap. *9.* n. 10. qu. *6.* qui proinde emendaſſe cenſendus eſt, quod ſuperius cap. 3. ejuſdem Diſſert. n. 12. minus caute ſcripſerat, dicens: „ Si quis videat puerum ab a„ lio projectum in puteum, vel in flumen, pro„ nuntietque formam cum intentione baptizan„ di .... non video cur validum non ſit. Quod „ enim a miniſtrante non abluatur, differentia ſo„ lum materialis videtur. Et ſane juxta antiquum „ ritum Sacerdotes nudatas mulieres non ablue„ bant, nec immergebant. Diaconiſſæ corpora ſa„ cro oleo ungebant. & Sacerdos ſolum frontem „ baptizatæ tingebat, ut pudori, & modeſtiæ con„ ſultum eſſet “. Profecto neſcio, qua nube offuſcatus vir clariſs. apertis oculis ſolem non viderit in meridie. Falſa tunc eſſet forma pronuntiata, nam ille diceret, *Ego te baptizo*, & nec infantem tangeret; ſed alius plane eſſet, qui puerum in flumen, vel in puteum projiceret. Si itaque nullum eſt Baptiſma datum juxta S. Thom. a duobus ex condicto convenientibus, ut alter aquam fundat, alter formam proferat, & quidem ex intentione baptizandi, cum & unio moralis habeatur, & uterque Baptiſmum velint; quanto magis nullum erit Baptiſma a duobus collatum, qui nec moralem habent unionem, nec alter intentionem baptizandi, ſed occidendi? Pariter toto oſtio a vero aberrat, dum ſubdit, quod *a miniſtrante non abluatur*, *differentia ſolum materialis videtur*; cum ſit & totalis, ac formalis. Si enim non abluat, ſed alter, falſo pronuntiat, *ego te baptizo*. Ubi vero legit, vel audivit, olim Sacerdotes nudatas mulieres, nec lavaſſe, nec immerſiſſe, cum prorſus oppoſitum legatur in omnibus Sacrorum Rituum Scriptoribus? Ipſi enim Miniſtri, & Sacerdotes ter in aqua mulieres mergebant, tam caſte, tam modeſte, & caute, ut nihil eſſet quod pudorem, & modeſtiam læderet. Accedebant ſiquidem ad ſacrum fontem indutæ mulieres baptizandæ, a Diaconiſſis exuebantur, & fontem ingrediebantur, tunc accedebat Sacerdos, qui mulieres non nudatas, ſed tectas aqua reperiebat, & brachiis prope humeros apprehenſis immergebat, verba proferens formæ. Audiatur quomodo ritum hunc deſcribat Martene Tom. 1. lib. 1. cap. 1. art. 14. titulo *Pudori quomodo conſultum*. Sic itaque ſcribit: „ Sed quia de conſulendo pudori hic ſe ſe „ mentio conjicit, operæ pretium exiſtimo refer„ re, quanta fuerit in hac re S. Othonis Pome„ raniorum Apoſtoli ſollicitudo, ſimulque quo mo„ do, & ritu Baptiſma novellis chriſtianis admi„ niſtraret .... Tribus Baptiſteriis inſtructis ita „ ordinavit, ut ipſos ſolos mares pueros in uno „ baptizaret, alii autem Sacerdotes fœminas ſe„ orſum. Tanta quoque diligentia, tanta mundi„ tia, & honeſtate Pater optimus Sacramenti ope„ rationem fieri edocuit, ut nihil indecorum, ni„ hil pudendum, nihil unquam, quod alicui Gen„ tilium minus placere poſſet, ibi ageretur. „ Namque dolia grandia terræ altius emergi præ„ cepit, ita ut ora doliorum uſque ad genua ho„ minis, vel minus in terra promineret, quibus „ aqua impletis, facilis erat in eum deſcenſus. „ Cortinas circa dolia fixis columnelis, funibuſ„ que inductis appendi fecit, ut in modo coronæ „ velo undique cuppa cingeretur. Ante Sacerdo„ tem vero, & Comminiſtros, qui ex una parte „ adſtantes Sacramenti opus explere debebant, „ linteum fune trajecto appendit, quatenus vere„ cundiæ undique proviſum foret .... Igitur ad „ introitum cortinæ venientes ſinguli tantum cum „ patrinis intrabant, ſtatimque veſtem, qua fuit „ amictus, qui baptizandus erat, & cereum illo „ in aquam deſcendente Patrini ſuſcipiebant, & ante faciem ſuam illam tenentes expectabant, do„ nec eam redderent de aqua exeunti. Sacerdos „ vero ad cuppam ſtabat, cumque audiſſet potius, „ quam vidiſſet, quod aliquis eſſet in aqua, ve„ lo paululum amoto, trina immerſione capitis il„ lius myſterium Sacramenti perficit, unctumque „ liquore Chriſmatis in vertice, & alba impoſita, „ reductoque velo, de aqua juſſit exire baptiza„ tum, patrinis veſte, quam tenebant, illum co„ operientibus, atque deducentibus “. Subdit autem Martene, quod & mihi optime convenit: „ Hunc locum licet prolixum, quia multa ad „ morum ædificationem, & diſciplinam ſpectan„ tia contineat, integre referre viſum eſt, nec „ lectoribus tædio fore confidimus “. En igitur, quomodo ipſi Sacerdotes, non Diaconiſſæ fœminas ungebant, dum Baptiſmi formam proferebant. Diaconiſſas vero oleo ſancto eas unxiſſe unice habetur in Conſtitution. Apoſt. D. Clementis tributis, at alibi unctiones in ſcapulis, pectore, & vertice

ce a Miniſtro faciendus indicitur. Videri etiam poteſt Rituale Rom. cap. de Baptiſmo adultorum, in quo præſcribitur; „ ut Sacerdos ipſe fœminas „ cruce ſignet in fronte, in auribus, in oculis, „ in ore, in pectore, in ſcapulis, ut ſalem in os „ immittat, ſaliva os, & nares tangat, oleo ſan„ cto inungat in pectore, & inter ſcapulas: & u„ bi Baptiſmus fit per immerſionem, ſive totius „ corporis, ſive capitis tantum, Sacerdos acci„ piat electum per brachia prope humeros, & ſu„ periori parte corporis nudatum, reliqua hone„ ſte contectum, ter illum, vel caput mergendo, „ & toties elevando baptizet ". Semper itaque ratum, firmumque fuit in Eccleſiaſtica diſciplina, ut Sacerdos & mergat, & formam proferat. Minime itaque verum quod falſa innixus hypotheſi ibi ſtatuit laud. Auctor; valere Baptiſma datum infanti, qui ab uno in flumen, vel puteum projiceretur occidendi cauſa, & ab altero, caſu id vidente, forma proferretur Baptiſmi.

Conſectarium Quintum.

V. Non licet Diacono ſine commiſſione ſolemniter baptizare, & ex commiſſione non niſi urgente neceſſitate. Et quidem non licere Diaconis, nec urgente neceſſitate, ſine commiſſione vel Sacerdotis, vel Epiſcopi baptizare, patet manifeſte ex ipſa Diaconi conditione, cui non competit per ſe, ut vidimus, Baptiſmum dare; ſed ſolum ut aſſumi poſſit ad ſolemniter baptizandum; & urgente neceſſitate auxilium ſufficiens præbetur indigenti, privata, & non ſolemni Baptiſmi adminiſtratione, quæ Diacono competit præ aliis inferioribus ex ſuo gradu. Quod autem ex commiſſione non liceat baptizare, niſi urgente neceſſitate, non omnes æquanimiter docent Theologi. Sunt enim qui arbitrantur etiam ex juſta, & rationabili cauſa poſſe aſſumi Diaconum ad dandum ſolemne Baptiſma. At hæc juſta, & rationabilis cauſa, niſi ſit cum urgenti neceſſitate conjuncta, non ſufficit ad aſſumendum Diaconum ad ſolemnem Baptiſmi adminiſtrationem. Et quidem hic non eſt ſermo de urgente neceſſitate ex parte baptizandi, hæc enim nec cæremoniis ſolemnis Baptiſmi locum concedit; ſed de neceſſitate ex parte miniſtrantis, ideſt ſi nec adſit, nec haberi poſſit Sacerdos, qui ſolemniter baptizet. Hanc autem ſolam cauſam afferunt & Romanorum Pontificum Decreta. Nam Gelaſius Papa aperte dicit cap. 13. diſt. 93. Diaconi abſque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, niſi prædictis Ordinibus fortaſſe longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat. Et S. Iſidorus: Conſtat Baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum, ejuſque miniſterium nec ipſis Diaconis explere eſt licitum abſque Epiſcopo, vel Presbytero, niſi his procul abſentibus ultima languoris neceſſitas cogat. Accedit & D. Thom. qui 3. Par. quæſt. 67. art. 1. ad 3. ſcribit: „ Quia „ Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, permit„ titur Diaconis neceſſitate urgente in abſentia „ Majorum baptizare: & hoc modo B. Lauren„ tius Diaconus exiſtens baptizavit ". Duo itaque requiruntur, ut Diaconus licite aſſumi poſſit ad dandum ſolemnem Baptiſmum, 1. ut nullus ſit Sacerdos, qui poſſit miniſtrare. 2. Ut baptizandus ſit in neceſſitate Baptiſmi ſolemniter ſuſcipiendi: ſi enim differri poteſt Baptiſma uſque ad adventum Sacerdotis, differri debet potius, quam Diaconum aſſumere. Cauſæ, quas obtrudunt, mihi practice legitimæ non videntur; 1. ſcilicet multitudo baptizandorum: & hæc locum non habet in noſtris Regionibus: in Indiis certe Miſſionarii Sacerdotes ſunt, non Diaconi; & ſi Diaconi mittantur, ex deficientia Sacerdotum jam neceſſitatis adeſt titulus. 2. Infirmitas Sacerdotis: & hæc æquivalet carentiæ, ſi alius Sacerdos haberi non poſſit, & diuturna, vel inſanabilis ſit infirmitas. 3. Excommunicationis cenſura: & hæc ſi involuntaria in Sacerdote, abſolutionem petere debet, non Diaconum ad baptizandum aſſumere; ſi ex contumacia, officio privandus, & alius Sacerdos ejus loco ſubſtituendus. Nullum autem alium Clericum aſſumi poſſe ad ſolemniter baptizandum certum omnino eſt; & ſi hoc attentaret, irregularitatem incurreret, cui ſubjicitur & laicus ſolemniter baptizare auſus: at non incurrit, ſi etiam ſine neceſſitate privatim baptizet, licet peccet mortaliter.

Conſectarium Sextum.

VI. Non omnibus Sacerdotibus conceſſum eſt ſolemnem Baptiſmum licite adminiſtrare. Quandoquidem ex Eccleſiæ ordinatione, præter Ordinis poteſtatem reſpectu Sacramenti in Ordinatione conceſſam, requiritur ad licite tractandum ſolemniter hoc Sacramentum & poteſtas Juriſdictionis, cum per Baptiſmum recipiatur homo in Eccleſia, ejuſque membrum fiat. Porro ſicut ad Civitatis, & Reipublicæ moderatores pertinet aliquem extraneum in civem adſcribere; ita & in Republica chriſtiana ad ejus moderatores, & Præſides pertinet in Eccleſiæ cœtum admittere. Quamobrem Presbyter, qui ſine licentia, & multo magis invito Parocho ſolemniter baptizare præſumeret, graviter peccaret; quippe quia, ut ſcribit S. Auguſtinus lib. 2. cont. epiſt. Parmen. cap. 18. *nulla neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt*; & ſtatuitur in Jure com. cap. *Interdicimus* 16. quæſt. 1. Peccarent etiam graviter Parentes, ſi invito Parocho, vel ſine ejus conceſſione prolem ſuam alieno Sacerdoti baptizandam offerrent. Jure communi licet Regularibus de licentia Parochi ſolemniter baptizare: cujuſcumque tamen Ordinis, ſi qua ſunt hac de re Decreta, vel Conſtitutiones, ſunt obſervandæ. Baptizantes ſine licentia Parochi, licet graviter peccent, nulli tamen ſubjiciuntur cenſuræ, vel irregularitati, cum nullibi hæc indicta legatur. At Diaconi baptizantes ſolemniter ſine debita commiſſione, licet id faciant in caſu neceſſitatis, quia ut obſervat S. Antonin. 3. P. tit. 28. cap. 1. nulla eſt neceſſitas, quæ cogat ad Baptiſmum ſolemniter adminiſtrandum, cum egentis ſaluti conſulatur Baptiſmo ſine ſolemnitate collato, incurrunt irregularitatem.

Conſectarium Septimum.

VII. In caſu extremæ neceſſitatis, qui poſſunt baptizare, tenentur hoc officium præſtare. Non eget hæc doctrina probatione, cum ſtatim quiſque perſpiciat, lege caritatis quemlibet teneri ſubvenire proximo neceſſitatem, & quidem gravem, mul-

multoque magis extremam patienti, niſi alius adſit, qui poſſit, & velit ſubvenire. In hac autem extrema neceſſitate baptizantem lethaliter non peccare oſtendimus Par. 1. de Sacramentis in genere cap. 7. confect. 2. licet ſit peccato lethali contaminatus.

CAPUT NONUM.

De ſubjecto ad Baptiſmum valide, & licite ſuſcipiendum idoneo.

DOCTRINA.

I. *Quilibet homo eſt Baptiſmi ſuſcipiendi capax.*
II. *Certe valide non baptizatur infans in utero matris penitus latens.*
III. *Nec probabilius, licet ad ipſum ablutio poſſit pertingere.*
IV. *Cum & oppoſita doctrina probabilis ſit, quid agendum.*
V. *Baptizandi num ſub conditione, vel abſolute, qui ex parte ex utero emerſerint.*
VI. *Quomodo monſtroſi fœtus ſint Baptiſmo dignandi.*
VII. *Infantes recenter nati Baptiſmi capaces ſunt.*
VIII. *Infidelium filii ſemper valide baptizantur, at non ſemper licite.*
IX. *Quando licite queant baptizari.*
X. *Certe in articulo mortis.*
XI. *Amentes quando valide, & licite baptizari poſſint.*

I. CErtum, compertumque eſt, omnes homines viatores in hanc mortalem lucem editos, cujuſcumque ſexus, ætatis, & conditionis, capaces eſſe Baptiſmi valide, & licite, poſitis debitis diſpoſitionibus, recipiendi: quandoquidem omnes Baptiſmo indigent ad æternam conſequendam ſalutem, ipſiſque neceſſarium eſt, nedum præcepti, ſed & medii neceſſitate, ut infra demonſtrabimus, dicente Domino, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Verum cum Baptiſma & ab adultis ſuſcipi poſſit, & ab infantibus, de utraque claſſe ſingillatim agendum ſumimus.

II. Infantes in utero matris incluſi, penituſque latentes Baptiſmi certiſſime capaces non ſunt; & probabilius etiam, licet aliqua arte intra uterum ablui poſſent. Et quidem prima doctrinæ pars apertiſſima eſt, quia infantes in utero matris incluſi, & omnino latentes ablui non poſſunt, proinde nec baptizari, cum Baptiſmus ſine ablutione nequeat haberi. Nec valet, ſi maternus uterus aqua perfuſa abluatur exterius: quia infans eſt diſtincta a matre perſona, ad quam matris ablutio non pertinet. Ut enim arguit S. Auguſtinus lib. 6. cont. Jul. cap. 5. *Si ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertinet, ita ut ejus pars computetur, non baptizatur infans, cujus mater baptizata eſt aliquo mortis urgentis periculo, cum eum geſtaret in utero: nunc vero cum ipſe etiam baptizetur, non utique ad maternum corpus, cum eſſet in utero, pertinebat*. Ita docet & D. Th. qui laudata Auguſtini verba tranſcribit hic q. 78. art. 11.

III. Sed licet aliqua arte intra uterum ablui poſſet infans, adhuc probabilius tenendum, non valere Baptiſmum. Ita docent quidem plures, & magni nominis Theologi contra alios fortaſſis numero pares, nec merito ac dignitate impares. Sed priorum momenta mihi efficaciora videntur. Ex duplici itaque capite incapaces ſacramentalis ablutionis hi cenſentur infantes. 1. Quia licet aqua in uterum matris, & ſupra infantem immitti poſſit; tamen, ut ſcribit Theophilus Raynaudus Opuſc. de ortu infantium per ſectionem cæſaream cap. 6. n. 14. (extat Operum T. 14) *intra ipſius uteri latebras fœtus tot undique ſecundinis circumſepitur, ut neſciam, qua ratione dici poſſit, aquam ita eſſe applicabilem, ut ad fœtum poſſit pertingere*. Quod & viſum eſt S. Thom. qui l. l. inutilitatem Baptiſmatis etiam ex hoc capite repetit, ſcribens: „ Corpus infantis, antequam naſcatur ex utero, non poteſt aliquo modo ablui „ aqua ". 2. Tametſi taliter intra uterum ſit poſitus infans, ut per fiſtulam, nec alio artificio ad ipſum poſſit aqua partingere; nondum tamen eſt homo natus, proinde nec capax, communi Patrum ſententia, ut per Baptiſmum ſpiritualiter regeneretur. Scribit enim Sanctus Auguſtinus epiſt. 183. ad Dardanum: *Non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in ſe cohabitantem Deum, niſi fuerint renati, qui non poſſunt antequam nati*. Et rurſum de peccatorum meritis & remiſſ. c. 27. *Sicut homo, qui non vixerit, mori non poteſt, & qui mortuus non fuerit, reſurgere non poteſt; ita neque qui natus non fuerit, renaſci non poteſt*. Neque dicas, infantem in utero revera jam natum ſecundum Adam, utpote cujus & peccatum contraxit. Siquidem hanc reſponſionem Sanctus Auguſtinus laud. epiſt. ad Dardanum, & ſibi fortius objicit, & ſtrenue refellit, ſcribens: „ Quod ſi quiſquam dicit, jam eſſe natum hominem, etiam cum adhuc eſt in utero „ matris, quia dictum eſt de prægnante Virgine „ Dei Matre, *quod in ea natum eſt, de Spiritu* „ *Sancto eſt*; numquid huic nativitati ſuccedit ſe„ cunda nativitas? Alioqui jam non erit ſecunda „ ſed tertia. Dominus autem, cum hic loquitur, „ *niſi quis renatus* inquit &c. eam ſcilicet compu„ tans primam nativitatem, quæ ſit matre pa„ riente, non concipiente, atque prægnante, quæ „ ſit ex ea, non in ea: neque enim renatum „ dicimus hominem, quem mater peperit, tan„ quam iterum natus ſit, qui vel ſemel natus, „ iterum natus fuerat in utero. Sed illa nativita„ te non computata, quæ gravidam facit, natus di„ citur homo partu, ut poſſit renaſci ex aqua, & „ ſpiritu. Si igitur homo regenerari per gratiam „ ſpiritus in utero poteſt, quoniam reſtat illi ad„ huc naſci, renaſcitur ergo, antequam naſcitur, „ quod fieri nullo modo poteſt ". Doctrinam S. Auguſtini amplexus eſt & S. Thom. in argum. ſed contra. Accedat & Ritualis Romani auctoritas, in eo enim generaliter indicitur: *Nemo in utero matris incluſus baptizari debet*.

IV. Reponunt tamen oppoſitæ ſententiæ Theologi. 1. Non eſſe omnino verum, infantem in utero matris ita impervium eſſe, ut aqua non poſſit perfundi. Nam, ut ſcribit Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 5. n. 3. „ Ex Medicorum, & Obſtetri„ cum teſtimonio ſatis conſtat, infantem puerpe„ rii initio ſecundinarum involucris jam ſpoliatum „ poſſe intra matris uterum tangi, & tractari ".

2. Secundinarum involucrum non ea ratione habendum, qua veſtes corpus tegentes; hæ enim nihil ad corpus pertinent, proinde ablui poſſunt non abluto corpore: at non ita de ſecundinis cenſendum, quæ haberi poſſunt, ut partes infantilis corporis, quibus ablutis, & corpus involutum cenſeri poſſit ablutum. Quoad nativitatem vero, eam ſatis haberi dicunt, dum infans ita ex abditioribus materni alvi penetralibus ad uteri oſtium deſcendit, ut ab Obſtetricum manibus queat pertractari; & ſatis natus dicitur ad remedium, qui jam ſufficienter eſt natus ad vulnus, & ægritudinem. Verum hæc argumenta ſua efficacitate certe prioris doctrinæ documenta non ſuperant, & præcipue D. Auguſtini & auctoritatem, & ratiocinationis pondus non æquant. Hoc tamen certe præſtant, ut evidens non ſit noſtra doctrina, & trepidationi, ac dubio ſubjaceat. Hinc non immerito practice adprobandam cenſuit Bened. XIV. Tournelii ſententiam in Prælect. de Sacram. Baptiſmi quæſt. 3. art. 3. nimirum ſub conditione hujuſmodi infantes eſſe baptizandos; ut ſaltem dubio remedio eorum æternæ conſulatur ſaluti, nec, nullo adhibito, certo perire ſinantur. Sic itaque ſuggerit l. l. n. 6. „ Ad Parochos pertinebit Obſte„ trices inſtruere, ut, cum caſus evenerit, in quo „ infantem nulla ſui parte editum mox deceſſu„ rum prudenter timeant, illum baptizent ſub „ conditione, ſub qua pariter erit baptizandus, ſi „ periculum evadat, & foras prodeat “.

V. Si vero non integre ex utero prodierit, ſed ex parte emerſerit, num ſit Baptiſmus denegandus, ex iis, quæ diximus cap. 4. & 5. de ablutione colligendum eſt, & hic leviter attingimus: nimirum, ſi caput emergat, baptizandus abſolute, nec repetendum baptiſma: ſi vero pars alia a capite, licet notabilis, ita baptizandus, ut tamen integre ex utero emerſus iterum ſub conditione juxta & Ritualis Romani præſtitutum, & Benedicti XIV. doctrinam baptizetur,

VI. Monſtroſi fœtus, quibus humanam animam ineſſe prudenter præſumi non poteſt, ſunt Baptiſmi incapaces habendi: ſi tamen dubia occurrunt de eorum vel humana, vel ferina natura argumenta, & ſigna, ſub conditione baptizentur. Prima pars hujus doctrinæ ex eo conſtat manifeſte, quia pro ſolis hominibus eſt baptiſma inſtitutum, quibus ſolis prodeſſe poteſt: aliis itaque creaturis nec prodeſſe, nec ſine ſacramenti profanatione poteſt exhiberi. Quamobrem monſtrum, quod nullatenus humanam præferat ſpeciem, non eſſe baptizandum ſtatuit Rituale Romanum, aut ſaltem nihil agendum inconſulto Epiſcopo, vel, ſi opus ſit, & Romano Pontifice, etiam benigniores Theologi monent. Altera vero pars ex eo evincitur, quia periculum eſt, ne, dum ſcrupuloſius cavetur, ne alteri, quam homini, Baptiſmus conferatur, ei tamen, qui vere homo ſit, fraudari cum æternæ ſalutis irreparabili diſpendio contingat: melius eſt enim, quod detur incapaci, quam quod denegetur indigenti. Sunt itaque ex primo capite Centauri, Hippocentauri, Onocentauri, Satyri, Tritones, & Sirenæ in inferiori parte Tauri, Equi, Aſini, Capri, aut piſcis figura deformati: ſi alibi hæc monſtra, quam in Poetarum, aut Fabulatorum cerebro, extare convincuntur, quamvis ex muliere dæmoni ſuccuba prodierint, niſi patentia rationalis animæ præbeant indicia, ſunt a baptiſmate repellendi. Similiter concepti ex nefando viri cum beſtia congreſſu, vel mulieris cum bruto (ſi tamen natura tale fœcunditatis genus admittat) homines præſumi non debent, utpote integra humanæ generationis cauſa eis deficiente; & præcipue brutali, non virili ſemine progeniti, qui neque ſuam ad Adamum originem referre poſſunt. Si tamen fœmina, quæ ſe cum bruto commiſcuit, monſtrum pariat, non dubia referens humana lineamenta, videndum eſt, ne forte illud ex præhabito cum viris commercio poſſit exiſtimari. Acephali autem, aut ferino capite inſtructi inter dubia Baptiſmi ſubjecta recenſenda. At non ita dicendum de Hermaphroditis, caudatis, monoculis, vel lingua, vel brachiis, vel pedibus carentibus, cum hi accidentales ſint humani corporis defectus, naturam non mutantes. In illis vero, qui bicipites, vel biventres, vel manibus, & cruribus ultra conſuetum numerum redundantes naſcuntur, attendenda eſt in hac membrorum multiplicatione Sancti Caroli inſtructio, & videndum, ne plures pro una, vel una pro pluribus perſona baptizetur. Quamobrem, ſi in monſtro oblato duo capita, duo pectora, & duo ferme corpora diſtinguantur, licet in inferiori parte non niſi duo crura, binique pedes appareant, duæ conſiderari debent perſonæ ſingillatim baptizandæ, vel ſimul in pluralem numerum formam flectendo. Si vero unum tantum caput, unumque pectus appareat, licet alia membra geminentur, vel multiplicentur, tanquam una perſona baptizari debet. Quod ſi capitum diſtinctio non ſatis deprehendatur, abſolute applicandum Baptiſma, ubi diſtinctius caput emerſerit, ſub conditione vero ei parti, cui alterum caput ſubeſſe dubitatur.

VII. Catholicum eſt dogma, infantes etiam recentes natos valide, & fructuoſe baptizari. Adverſantur huic veritati ſolum Hæretici, & antiquiores, ut Waldenſes, Apoſtolici, Paterini, Petrobuſiani ſeculi XII., & recentiores Anabaptiſtæ, & Suciniani, qui mentiuntur, nihil prodeſſe Baptiſma aquæ parvulis nondum uſum rationis adeptis, ideoque vel ad adultam ætatem differendum, vel repetendum, ſi antea datum fuerit. At perpetuæ adverſantur Traditioni Eccleſiæ, quæ ſemper infantibus tribuendum eſſe Baptiſma & ſenſit, & docuit, & dare conſuevit. S. Cyprianus in Concilio ab eo habito anno 255., ut ex ſua Synodica epiſtola, quæ eſt 59. ad Fidum Presbyterum, illum refellit, quia dicebat non oportere, ſed expectandum octavum diem, ſcribens: *In hoc, quod tu putabas eſſe faciendum, nemo conſenſit, ſed univerſi potius judicavimus, nulli hominum nato miſericordiam Dei, & gratiam denegandam*. S. Auguſtinus lib. 1. de peccat. meritis, & remiſſ. cap. 26. ait: *Parvulos baptizandos eſſe concedunt* (Pelagiani) *quod contra auctoritatem univerſæ Eccleſiæ, proculdubio per Dominum, & Apoſtolos traditum venire non poſſunt*. Et merito, nam & Origenes dicebat in cap. 6. Epiſt. ad Rom. *Eccleſia traditionem ab Apoſtolis ſuſcepit, etiam parvulis dare Baptiſmum*. Sed de his operoſius tractare ad Polemicos ſpectat Theologos. Satis itaque erit hic Canones Tridentini Concilii afferre, ſic ſeſſ. 7. de Baptiſmo definientis can. 12. *Si quis dixerit,*

nemi-

neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo; anathema ſit. Et 13. *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles computandos non eſſe, ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos, aut præſtare omitti eorum Baptiſma .... anathema ſit.*

VIII. Infidelium infantes valide, etiam invitis parentibus, baptizantur; at non ſemper licite. Et quidem illos valide baptizari nullus eſt, qui ambigat, uno excepto Durando, cum nihil ſit, quod valori Baptiſmi illis collati obſiſtat: ſunt enim infantes Baptiſmi capaces, eiſque poſſunt ea applicari, etiam reluctantibus parentibus, quæ ad Baptiſmi veritatem, & valorem ſunt neceſſaria, & a Chriſto Domino præſtituta, inter quæ profecto nec intentio, nec voluntas, nec parentum conſenſus adnumerantur. At non ita univerſim ſecunda pars admittitur: adverſantur enim Scotus, ejuſque ſchola, & Jo. Launojus, qui ampliſſimam hac de re Diſſertationem adornavit. Sed noſtræ doctrinæ favet D. Thom., cui plerique ſe adjungunt Theologi. Id autem probat D. A. 1. Quia eſt contra morem, & praxim Eccleſiæ, quæ filios Judæorum, vel aliorum Infidelium, etiam Chriſtianis Principibus ſubjectorum, non ſubtrahit illorum parentibus, ut eos baptizet. *Non habet hoc Eccleſiæ conſuetudo* (verba ſunt S. Thom. hic q. 88. art. 10.) *quod filii infidelium invitis parentibus baptizentur.* 2. Naturali quoque, & divino juri adverſatur hujuſmodi Baptiſma. Nam vel infantes baptizati invitis parentibus ſub eorum cura, & poteſtate relinquuntur; vel ab ea ſejunguntur. Si primum, Baptiſmus manifeſto exponitur profanationis periculo, quippe quia ad apoſtaſiam certiſſime pertraherentur perfidia parentum, qui eos educarent, & inſtruerent in ſua ſecta. *Eſſet periculum*, ſcribit S. Thom., *taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes.* Si ſecundum, graviſſima inferretur injuria parentibus, qui jure naturali poteſtate potiuntur retinendi apud ſe, & educandi filios nondum rationis compotes, nec propriam voluntatem habentes. *Infantes nondum uſum liberi arbitrii habentes* (ſubdit Sanctus Doctor) *ſecundum jus naturale ſunt, ſub cura parentum, quandiu ipſi ſibi providere non poſſunt. Unde etiam de pueris antiquorum* (Hebræorum) *dicitur, quod ſalvabantur in fide parentum.* Hanc eamdem doctrinam tradit S. Th. & fuſius eam probat 2. 2. q. 10. art. 12. omnino legendus. Et revera, quo titulo prædicto jure, & facultate expoliari licite poſſunt? An quia generali Chriſti conceſſioni baptizandi omnes gentes, ſuæ Eccleſiæ factæ reſiſtunt? At conceſſio eſt de baptizandis volentibus, aut per ſe, aut parentum, a quibus naturaliter pendent, conſenſu. An quia illi patria abutuntur poteſtate, & in perniciem filiorum, quos Baptiſmi bono privant? Concedo eos abuti. Sed unde accepit Eccleſia in hominibus ſibi nullo modo ſubjectis corrigendi hujuſmodi abuſum poteſtatem, & cum violatione jurium, quæ natura conceſſit; & maxime cum abuſus iſte ſit ſolum circa ſupernaturalia, non circa ea, quæ naturalis juſtitia præſcribit? Nec dicant, parentes, de quibus agimus, temporali chriſtianorum Principum dominationi ſubjici, qui proinde Eccleſiæ, cujus ſunt filii, ſuam in proprios ſubditos concedere præſumuntur poteſtatem. Nam & ipſi Principes patria poteſtate, & privatis bonis ob cauſam Religionis eos expoliare non poſſunt, quibus civiliter tantum imperant: ipſis enim ſubſunt dumtaxat in iis, quæ ſpectant ad juſtitiam, & honeſtatem naturalem, atque temporalem Reipublicæ commodum; non quantum ad Baptiſmum, & fidei ſuſceptionem, quæ ſupernaturalis eſt ordinis. Nec in oppoſitum valent, quæ Launojus agglomerat ex hiſtoriis exempla aliquorum Principum Chilperici, & Dagoberti Francorum, Siſebuti Hiſpaniarum Regum, qui Judæos in provinciis ſuarum ditionum infantes ſuos ad Baptiſmum dare compelli juſſerunt. Nam 1. diligentius coactionis ad breve tempus adhibitæ modus diſcutiendus eſſet ex circumſtantiis. Deinde negamus unquam Eccleſiæ placuiſſe, aut unquam ab ea commendatum hunc morem; immo diſplicuiſſe aperte colligimus ex Concil. Tolet. can. 47. ex S. Gregor. M. epiſt. ad Paſcaſium Neapolitanum, Vigilium Arelatenſem, & Theodorum Maſſilienſes Epiſcopos, & ex Nicolai I. ad Bulgarorum conſulta reſponſo cap. 41. &c. Tandem inferimus, quod ſicuti adulti homines ad Eccleſiam nullatenus pertinentes, neque a Baptizatis progeniti, ad ſuſcipiendum Baptiſma injuſte adigerentur, ſic injuſte, adeoque illicite ad ſubjiciendos Baptiſmo proprios infantes compellerentur. Quamobrem optime docuit Bened. XIV. eos lethaliter peccare, qui invitis parentibus infidelibus eorum infantes baptizant. In epiſt. ad Viceſgerentem data anno 1747. extat in Bullar. Tom. 2. n. 38.

IX. Hæc univerſalis, licet veriſſima doctrina, nonnullas tamen admittit exceptiones. Et primo quidem invitis parentibus baptizari poſſunt pueri jam rationis uſum adepti, quamvis adhuc impuberes, ſi recipere petant: immo licet illos movere, hortari, inducere, ut etiam invitis parentibus Baptiſmum petant, & ſuſcipiant; cum uſum rationis adepti, jam in iis, quæ ſunt juris divini, & naturalis, ſint ſui juris effecti, nec amplius a parentum voluntate pendeant, & arbitrio. Filii parentum infidelium, qui Baptiſma etiam in ſchiſmate, vel hæreſi ſuſceperunt, vel etiam illorum alteruter baptizatus eſt, invitis illis baptizari poſſunt: nam tunc cum parentes jam per ſuſceptum Baptiſma Eccleſiæ Catholicæ obnoxii evaſerint, & ſubjecti, ſicut poteſt ipſos Apoſtatas parentes, & in Judaiſmum, Maumetaniſmum, vel Paganiſmum delapſos jure ſuo revocare, & ad ſuarum legum obſervantiam compellere, ideoque & ad deferendos ad Baptiſmum filios obſtringere, ita poteſt hos eis renitentibus ad hunc effectum ab eis ſubtrahere, baptizare, & doctrina fidei adultos inſtruere, quamvis illam hoc ſuo jure uti minime expediat, ſi fieri nequeat ſine Reipublicæ perturbatione, & Chriſtianæ Religionis odio, contemptu, & damno apud Principes infideles, quorum dominationi, & patrocinio ſubjacent puerorum parentes.

X. Baptizari etiam licite poſſunt infantes parentum infidelium ipſis reluctantibus, ſi ſint in mortis articulo conſtituti, & mox morituri. Certa eſt hæc doctrina. Quia baptiſmo infanti certo

mox morituro contra parentum voluntatem collato, nec ſacramentum periculo profanationis exponitur, neque patriæ poteſtati ulla irrogatur injuria, cum ab ea mors jam jam imminens quamprimum ſit ſolutura, & licet nondum omnino ſolverit, tamen in illo extremæ neceſſitatis caſu aliis quoque a parentibus pueri curam communis facit caritas. Binæ etiam extant Deciſiones Congregationis S. Officii a Sapientiſſimo Pontifice Bened. XIV. laudatæ. Altera eſt an. 1678. „ Cum filius „ Hebræorum conſignatus fuiſſet matri chriſtianæ „ in deficientia nutricum hebræarum, dum eſſet „ proximus morti, fuit baptizatus “. Et ſacra Congregatio declaravit, prædictum puerum licite fuiſſe baptizatum. Idem confirmat & altera, quæ eſt an. 1705. Illud tamen notandum, id non licere, ipſis Parentibus videntibus, & obſiſtentibus, propter ſcandalum, & blaſphemias; ſed quando occulte, & ſecreto, ipſis vel incurioſis, vel ignorantibus, fieri poſſit, ut optime monet & Suarez Tom. 3. in 3. Par. D. Thom. diſp. 25. ſect. 3. Quod pariter eſt extendendum ad infantes, ſeu etiam adultos filios infidelium, ſi perpetua laboraverint amentia, quæ lucida excluſerit intervalla; modo tamen, ut diximus, ſine ſcandalo, tumultu, & violentia fieri poſſit: quia nullum inde profanationis Sacramenti periculum imminet; & ſic baptizatos a parentibus abſtrahi neceſſe non eſt.

XI. De amentibus itaque optime docent cum S. Thom. Theologi 1. ſi ſint perpetuo amentes, nec ullo unquam fruuntur lucido intervallo, velut infantes habendi ſunt, & in Eccleſiæ fide baptizandi, etſi mortis periculum non immineat. Ita docet S. Th. hic q. 68. art. 12. ſcribens: „ Amentes quidam ſunt a nativitate tales, nulla „ habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus uſus rationis apparet. Et de talibus, quantum ad Baptiſmi ſuſceptionem, videtur idem „ eſſe judicium, quod de pueris, qui baptizantur „ in fide Eccleſiæ “. Si vero amentes aliquando uſum rationis habuerunt, & nulla ſpes eſt ad mentem impoſterum redituros, ſi antequam in eum ſtatum inciderint, baptiſmum petiiſſe noſcantur, valide, & licite in amentia, etiam non expectato mortis articulo, baptizantur: ſi vero non petierint, quamvis neceſſitatem ejus non agnoverint, nec licite, nec valide baptizantur. Ratio eſt, quia in prioribus illis adeſt, in poſterioribus vero deeſt conſenſus pro hujuſmodi adultis, ut mox oſtendemus, plane neceſſarius ad validitatem Baptiſmi, & pro illis major opportunitas ad decentiorem adminiſtrationem nequaquam ſperatur. Audiatur D. Th. l. l. ſubdens: „ Amentes, qui ex ſana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt, tales ſunt judicandi ſecundum voluntatem, quam habuerunt, dum ſanæ mentis exiſterent. Et ideo, ſi in eis tunc apparuit voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, debet eis exhiberi „ in furia & amentia conſtitutis, etiamſi tunc actu „ contradicant: alioquin ſi nulla voluntas ſuſcipiendi Baptiſmnm in eis apparuit, non ſunt baptizandi “. Denique ſi amentes lucidis identidem intervallis fruentes, in ipſis ſe Baptiſmum deſiderare indicaverint, valide etiam in amentia baptizantur, immo & licite, ſi mortis urgeat periculum; alioquin reverentia Sacramenti, & decentior ejus adminiſtratio lucida intervalla jubet eſſe expectanda. „ Amentes (proſequitur S. D.) qui etſi „ a nativitate fuerint furioſi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus „ recta ratione uti poſſunt, ſi tunc baptizari voluerint, baptizari poſſunt, etiam in amentia conſtituti; & debet eis tunc Sacramentum conferri, „ ſi periculum timeatur, alioquin melius eſt, ut „ tempus expectetur, in quo ſint ſanæ mentis, ut „ devotius ſuſcipiant Sacramentum “. Hinc inferendum, qui in ſanæ rationis intervallis ſe a Baptiſmo abhorrere ſignificaverint, aut unquam ad illum expetendum ſe induci ſinuerunt, vel nunquam poſtulaſſe conſtat, nullo tempore ſunt baptizandi. „ Si vero tempore lucidi intervalli (proſequitur S. D.) non appareat in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, baptizari non debent in „ amentia “. Quod de amentibus diximus eſt & Energumenis aptandum. De dormientibus vero, & lethargico ſopore alligatis eadem eſt habenda ratio. Nam ſi antea petiere Baptiſma, valide baptizantur; &, ſi mortis immineat periculum, etiam licite: ſi vero ſpes ſit, ut evigilent, & ad ſenſum mentis revertantur, differendus Baptiſmus; alioquin illicite baptizantur. „ Qui autem lethargico ſopore (concludit S. T.) ſunt correpti, „ non ſunt baptizandi, niſi periculum mortis immineat; ſi tamen in eis voluntas apparuit ſuſcipiendi Baptiſmum “.

CAPUT DECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Adultus invitus, & nolens nec valide, nec licite baptizatur.*

II. *Validus eſt Baptiſmus ſuſceptus etiam ex gravi metu,*

III. *Ad fructuoſam Baptiſmi ſuſceptionem in adultis ſunt neceſſariæ Fides, Spes, Caritas, & Pœnitentia, ſine quibus tamen valide ſuſcipitur.*

IV. *Nulli in morte petenti Baptiſmum unquam Eccleſia denegavit: ſanis petentibus aliquandiu diſtulit.*

V. *Quando abortivi fœtus ſint baptizandi.*

VI. *Num liceat ex ventre matris fœtum morientem extrahere, ut baptizetur.*

VII. *Quando liceat infantes infidelium, iis etiam invitis, baptizare.*

VIII. *Num ſemper, quando ad Baptiſmum ab infideli parente offeruntur.*

IX. *Quando dandus pueris parentum infidelium filiis petentibus.*

X. *Mortui non ſunt Baptiſmi capaces, nec per ſe, nec per alium.*

Conſectarium Primum.

I. ADultus invitus, & nolens nec valide, nec licite baptizari poteſt. Hujus doctrinæ veritatem oſtendimus etiam in 1. Par. differt. 1. cap. 10. n. 11. & 12. ubi probavimus, in Sacramentorum ſuſceptore adulto conſenſum requiri, & intentionem Sacramenta ſuſcipiendi. Hic autem ſingillatim de Baptiſmo confirmamus. Nam Eccleſia in hujus Sacramenti adminiſtratione poſtulat a Baptizando, *Vis baptizari?* Et reſpondere jubet, *Vo-*

Volo. Quod in pueris ſufficit, ut a ſuſceptoribus dicatur. At, ut inquit S. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24. *Si pro eo, qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet*. Et Innoc. III. Cap. *Majores* Extra, de Baptiſmo, & ejus effectu, aperte teſtatur. *Id eſt Religioni chriſtianæ contrarium, ut ſemper invitus, & penitus contradicens, ad recipiendam, & conſervandam chriſtianitatem quis compellatur*. Et revera Chriſtus Dominus juſſit Apoſtolis, ut docerent gentes, & doctas aqua intingerent: quamobrem doctrina, & inſtructione, non violentia uterentur. Idem docet & S. Th. hic q. 68. artic. 7. „ Per Baptiſmum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quandam vitæ novitatem ..... „ Et ideo, ſicut ad hoc, ut homo moriatur veteri vitæ, requiritur, ſecundum S. Auguſtinum, „ in habente uſum liberi arbitrii voluntas, qua „ eum veteris vitæ pœniteat; ita requiritur voluntas, qua intendat vitæ novitatem, cujus principium eſt ipſa ſuſceptio Sacramenti. Et ideo ex „ parte baptizati requiritur voluntas, ſive intentio ſuſcipiendi Sacramentum, quæ ſi defuerit adultæ ætatis, homini, rebaptizandus eſt “.

Conſectarium Secundum.

II. Licet alienum ſemper fuerit ab Eccleſiæ ingenio, & diſciplina Infideles minis, terroribus, & pœnis ad Baptiſmum compellere; validum tamen agnovit Baptiſmum ipſis collatum, & ab illis ex timore ſuſceptum. Et quidem a vi inferenda Eccleſiam abhorruiſſe, teſtantur Concilia, & Patres. Ajebat ſiquidem Tertull. *Non eſt Religionis cogere Religionem*. Et S. Gregor. M. epiſt. 5. lib. 2. „ Paſtores facti ſumus, non percuſſores. „ Et egregius Prædicator dicit, *Argue, obſecra*, „ *increpa in omni patientia, & doctrina*. Nova „ vero, atque inaudita eſt iſta prædicatio, quæ „ verberibus exigit fidem “. Quamobrem cum in Hiſpaniis adhibitas fuiſſet ab aliquibus Viſigothorum Regibus hic cogendi ad fidem modus, Patres Concilii Toletani IV. Præſide S. Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo ſic ſtatuere “. De Judæis hac præcipit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri, *cui enim vult Deus miſeretur*, „ *& quem vult indurat*. Non enim tales inviti „ ſalvandi ſunt, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ; ſicut enim homo proprii arbitrii „ voluntate ſerpenti obediens periit; ſic vocante „ gratia Dei propriæ mentis converſione homo „ quiſque credendo ſalvatur. Ergo non vi, ſed liberi arbitrii facultate, ut convertantur, ſuadendi ſunt, non potius impellendi “. Validum tamen eſſe Baptiſma ſuſceptum ab eo, qui timore pœnarum exilii, carceris, ſalutaribus aquis ablui eligit, patet: nam timor voluntarium non tollit, licet minuat, ut docent cum S. Th. omnes Theologi; proinde voluntarie Baptiſmo ſubjiciuntur, & ex animo, licet metu perterrito. Ita docet & S. Th. in IV. Diſt. 6. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 3. „ Si autem „ ſit coactio inducens, ſicut minis, vel flagellis, „ ita ut baptizatus potius eligat Baptiſmum ſuſcipere, quam talia pati, tunc ſuſcipit Sacramentum, non rem Sacramenti “. Hinc Innoc. III. in laud. cap. *Majores* ſic ſcribit: „ Inter invitum „ & invitum, coactum & coactum, alii non abſurde diſtinguunt. Quod is, qui terroribus, atque ſuppliciis violenter attrahitur, &, ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, talis characterem ſuſcipit Chriſtianitatis „ impreſſum: at ipſe, tanquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad „ obſervantiam fidei chriſtianæ “. Quod ſi timore compulſus ficte ad Baptiſmum accedat, animo prorſus averſo, & diſſentiente, proculdubio Sacramentum nullo modo ſuſcipit, ut diximus Par. I. de Sacram. in genere diſſ. 1. cap. 10. n. 2. & cap. 11. Confect. 1.

Conſectarium Tertium.

III. In adultis ad valorem Baptiſmi non eſt fides neceſſaria, quæ tamen requiritur ſimul cum Pœnitentia, ut fructuoſe, & utiliter ſuſcipiatur. Fidem non eſſe ad valorem Baptiſmi neceſſariam oſtendimus loco mox citato: & patet manifeſte in Baptiſmo Hæreticorum, qui ſemper validus habitus eſt ab Eccleſia; licet vera fide carerent, qui ſuſcipiebant, & qui miniſtrabat. Ad fructuoſam vero, & utilem Baptiſmi ſuſceptionem 1. fidem requiri, & ſpem, ac Pœnitentiam in adulto baptizando, patet tum ex ſcripturis, tum ex perpetua Patrum traditione. Fidei neceſſitatem indicant illa verba Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Et Eunucho Candacis dicenti Act. 8. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Reſpondit Philippus Diaconus: *Si credis ex toto corde, licet*. At reponente Eunucho, *Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*, Baptiſmum illi contulit Diaconus. Apoſtolus quoque ad Hebr. cap. 11. ſtatuit: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum*. Pœnitentiam quoque, ſicut & ſpem requiri oſtenditur Act. 3. dicente Petro: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Et ad Rom. 6. Apoſtolus ſcribit: *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato? Abſit ... An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus*, & cætera, quæ proſequitur Apoſtolus, ut oſtendat, in Baptiſmo hominem mori peccato, & ad novitatem vitæ reſurgere. Ita docet S. Th. hic q. 68. a. 4. Totam hanc actionum ſeriem ad fructuoſe Baptiſma ſuſcipiendum exponit Trid. Syn. ſeſſ. 6. cap. 6. docens: „ Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & „ adjuti, *fidem* ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, *credentes* vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt ... & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, & divinæ juſtitiæ „ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in „ *ſpem* eriguntur, *fidentes*, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis „ juſtitiæ fontem *diligere* incipiunt: ac propterea „ moventur adverſus peccata per odium aliquod, „ & deteſtationem, hoc eſt, per eam *pœnitentiam*, „ quam ante Baptiſmum agi oportet: denique dum „ proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam, & ſervare divina mandata “. Ex quibus Concilii verbis apparet, non neceſſario requiri ad fructum Baptiſmi obtinendum eam ferventem contritionem, quæ intenſa caritate donata peccatorem ſtatim juſtificat, ſed eam ſufficere, quæ initiali a-

mori ſociata, ad deletionem peccatorum, & ſanctificantis gratiæ infuſionem proxime diſponat, ut fuſius dicemus de Sacramento Pœnitentiæ tractantes.

Conſectarium Quartum.

IV. Nunquam Eccleſia adultis hominibus, qui Baptiſmi ſincerum deſiderium aliquo modo oſtendiſſent, licet ſceleſtis & peccatoribus, in fine vitæ illum denegavit; ſed extra hanc neceſſitatem petentibus diuturna, & laborioſa in Catechumenatu experimenta, queis ſe Baptiſmo dignos oſtenderent, ex antiqua diſciplina poſtulabat. Primæ partis veritatem adſtruit S. Auguſtinus lib. 1. de Adulterinis conjugiis cap. 28. ad Polentium ſcribens: „ Non ſolum alios Catechumenos, verum etiam „ ipſos, qui viventium conjugiis copulati retinent „ adulterina conſortia, cum ſalvos corpore, in his „ permanentes non admittamus ad Baptiſmum, ta- „ men ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes jacue- „ rint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizan- „ dos puto, ut etiam hoc peccatum cum ceteris „ lavacro regenerationis abluatur". Idem docet Siricius Papa epiſt. 1. ad Imerium Tarraconenſem, S. Cypr. epiſt. 12. & 15., S. Baſilius in exhortat. ad Baptiſmum, & S. Jo. Chryſoſt. in Catecheſi ad illuminandos. Catechumenorum vero Baptiſma petentium in vita, exercitia & munia referuntur ab iis, qui de Eccleſiæ antiquis ritibus ſcripſere, inter quos præcipue eruditiſſimus Martene. Porro hæc erat erga illos antiqua diſciplina Eccleſiæ. In varias claſſes diſtribuebantur; 1. enim inter *Audientes* detinebantur, ad conciones, & inſtructionem intra Eccleſiam admiſſi, Sacrificii tempore pellebantur. Inde tranſibant ad Catechumenos proprie dictos, qui & *Competentes* ab aliquibus appellabantur; hi nomen dabant, & diligentius exculti, & de myſteriis edocti, interim tum frequentibus precibus Deo commendabantur, tum publicis afflictionibus macerabantur, jejuniis, ciliciis, crebris geniculationibus, & pervigiliis, abſtinentia a vino, & uxoribus, immo & peccatorum confeſſione. Quæ tamen confeſſio, ut obſervat S. Th. hic q. 68. a. 6. non erat Sacramentalis, ſed pœnitentiæ actus, Deo, non Sacerdoti neceſſario facta; generalis, qua ſe Catechumeni peccatores profitebantur, & peccata deflebant, non particularis, per quam ſingillatim ſua exponerent ſcelera. Si vero intra hoc tyrocinium in crimen aliquod dilabebantur, ſtationem ſuam amittebant, & poſt magnas humiliationes probationem ſuam exordiri jubebantur. Ex hoc ordine, poſt plura, & plerumque ſeptem ſcrutinia, ſeu examina, facta coram tota Eccleſia, qui credebantur idonei, ad gradum *Electorum* aſſumebantur, quibus in proximo Paſchate, ſeu Pentecoſtes die, Baptiſmus deſtinebatur, interim plenius inſtruendis, & diſponendis. Meretrices, Hiſtriones, & quilibet alii publicæ turpitudinis profeſſores, ut ſcribit S. Auguſt. de Fide & Operib. cap. 18. niſi *ſolutis, aut diſruptis talibus vinculis ad Baptiſmum accedere non ſinebantur*. Qui plura cupit, laudatos Patres, & Scriptores adeat.

Conſectarium Quintum.

V. Abortivis fœtibus non eſt Baptiſmus ſaltem ſub conditione denegandus, ſi ipſos vivere vel conſtet, vel prudenter præſumi poſſit. De hac quæſtione acriter a pluribus Theologis ſcriptis in lucem editis certatum eſt. Primus quæſtionem fuſe diſcuſſit Hieronymus Florentinus Lib. de Hominibus dubiis, ſeu de Abortivis baptizandis: eamque illuſtravit poſtea P. Deodatus a Cuneo, tum in notis ad Librum Florentini, tum in ſpeciali libello italico, cui titulum fecit: *Notizie Fiſico-Storico-Morali conducenti alla ſalvezza de' Bambini Nonnati Abortivi, e Projetti*: & noviſſime Veronæ eruditus Petrus Paulus Scudellino, qui omnes pro Baptiſmo Abortivorum acriter decertarunt. At hujus poſtremi Diſſertationem oppugnavit quidam ſub nomine Ruralis Parochi, tum notis latinis diſſertationi ſubjectis, tum pluribus Epiſtolis italicis. Scripſit etiam hac de re Franciſcus Emmanuel Cangiamela in libro, cui titulus *Embrologia* ſacra, quem etiam in compendium redegit. At a me poſitam aſſertionem, quoad praxim, puto admodum probabilem, & tutam. Nam, ſi abortivi fœtus vitam habeant, & omnibus membris ſint inſtructi, etſi exiliſſimæ molis, licet paucorum a conceptione dierum eſſe putentur, ſunt abſolute baptizandi; cum ex tanta membrorum diſtinctione, & formatione, & ex motu certo moraliter conſtat ipſos & vivere, & anima eſſe rationali præditos. Si vero moveantur quidem, unde vitam oſtendant, ſed rudia adhuc ſint, nec plene evoluta membra, ſunt ſaltem ſub conditione baptizandi; quippe quia præſumendum eſt hominem viventem vita ſibi propria vivere, ideſt anima rationali informari: nam quamvis ignoretur omnino, quando anima corpori jungatur, & quidem in carne fœtus requiratur partium diſpoſitio, ut fiat corpus ad animam ſuſcipiendam idoneum; quando tamen corpus, & fœtus movetur, prudentem ingerit ſuſpicionem de ejus animatione. Eſt igitur ſub conditione baptizandus, ne certo pereat anima, ſi forte corpori jam fuerit conjuncta: & hoc, licet fortaſſis omnia corporis membra, ut diximus, non ſint evoluta, & perfecte delineata. Hoc colligitur ex ipſo Rituali Romano jubente, quo dicitur: *Si mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimum caute extrahatur, & , ſi vivus eſt, baptizetur*. Ubi apparet Pontificem non aliam requirere in hoc fœtu conditionem ad dandum Baptiſmum præter vitam, non perfectam membrorum formationem, & totius corpuſculi ſtructuram. Nec obſtat, ſi ſit ſecundinis involutus, quas abrumpere pernicioſum putatur vitæ infantis. Nam adhuc eſt ſub conditione baptizandus, cum, ut inquit Bened. XIV. incertum ſit, num pelliculæ illæ ſint homini adeo extraneæ, ut veſtes, quare illis ablutis non cenſeatur ablutus homo, ſed probabile ſit eſſe ipſius corporis in eo ſtatu conſtituti vere partes, ad quarum ablutionem & fœtus ablutus merito dici poſſit. Si tamen periculum ceſſaverit, & vivat puer, illis diſruptis, eſt iterum ſub conditione baptizandus. At difficilius videtur, ſi nullus in corpore motus appareat; nam tunc animatio magis dubia videtur. Attamen, ſi ex aliis conjecturis prudens ſuſpicio oriri poſſit de vita fœtus, non eſt denegandus Baptiſmus: ſcribit ſiquidem S. Auguſtinus in Enchir. de Fide, & Spe, & Caritate: de Abortivis *ignoro, quando incipiat homo in utero vivere, utrum ſit quædam vita occulta, quæ nondum motibus viventis appareat*. Quamobrem in re tam difficili, & obſcura,

pru-

prudentiſſima arbitror ſtatuta, & Decreta aliquorum Principum, & Epiſcoporum, jubentia 1. quando prægnantibus contingat abortus, non eſſe ſtatim projectiones abjiciendas, & excurſum cruorem, ſed diligenter inquirendum, num aliquis foetus exierit. 2. Hoc reperto inſpiciendum, utrum ſpes ſit ejus vitæ, &, ſi eum moveri conſtet, ſaltem ſub conditione baptizetur: ſi vero nullus appareat motus, at alia certa, & indubia appareant vitalitatis ſigna, ſub conditione quoque ſalutaribus aquis abluatur. Ita ſtatuit Carolus Hiſpaniarum Rex, dum Regni utriuſque Siciliæ fræna moderabatur, lege data anno 1748. 5. Idus Auguſti, & Archiepiſcopus Panormitanus epiſtola Paſtorali ad univerſum Clerum, & Populum 6. Idus Januarii anno 1750. quem jam præiverat Epiſcopus Agrigentinus, & ſubſecuti ſunt plures Italiæ Epiſcopi, ut refert laudatus Deodatus a Cuneo tract. 2. cap. 10. §. 3. n. 12. & in Notis ad Librum Florentini diſput. 1. ſect. 14. n. 18.

Conſectarium Sextum.

VI. Non licet ad baptizandum fœtum de æterna, & temporali vita periclitantem, matris jam deſperatæ ſanitatis, & jam jam morituræ ventrem præſecare. Oppoſitum cenſet Comitolus hac unica ductus ratione, quia æterna infantis ſalus præferenda videtur matris corporali vitæ, & quidem mox amittendæ. At noſtram doctrinam & ſua auctoritate, & ratione fulcit D. Thom. hic q. 68. a. 11. ubi P. Comitoli argumentum tertio loco ſibi objicit, ſcribens: „ Mors æterna pejor eſt, quam „ mors corporalis: ſed de duobus malis minus eſt „ eligendum: ſi ergo puer in utero matris exiſtens „ baptizari non poteſt, melius eſſet, quod mater „ aperiretur, & puer vi eductus baptizaretur, quam „ quod puer æternaliter damnaretur abſque Bapti- „ ſmo decedens “. At ſic reſpondet: „ *Non ſunt* „ *facienda mala, ut veniant bona*, ut dicitur Ro- „ man. 3. Et ideo non debet homo occidere ma- „ trem, ut baptizaret puerum. Si tamen mater „ mortua fuerit, vivente prole in utero, debet a- „ periri, ut puer baptizetur “. Et revera licitum quidem eſt pro alterius ſalute mortem appetere, & pati; at ſibi, vel alteri inferre ob ſalutem alterius ſpiritualem minime licet. Ita ſentit & Concina, qui tamen ſubdit, idem eſſe judicium ferendum de muliere ultimo judicio, Judicis ſententia, plectenda, ex cujus ſuppiicii dilatione infantis in utero clauſi mors impendeat. Et revera ipſi aſſentior, ſi ſermo ſit de morte inferenda ab aliquo privato, vel ab ipſa muliere ſibi ipſi; tunc enim eadem adeſſet iniquitas, nimirum homicidium privata auctoritate. At ſi mulier prægnans juſto judicio capite plectenda ſit, & ſententiæ differatur executio, ut jubent leges, uſque ad partum, atque interim infans & de vita corporali, & de ſpirituali periclitetur, & in æternum pereat; quæritur, num Judex poſſit ſententiæ, non expectato partus tempore, executionem imperare, ut poſt ejus mortem alvo diſſecto, ſin temporali, ſaltem ſpirituali infantis vitæ conſulatur. Et hoc pacto inſtituta quæſtione, non amplius ea apparet iniquitas, quæ in priori caſu videbatur, & merito expenditur a S. Th. Nam & mors juſte infligitur, & a publica poteſtate; & dilatio non in commodum, & utilitatem prægnantis fœminæ conſtituta per leges fuit, ſed in bonum prolis, ne innocens morti ſubjiciatur: cui proinde ſi ſit pernicioſa ea dilatio, eſt merito tollenda, ne in perniciem vergat, quod eſt in favorem, & utilitatem conceſſum. Nec urget ratio, quam ex Soto deſumptam affert Concina, ſcilicet ex diſſectione alvi materni facile necari infantem poſſe; cum hocce periculum infanti æque immineat ex ſectione alvi matris, ſive naturali, ſive violenta morte defunctæ: & tamen non ſolum permittitur, ſed & præcipitur a Rituali Romano. Et Bened. XIV. contempta Medicorum opinione, aſſerentium fœtum nec uno momento poſt mortem matris poſſe vitam producere, injungere, & inculcare non omiſit matris ſectionem, ut vitæ temporali, & æternæ infantis conſuleretur, quemadmodum ipſe ſcribit de Dioeceſ. Syn. lib. 11. cap. 7. n. 12. Præterquamquod ſupponimus infantem in diſcrimine vitæ certo moraliter conſtitutum, niſi interfecta matre ejus conſulatur æternæ, & temporali ſaluti per alvi materni diſciſſionem. Verum, cum hic caſus rarus ſit, & conſultationi relinquat locum, nihil agendum inconſultis Juriſperitis, & Epiſcopo.

Conſectarium Septimum.

VII. Infidelium infantes invitis parentibus licite baptizantur in hiſce caſibus. 1. Si Parentes infantis ſint Chriſtianorum mancipia. Adverſatur Capreolus: at immerito: Quandoquieem tunc Domini pro ſuo arbitrio ſeparare poſſunt filium ſervum a patre ſervo ſine ulla injuſtitia, & vi poteſtatis, ac dominii, quod ipſis competit in utrumque, pro libito vendere, donare, alio transferre. Jam vero illis ſic ſeparatis, domini, qui infantes alunt, loco parentis ſuccedunt in eorum gubernatione, & educatione. Poterunt ergo pro iſtorum voluntate licite baptizari: immo ad ſic utendum jure ſuo in parvulorum ſpirituale beneficium dominum ex caritate teneri non ambigo. Sic Mathathias 1. Machab. 2. omnes parvulos incircumciſos captos in bello circumcidi curavit, inter quos procul dubio plures erant ex infidelibus orti. Locum habet hæc doctrina, etiamſi infantes ſint ante parentis ſervitutem nati, & aliunde ſervi non ſint; quia jus omne, quod in illos competebat parentibus, in parentum dominos tranſiit. Hinc infantes capti in bello adverſus Turcas, & repertos vel in eorum Arcibus, vel Triremibus a victoribus licite baptizantur. 2. Si expoſiti ſint, & a parentibus derelicti; tunc enim cenſentur a patria poteſtate ſubducti; nulli proinde ſit injuria: & cum tranſeant in poteſtatem illius, qui eorum curam, & educationem ſuſcipit, pro hujus nutu, & voluntate licite baptizari poſſunt. Immo addit Bened. XIV. hunc poſſe expoſitum infantem baptizari, etiam Synagoga, & parentibus infidelibus reclamantibus, cum per ejectionem, & expoſitionem patriam amiſerit poteſtatem; ut videre eſt in Epiſtola ad Viceſgerentem quæ incipit *Poſtremo menſe* Bull. Tom. 2. n. 28. Hinc Eccleſia infidelium infantes ſive jure, ſive injuria a parentibus abſtractos, & in longinquas regiones delatos, adeo ut nulla ſit ſpes, ut vel a parentibus repetantur, vel ad eos reverti poſſint, pro derelictis habens, baptizare conſuevit.

Con-

Conſectarium Octavum.

VIII. Infantes infidelium licite baptizantur, ſi Parentes ipſis Baptiſmum dari poſtulent. Duplici de cauſa moveri poſſunt infidelium parentes ad petendum Baptiſma ſuis infantibus, nimirum vel ut ſint Chriſtiani, vel ut a malignis ſpiritibus, aut a morbo aliquo liberentur. In utroque caſu egregie docet Bened. XIV. quid agendum ſit. Et primo quidem ſi, ut ſint Chriſtiani, infantibus ſuis petat Baptiſmum parens, procul dubio licite baptizantur, etiam reclamante matre infideli, vel aliis conſanguineis; cum penes patrem ſit plena poteſtas ſaltem in favorem Religionis, ut declaravit Gregor. IX. in ſua Decretali, & habetur in cap. *Ex litteris de Conv. Infidel.* Immo addit, ſi pater infidelis filium offerat baptizandum, deinde facti pœnitens ipſum repetat, non eſſe illi reſtituendum: ſed, ſi infans ſit ante ſeptennium, baptizandus; ſi poſt ſeptennium, in loco tuto deponendus, donec ejus exploretur voluntas, & conſenſus habeatur, vel diſſenſus: non enim irriſioni eſt exponenda Eccleſia, & Chriſtiana Religio. Hinc in favorem Religionis infert Bened. XIV. matre ad fidem converſa, & filios ad Baptiſma offerente, poſſe illos licite baptizari, etiam reluctante patre; quia licet mater filios ſui juris non habeat; ubi tamen de communi fidei bono agitur, nulla eſt habenda ratio patriæ poteſtatis, quam leges, & jura Romana ſanxerunt: propterea mater fidelis, quamvis illi jus civile patriam poteſtatem non tribuat, jus habet ad Baptiſmum filium offerendi. Cui quidem ſententiæ favet prædicta Decretalis Gregor. IX. in qua licet loquatur de patria poteſtate patris, nempe Chriſtiani, filium aquis luſtralibus offerentis, matre Hebræa perperam diſcrepante, ſtatuit tamen ſententiæ ſuæ *in favorem fidei* fundamentum: favor autem fidei in utroque caſu valere plurimum, jure debet. 3. Patre defuncto, & matre infideli reluctante, baptizari poteſt infans; ſi avus paternus illum baptiſmo offerat. 4. Matres Chriſtianæ, quæ ex Turcarum contubernio filios accepere, ſi illos Baptiſmo offerant, baptizentur, ſi mortis periculum illis immineat, admonitis matribus, ut, ſi convaluerint, ipſos in Chriſtiana Religione educare ſedulo curent. At ſi bene valentes ſint, nec ullum ſit præſens mortis periculum, & a matribus unico ſalutis æternæ obtinendæ voto ad Baptiſmum offerantur, ſapientiſſime ſcribit: „ Quoniam impoſſibile eſt „ ſingulas rerum circumſtantias expendere, quæ „ ſuadere poſſunt, vel eos in evangelicæ legis, „ & fidei cultu perſeveraturos, vel chriſtiana e- „ ducatione ab hujuſmodi matribus fraudatos, „ Mahumetani, vel infidelis patris impietatem „ ſecuturos eſſe, perpenſis etiam infantilis ætatis „ periculis, ob quæ tertiam plerumque hominum „ partem ante completum decennium extingui fe- „ runt, nihil expreſſe jubendum cenſemus, Ec- „ cleſiæque Miniſtros dumtaxat hortamur, ut in- „ vocato cum gemitibus lumine Spiritus Sancti, „ juxta illius ductum, & prudentiæ ſuæ dictami- „ na ſe gerant. Quod ſi eos ad Baptiſmum ad- „ mitti poſſe crediderint, non omittant matri- „ bus inculcare diſtrictam obligationem, qua te- „ nentur hujuſmodi Eccleſiæ filiis, ſi ad rationis „ uſum pervenerint, notam facere veritatem Dei, „ eoſdemque in diſciplina, & correptione Domini „ educare". Ita in Conſtit. 89. Tom. 1. quæ incipit *Inter omnigenas*.

At, ſi a parentibus infidelibus infantes baptizandi offerantur, non ut chriſtiani ſint, ſed pro corporali ſalute, ut a dæmonio, comitiali morbo, fœtore &c. liberentur, docet Pontifex, hujuſmodi certe valide baptizari. Et diſerte docet Sanctus Auguſtinus epiſt. 98. ad Bonifacium ſcribens: „ Nec illud te moveat, quod quidam non ea fi- „ de ad Baptiſmum percipiendum parvulos ferunt, „ ſed quod eos putant hoc remedio temporalem „ retinere, vel recipere ſanitatem. Non enim „ propterea illi regenerantur, quia non ab iſtis „ hac intentione offeruntur. Celebrantur enim „ pro eis neceſſaria miniſteria, & verba Sacra- „ mentorum, ſine quibus conſecrari parvulus non „ poteſt". At ſubdit Pontifex, non ſemper licite, ſed ſolum 1. ſi mortis periculum illis immineat. 2. Si occaſio opportuna adſit eos a patria poteſtate eximendi, & in chriſtiana religione educandi. Illicite vero baptizarentur, ſi prudenter credi poſſet futurum, ut baptizatus educationi parentum relictus, a chriſtiana religione deſciſcat, & perverſam ſuperſtitionem parentum amplectatur. Sic enim deciſum refert a Congregatione S. Officii an. 1703. per hæc verba: „ Non licere (Ba- „ ptiſmum dare) ſi ſint filii infidelium, & in po- „ teſtate eorum relinquendi, ſecluſo tamen mor- „ tis imminentis periculo". Sic docet laud. Conſt. *Poſtremo menſe*. Cui addit, etiam non licere Sacerdotibus Baptiſmum ſimulare, ſi ab infidelibus metu mortis ad infantes ſuos baptizandos cogantur: tum quia deciſum fuit in Congregatione Sancti Officii an. *1626.* tum ex damnata propoſitione afferente: *Urgens metus gravis eſt juſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

Conſectarium Nonum.

IX. Pueris infidelium filiis Baptiſmum petentibus non eſt ſtatim concedendus. Nam, ut egregie animadvertit laudatus Pontifex in cit. Epiſt. ad Viceſgerentem, ſi puer petit ante ſeptennium, cum tunc dubius ſit uſus rationis, & adhuc ſit ſub patria poteſtate, non eſt ſtatim baptizandus, ſed retinendus & in loco tuto collocandus, donec ſuperveniente certo uſu rationis de ſe ipſo libere diſponat, & Baptiſmum vel petat, vel reſpuat. Si vero poſt ſeptennium petat, cum jam uſum rationis ſuperveniſſe præſumatur, poteſt licite baptizari; quamvis non certo conſtet, ſed dubitetur de uſu, & capacitate rationis. Puer vero, ſive juſte ſive injuſte baptizatus, ſi ſit ſub chriſtiano dominio, non eſt parentibus reſtituendus, ſed penes chriſtianos educandus in fide Catholica.

Conſectarium Decimum.

X. Mortui homines non ſunt Baptiſmi capaces, neque per ſe, neque interveniente viventium opera, qui vice illorum ſe baptizandos exhibeant. Prima hujus aſſertionis veritas ex eo liquet, quia nec anima ſeparata baptiſmo ſubjici poteſt, nec cor-

corpus inanime, ſive cadaver, qui nec homo eſt, nec pars actualis hominis; &, ſi quid etiam hominis reputatur, non talis eſt, qui Baptiſmo Chriſti perfici valeat & juvari. Adde mortuos eſſe extra ſtatum vitæ; ſanctificandis autem ſolum in ſtatu viæ exiſtentibus Sacramenta ex ſua inſtitutione deſerviunt, ut ſuperius in I. Par. de Sacram. in gen. oſtendimus. Hanc ob cauſam plurium Synodorum particularium decretis, quæ videri poſſunt apud Bened. XIV. in ſuo Opere de Synodo lib. 7. cap. 6. num. 10. & ſequent. a muliercularum quarumdam fraudibus, credulitate, ſuperſtitione cavendum eſſe præcipitur, quæ fœtus abortivos ad aras, & imagines miraculorum operatione celebres, præſertim in Germania, deferentes, & ſubinde indicia vitæ in iis apparuiſſe teſtificantes, ruboris in vultu, ſudoris flatus in naribus, aperitionis oculorum, motus rigentium ante membrorum, quæ ſæpe ignis admoti, aut cereorum, & lampadum accenſarum externo calore efficiuntur, indoctos, & ſimplices Sacerdotes ad eos ſaltem ſub conditione baptizandos inducunt, & ut jam Eccleſiæ membra in loco ſacro ſepeliuntur. Quam conſuetudinem reprobat laud. Pontifex, & pluribus Decretis jam a S. Sede reprobatam fuiſſe, & eliminandam oſtendit. Altera vero pars errorem refellit plurium ex antiquis hæreticis, qui putabant poſſe prodeſſe defunctis Baptiſmum pro ipſis ab alio vivente ſuſceptum, ut perhibent de Cataphrygibus S. Philaſtrius, de Marcionitis S. Jo. Chryſoſt. hom. 4. in cap. 18. 1. ad Corint. de Cerentianis S. Epiphanius hær. 28. Sic vero probatur. Quia Baptiſmus ſoli ſuſcipienti ex opere operato prodeſſe poteſt: illis vero, qui cum originali jam deceſſerunt, utpote ab Eccleſia penitus alienis, & jam damnatis, neque ex opere operantis ullum poteſt ſuffragium afferre. Huic errori anſam dedit obſcurus ſcripturæ textus ex 1. ad Corinth. cap. 15. ubi hæc ſcribit Apoſtolus: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? Ut quid & baptizentur pro illis?* Mirum, quantum hic locus torqueat Interpretes. Jo. Harduinus ſingularem pro ejus expoſitione adornavit Diſſertationem. Eſtius novem profert explicationes, quæ apud ipſum videri poſſunt. Illam ego proferam, quam exhibet D. Tho. in eum locum Apoſtoli lect. 3. ſic ſcribens: „ Quia quidam tunc temporis volebant, „ quod homines poſſent primo baptizari, ut ſibi „ ipſis remiſſionem peccatorum conſequerentur, „ & etiam baptizarentur pro aliquo conſanguineo „ defuncto, ut ei etiam poſt mortem dimitterentur peccata; & ſecundum hoc ſit littera, *Quid „ faciunt, qui baptizantur pro mortuis?* ſcilicet „ conſanſanguineis, pro quorum ſalute baptizantur, ſi non ſit reſurrectio mortuorum. Sed iſti „ in aliquo commendari poſſunt, ſcilicet in hoc, „ quod videbantur fidem Reſurrectionis habere; „ ſed in aliquo poſſunt reprehendi, quod nimirum „ credebant poſſe baptizari pro alio “.

CAPUT UNDECIMUM.

De Neceſſitate, Utilitate, & Supplementis Baptiſmi.

DOCTRINA.

I. *Neceſſarium eſt Baptiſma neceſſitate medii omnibus parvulis ad ſalutem.*
II. *Ejus defectum ſupplere non poteſt fides Parentum.*
III. *Adultis quoque neceſſarium neceſſitate tum medii, tum præcepti, ſaltem in voto.*
IV. *Præceptum de ſuſcipiendo Baptiſmo quando incipiat.*
V. *Unum eſt Baptiſma, quod iterari non poteſt.*
VI. *Non excludit tamen diviſionem Baptiſmi, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Primus, & ſecundus explicantur.*
VII. *Baptiſmus ſanguinis qualis ſit, ejuſque efficacia.*
VIII. *In utroque Baptiſmo fluminis, & ſanguinis neceſſarius Baptiſmus aquæ in voto, & quidem explicito.*

I. Baptiſmus neceſſarius eſt omnibus parvulis, etiam ex fidelibus parentibus ortis, neceſſitate medii ad originalis culpæ deletionem. Hanc Catholicam veritatem oppugnarunt plures antiquiores Hæretici, præſertim Pelagiani peccati originalis exiſtentiam negantes, & etiam Recentiores, inter quos præſertim enumerantur Jo. Wiclephus, Martinus Bucerus, Zuinglius, Calvinus, & ex ejus ſchola peſſima ſoboles Sociniani. At Catholica veritas noſtræ aſſertionis aperte innoteſcit in illa univerſaliſſima Chriſti Domini denuntiatione: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Quæ verba de Baptiſmo aquæ eſſe accipienda, contra Calvinum, aliter ac ſemper Catholica Eccleſia intellexerit, interpretari conantem, declaravit Tridentina Synodus ſeſſ. 7. can. 2. definiens: „ Si quis „ dixerit, aquam veram, & naturalem non eſſe „ de neceſſitate Baptiſmi; atque ideo illa verba „ Domini noſtri Jeſu Chriſti, *Niſi quis renatus „ fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, ad metaphoram aliquam detorſerit; anathema ſit “. Confirmatur etiam ex alio dogmate, de originalis peccati in omnes homines derivatione, eadem Baptiſmi neceſſitas. Nam pro pueris eo inquinatis, propterea ab Apoſtolo vocatis *filiis iræ*, ac propterea a Regno Dei excluſis, non aliud novimus eſſe in nova lege inſtitutum expiationis, & reconciliationis medium, quo, ſi ante rationis uſum decedant, poſſint ſalutem conſequi. Proinde hanc neceſſitatem agnovere & prædicarunt omnes Eccleſiæ Patres a primis uſque Eccleſiæ ſeculis. S. Juſt. M. in Apolog. 1. pro Chriſtianis. S. Irenæus lib. 2. adv. hæreſ. cap. 2. Tertull. lib. de Baptiſmo. S. Cyprianus epiſt. 73. ad Jubajanum, & 72. ad Stephanum Papam. Clemens Alexand. Catech. 3. S. Ambroſ. de Myſter. cap. 4. & lib. de Abrahamo cap. 10. Duo tantum recitabo luculentiſſima teſtimonia, in quibus non ſolum neceſſitatem Baptiſmi confitentur Patres, ſed & totius Eccle-

ſiæ

ſiæ in hoc dogmate conſenſionem exponunt. Primus S. Auguſtinus epiſt. *166.* ad S. Hieronymum ſic ſcribit : ,, Quiſquis dixerit, quod in Chriſto ,, vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramen- ,, ti ejus participatione de vita exeunt, hic pro- ,, fectò & contra Apoſtolicam prædicationem ve- ,, nit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi pro- ,, pterea in baptizandis parvulis feſtinatur, & cur- ,, ritur, quia ſine dubio creditur aliter in Chriſto ,, eos vivificari omnino non poſſe ". Alter eſt Auctor libri de vocatione Gentium, ſive ſit ille S. Proſper Aquitanus, ſive S. Leo M. qui agens cap. 20. ſecundi libri de multitudine infantium, qui Baptiſmum non conſequuntur, definit eos æterna vita privari; ,, neque enim fas eſt (ſcribit) ,, qui regenerationis non adepti ſunt Sacramen ,, tum, ad ullum beatorum pertinere conſortium ". Legatur & S. Fulgentius de Fide ad Petrum. Quamobrem hanc perpetuam Eccleſiæ doctrinam confirmarunt plurima Concilia, Dioſpolitanum, ut ex S. Auguſt. epiſt. *86.* ad Paulinum, Carthaginenſe II. contra Pelag., Braccarenſe III. & Generalia, & Œcumenica Lugdunenſe ſub Gregorio X., Florent., & denique Trident. ſeſſ. 7. can. 5. definiens *: Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem; anathema ſit.*

II. Baptiſmi defectum ſupplere non poteſt fides chriſtiana Parentum, pueris applicata per ſignum Crucis, vel invocatione Trinitatis, ſive alio pio opere. Adverſatur huic doctrinæ Cajetanus noſter, qui in Commentariis ad 2. art. q. *68.* 3. partis opinatus eſt, deficiente Baptiſmi copia, prodeſſe parvulis, præſertim in utero matris exiſtentibus, & pereuntibus, votum illius conceptum a parentibus, & applicatum periclitantibus, ſigno Crucis, & invocatione Trinitatis. Hæc ſententia, licet juſſu S. Pii V. ab Auctoris Commentariis expuncta in Editione Romana, aliquibus tamen recentioribus placuit; & noviſſime pro ea decertavit nuperus Scriptor, qui crambem recoctam iterum appoſuit; proinde nos centies repetitam adducimus confutationem, quæ hoc unico, ſed ſolidiſſimo nititur fundamento. Nimirum temere, & ſine ullo prorſus Scripturæ, vel Traditionis fundamento inducitur remedium, & quidem frequentiſſimi uſus originalis peccati ignotum Patribus, & Eccleſiæ, diverſumque ab eo cujus & ipſe Auctor agnoſcit neceſſitatem divinitus conſtitutam. At, inquit cum Cajetano, ceteriſque hujus doctrinæ propugnatoribus, niſi hoc admittatur remedium, innumeros infantes ſine ſalutis remedio perire neceſſe eſt; ac proinde neganda in Deo omnes homines ſalvandi vera voluntas, & meritorum Chriſti communis diffuſio, & fidei in N. T. ea vis detrahenda, quæ habebatur in veteri, ubi a parentibus pro expiandis parvulis utiliter adhibebatur. Verum reponimus, hæc argumenta & ab ipſo Scriptore eſſe ſolvenda, ſi pro tot parvulis infidelium pereuntibus objiciantur: quibus utique reſpondere debet, quod & nos reponimus ipſi, ſcilicet antecedentem Dei de ſalute omnium hominum voluntatem in eo elucere, quod ſufficientia pro nobis remedia generatim conſtituta fuerint, & præparata; licet ea ſingulis applicari eventus a naturali rerum curſu inducti, ſed juſtiſſimæ Dei permiſſioni ſervientes impediant; neque olim fidem parentum parvulis profuiſſe, niſi externo aliquo applicatam Sacramento, quod licet determinatum non eſſet, rarioris erat uſus ob ipſam fidei difficultatem.

III. Adultis etiam hominibus ratione utentibus Baptiſmus eſt ordinarius, & neceſſarius modus ſalutis aſſequendæ, ſive in re, ſive in voto, tam medii neceſſitate, quam præcepti. Hanc quoque Catholicam veritatem oſtendunt clariſſima Sacræ Scripturæ teſtimonia, & præſertim Petri Apoſtoli ſimilitudo ex Arca Noe deſumpta, *in qua*, dicit epiſt. 1. cap. 3. *pauci, ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam, quod & nos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma*: ideſt ſicut in univerſali illo Cataclyſmo a morte immunis eſſe non poterat, niſi qui Arcam eſſet ingreſſus; ita nemo ab æterna perditione eripitur, niſi per Baptiſma vel in re ſuſceptum, vel in voto, non ſit Eccleſiam Chriſti ingreſſus. Quod & confirmant alia Scripturæ teſtimonia. S. Paulus ad Tit. 3. ſcribit: *Qui ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*. Hinc Petrus petentibus quid agendum eſſet ad ſalutem obtinendam, ajebat: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*. Confirmant etiam Patres perpetua traditione, qui Baptiſmi neceſſitatem ad juſtificationem, & ſalutem pro omnibus hominibus, nemine excepto, inculcant. Audiatur S. Auguſtinus lib. 1. de Peccat. merit. & remiſſ. cap. 18. dicens: ,, Quis Chriſtianorum ferat, cum dicitur ad æter- ,, nam ſalutem poſſe quempiam pervenire, ſi non ,, renaſcatur in Chriſto, quod per Baptiſmum fie- ,, ri voluit? " Hanc eandem neceſſitatem adſtruit Florentinum Concilium in Decreto Eugenii docens: ,, Primum omnium Sacramentorum locum tenet ,, Sacramentum Baptiſmi, quod vitæ ſpiritualis ja- ,, nua eſt, per ipſum enim membra Chriſti, ac de ,, corpore efficimur Eccleſiæ, & cum per primum ,, hominem mors intravit in univerſos, niſi ex ,, aqua, & Spiritu Sancto renaſcimur, non poſſu- ,, mus, ut inquit Veritas, in *Regnum cælorum in-* ,, *trare* ". Quam rationem mutuata eſt S. Synodus a D. Th. qui a. 1. q. *68.* ſic docet, id eſſe medium neceſſarium ad ſalutem ,, Sine quo homines ſalu- ,, tem conſequi non poſſunt. Manifeſtum eſt au- ,, tem, quod nullus poteſt ſalutem conſequi, niſi ,, per Chriſtum. Unde & Apoſtolus dicit Rom. 5. ,, v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines* ,, *in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in* ,, *omnes homines in juſtificationem vitæ*. Ad hoc ,, autem datur Baptiſma, ut aliquis per ipſum re- ,, generatus incorporetur Chriſto, factus membrum ,, ipſius: unde dicitur ad Galat. 3. v. 27. *Quicum-* ,, *que in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. ,, Unde manifeſtum eſt, quod omnes ad Baptiſmum ,, tenentur, & ſine eo non poteſt eſſe ſalus homi- ,, nibus ".

IV. Hæc neceſſitas tum medii, tum præcepti recipiendi Baptiſmum non cœpit ante Chriſti mortem, & Reſurrectionem, ſed ſolum poſt ſufficientem Evangelii promulgationem. Hanc doctrinam attigimus cap. 2. Conſect. 3., ac hic fuſius expendimus. Et quidem ante Chriſti mortem non obſtrinxiſſe præceptum Baptiſmi docet, & oſtendit Divus Th. 3. p. q. *66.* a. 2. in corp. ſcribens: ,, Neceſſitas utendi Sacramento Baptiſmi indi- ,, cta fuit homini poſt Paſſionem, & Reſurre-

ctio-

„ ctionem : tum quia in Paſſione Chriſti terminata
„ ſunt figuralia Sacramenta, quibus ſuccedit Ba-
„ ptiſmus, & alia Sacramenta novæ legis ; tum
„ etiam quia per Baptiſmuw configuratur homo
„ Paſſioni, & Reſurrectioni Chriſti, in quantum
„ moritur peccato, & incipit novam vitam. Et
„ ideo oportuit Chriſtum prius pati, & reſurgere,
„ quam hominibus indiceretur neceſſitas ſe confi-
„ gurandi morti, & Reſurrectioni ejus ". Idem
confirmat & S. Bernardus in epiſt. 77. ad Hugo-
nem ſcribens : „ Quando itaque Chriſtus dicebat,
„ *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu San-*
„ *cto* &c. proxime futurum tempus aſſertæ neceſſi-
„ tatis prædicabat, & indicebat : neque confundi
„ debet inſtitutio Baptiſmi cum lege de eo ſuſci-
„ piendo univerſaliter lata, ſine cujus aſſecutio-
„ ne, vel voto bonus latro in Paradiſo eſſe cum
„ Chriſto impetravit ". Quod vero ſolum poſt
ſufficientem Evangelii promulgationem inceperit
neceſſitas Baptiſmi, licet aliquibus Theologis ali-
ter videatur, Vaſquezio, Soto, Gonetto, & Got-
ti : tamen id meo judicio conformius eſt doctrinæ
Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. aſſerentis „ Juſtifica-
„ tionem *poſt Evangelium promulgatum* ſine lava-
„ cro regenerationis, aut ejus voto fieri non poſ-
„ ſe " ; & D. Thom. principiis de obligatione
legum 1. 2. q. 90. a. 4. & diſerte traditur a D.
Bernardo in laud. epiſt. ſcribente : „ Nimis du-
„ rum, auſterumque videtur verbum abſconditum
„ jam palam noceat, & ante judex feriat, quam
„ minetur . . . . Unde injuſte exigitur obeditio,
„ ubi non præceſſit auditio ; neque enim utile eſt
„ hoc, quod & abſque promulgatione naturalis
„ lex ignorare non ſineret, quale v. g. illud eſt,
„ *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris :* ficti-
„ tium enim quodammodo eſt, non naturale man-
„ datum. Quod ergo omnino ſciri non poterat,
„ ſi non audiretur, quo pacto quæſo exigi debet,
„ & antequam audiretur ? " Et revera Chriſtus
Dominus præcepit Apoſtolis, ut doctrinam Ba-
ptiſmo præmitterent, *Docete omnes Gentes, bapti-*
zantes eos : prius igitur docendæ, deinde tingen-
dæ. Nec refert, in morte Chriſti mortuam,
& extinctam veterem legem, juxta D. Th. 1. 2.
q. 103. art. 3. ad 2. *Quia tunc translato Sacerdo-*
tio, ut D. Paulus ait ad Hebræos, *neceſſe erat,*
ut legis quoque translatio fieret; *vetere vero ceſſante*
novum ſtatim invaluiſſe oportuit : nam tunc illa
ſic fuit extincta, ut non ſtatim mortifera evaſe-
rit; erat enim tantiſper permittenda, donec, ut
S. Auguſtiuus ait, cum honore ſepeliretur : & ſi-
cut ceſſavit illa quoad obligationem, ſed non
fortaſſis quoad omnem utilitatem ; ita lex nova
tunc incœpit quoad utilitatem, & efficaciam, ut
non tamen prius obligationem injiceret, quam
competenter promulgaretur. Et 1. quidem quod
Hieroſolymis in die Pentecoſtes factum communi-
ter exiſtimatur, poſtea ſucceſſive factum fuit in
aliis regionibus, donec tot in locis innotuerit, ut
ad alias quoque mundi partes evulgationis ejus
fama deferri poſſet; quamvis reipſa ob hominum
negligentiam, vel improbitatem ad omnes ipſa non
pervenerit prædicatio.

V. Unum autem eſſe Baptiſma, quod ſemel
valide ſuſceptum ſemper per characterem in ani-
ma perſeverat, & nunquam proinde iterari pot-
eſt, docet, & evincit S. Thom. 1. teſtimonio
D. Pauli ad Epheſ. 4. ſcribentis, *Una fides,*
unum Baptiſma. Deinde confirmat triplici ratio-
ne. 1. Ex ipſa Baptiſmi indole, quæ in ſpiri-
tuali generatione conſiſtit, „ per quam, ſcribit
„ D. A. hic q. 66. art. 9. aliquis moritur vete-
„ ri vitæ, & incipit novam vitam agere ; unde
„ dicitur Jo. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex*
„ *aqua, & Spiritu Sancto* &c. Unius autem non
„ eſt niſi una generatio. Et ideo non poteſt
„ Baptiſmus iterari, ſicut nec carnalis genera-
„ tio ". 2. Ex configuratione cum Chriſto,
ſubdit autem : „ Quia in morte Chriſti bapti-
„ zamur, per quam morimur peccato, & reſurgi-
„ mus in novitatem vitæ ; Chriſtus autem ſemel
„ tantum mortuus eſt. Propter quod ad Hebr.
„ 6. v. 6. contra quoſdam rebaptizari volentes
„ dicitur : *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Fi-*
„ *lium Dei*, ubi Gloſſa dicit : *Una Chriſti mors*
„ *unum Baptiſmum conſecravit* ". 3. Ex dupli-
ci effectu peculiari Baptiſmi, ſcilicet gratia pec-
catum originale delente, & charactere : proſequi-
tur enim : „ Baptiſmus imprimit characterem,
„ qui eſt indelebilis, & cum quadam conſecra-
„ tione datur. Unde ſicut aliæ conſecrationes
„ non iterantur in Eccleſia, ita nec Baptiſmus . . .
„ & quia Baptiſmus principaliter datur contra ori-
„ ginale peccatum, ideo ſicut originale pecca-
„ tum non iteratur, ita nec Baptiſmus iteratur,
„ ut dicitur Rom. 5. *Sicut per unius delictum in*
„ *omnes homines in condemnationem, ſic per unius*
„ *juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vi-*
„ *tæ* ".

VI. Porro hæc unitas, & neceſſitas Baptiſmi
veritatem non impedit illius vulgatiſſimæ, & ſalu-
berrimæ diſtinctionis triplicis Baptiſmatis, Flumi-
nis, Flaminis, & Sanguinis. Nam, ut docet S.
Thom. hic q. 64. art. 11. „ Duo poſteriora inclu-
„ duntur in Baptiſmo aquæ, qui efficaciam habet
„ ex paſſione Chriſti, & ex Spiritu Sancto ".
Nomine autem Baptiſmi Fluminis intelligitur Sa-
cramentum ipſum, de quo hactenus ſumus locuti,
Baptiſmus autem Flaminis conſiſtit in perfecta,
ac plena caritate erga Deum, & quidem cum pec-
catorum deteſtatione conjuncta, ſi homo peccati
ſibi ſit conſcius. Et profecto hac caritate juſtifi-
cari homines, ſi impoſſibilis ſit Baptiſmi ſuſce-
ptio, manifeſte patet & ex Scripturis, & ex PP.
traditione. Scripturæ ſiquidem caritati, & contri-
tioni ex illa mananti, divinam dilectionem, &
miſericordiam, quæ ſine peccatorum venia, &
juſtificatione non intelligitur, reſpondere clare,
& luculenter affirmant Joan. 14. *Qui diligit me,*
diligetur a Patre meo. Ezech. 18. *Si impius ege-*
rit pœnitentiam . . . vita vivet, & non morietur ;
& revera Cornelium Centurionem Act. 10. etiam
ante ſuſceptionem Baptiſmi juſtum fuiſſe indica-
tur : & v. 47. nonnullos ante Baptiſmum Spiritu
Sancto donatos apparet, dicente Petro : *Nunquid*
aquam quis prohibere poterit, ut non baptizentur
hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut &
nos? Confirmat & Patrum traditio, quæ homines
fide, & caritate ferventes, ſine Baptiſmo ob ali-
quod impedimentum defunctos, ad ſalutem docuit
perveniſſe. S. Ambroſius in Orat. funeb. de obi-
tu Valentiniani junioris, de ipſo juvene ante Ba-
ptiſmum ſublato ſic ſcribit : „ Si Martyres ſuo
„ abluuntur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit,

„ &

„ & voluntas “. S. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo cap. 22. ſcribit : „ Invenio non tantum paſ-
„ ſionem pro nomine Chriſti, id quod de Baptiſ-
„ mo deerat, poſſe ſupplere, ſed & fidem, con-
„ verſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum
„ myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuc-
„ curri non poteſt “. Similiter Innoc. III. in 3. Decret. tit. 42. cap. 4. & 43. cap. *Apoſtolicum*, interrogatus de Judæo, qui morti proximus ſe ipſum præ Baptiſmi deſiderio baptizaverat, & de Presbytero non baptizato, ſed in Chriſti nominis confeſſione defunſto, reſpondit. Hanc veritatem confirmat & S. Thom. hic art. 11. ſcribens :
„ Aliquis per virtutem Spiritus Sancti conſequi-
„ tur effectum Baptiſmi non ſolum ſine Baptiſ-
„ mo aquæ, ſed etiam ſine Baptiſmo ſanguinis,
„ in quantum ſcilicet cor per Spiritum Sanctum
„ movetur ad credendum, & diligendum Deum,
„ & pœnitendum de peccatis ; unde etiam dici-
„ tur Baptiſmus Pœnitentiæ. Et de hoc dicitur
„ Iſaiæ 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum*
„ *Sion, & ſanguinem Hieruſalem laverit de me-*
„ *dio ejus, in ſpiritu judicii, & ſpiritu ardo-*
„ *ris* “. Quod ſi S. Ambroſius lib. 4. de iis, qui initiantur cap. 4. & S. Auguſt. variis in locis, & præſertim tract. 13. in Jo. affirmare videntur, Catechumenos ante Baptiſmum peccatorum remiſſione minime donari, intelligendi ſunt, vel de illis, qui nondum perfectam caritatem ſunt affecuti, ut de pleriſque præſumendum eſt ; vel de illis, qui de ſuorum morum probitate fidentes, contemnere ſua dilatione Baptiſmum videntur, juxta illud lib. 4. de Baptiſmo cap. 25. ejuſdem effatum, *converſio cordis poteſt quidem eſſe non percepto baptiſmo, ſed contempto non poteſt*.

VII. Baptiſmus vero Sanguinis, vel Martyrii deficientiam involuntariam ſupplet Baptiſmi aquæ, in iis, qui, ut ſcribit S. Auguſt. in Pſalm. 118. *Propter teſtimonium Chriſti diverſis paſſionibus humiliati ſunt, & uſque ad mortem pro veritate certarunt*. Iſtos autem ſuo ſanguine ablui, & abſque aquæ lavacro ſalutem conſequi, & beatitudinem, teſtantur Scripturæ Math. 10. *Omnis, qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Et Marc. 8. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, & Evangelium, inveniet eam*. Accedit veterum Patrum traditio. Tertul. lib. de Baptiſmo cap. 16. *Eſt nobis & ſecundum lavacrum ſanguinis . . . . hic eſt Baptiſmus, qui lavacrum & non acceptum repræſentat, & perditum reddit*. S. Cyrillus Hieroſolymit. Catech. 3. *Si quis non baptizetur, ſalutem non habet, præter ſolos Martyres, qui vel ſine aqua regno cælorum potiuntur*. S. Cyprianus ad Jubajanum epiſt. 73. *Sanguine ſuo baptizatos, & paſſione ſanctificatos conſummari, & divinæ pollicitationis gratiam conſequi declarat in Evangelio Dominus, quando ad latronem in ipſa paſſione credentem, & confitentem loquitur, & quod ſecum ſit futurus in Paradiſo, pollicetur*. Denique S. Auguſtinus pluribus in locis, ſed præſertim lib. 1. de anima, & ejus origine cap. 9. *Nemo fit membrum Chriſti, niſi vel Baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto. Unde & latro ille non ante Crucem Domini ſectator, ſed in Cruce confeſſor, a Cypriano Sancto inter Martyres computatur, qui ſuo Sanguine baptizantur*. Accedit judicium Eccleſiæ, quæ adultos, & ante ſuſceptum Baptiſmum martyrio ſublatos adeo Sanctos, & beatos eſſe non dubitavit, ut nec pro eis preces, & ſuffragia offerendi opus eſſe crediderit ; ſed magis eorum interceſſionibus ſe conſueverit commendare. Unde Innoc. III. cap. *Cum mortale* de celebrat. Miſſ. dixit : *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*. Immo in hoc martyrium, proprius Baptiſmi efficacitatem æmulatur, quod pleniſſimam etiam temporalis pœnæ ſecum afferat remiſſionem, docente Tertulliano cap. 6. Scorpiaci : *Martyribus nihil jam reputari poteſt*. Et confirmat Eccleſiæ conſuetudo, quæ Martyres conſummatos venerandos, ut Sanctos cum Chriſto in cælis regnantes, agnovit, & declaravit.

VIII. In utroque Baptiſmo tum ſanguinis, tum flaminis votum Sacramentalis Baptiſmi neceſſarium eſt, & quidem explicitum. Neceſſarium eſſe votum Baptiſmi in aqua ſuſcipiendi, & quidem explicitum in agnoſcentibus Baptiſmi inſtitutionem, nullus eſt, qui dubitet. Quoniam in Evangelica lege nec genuina caritas, efficaxque contritio, nec verum martyrium eſſe poteſt, in quibus Baptiſmi præſcripti a Chriſto, & cujus novit neceſſitatem, non includatur. Unde Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. declarat : „ Poſt Evangelium promulgatum nun-
„ quam fieri translationem a veteris Adæ ſtatu ad
„ ſtatum gratiæ ſine lavacro regenerationis, aut
„ ejus voto “. Confirmatur etiam evidenti ratione. Nam votum medii ordinatione divina neceſſarii ad ſalutem eſt quid magis requiſitum, quam votum rei ſolum ex præcepto neceſſariæ : hoc enim poſterius votum ſat eſt, ſi contineatur in generali propoſito divinam legem obſervandi ; at non ita primum, quod eſt de ſpeciali medio ad ſalutem neceſſario, proinde ſpecialiter exprimendum, & animo concipiendum. At inquiunt, ſi quis ignoret dari Baptiſmum aquæ, & neceſſarium eſſe ad ſalutem, & ſimul vel perfecte Deum diligat, vel martyrium ſubeat, ſalutem non conſequetur ? At reſpondemus quod jam diximus in Tract. de Fide Diſſ. 1. cap. 3. §. 2. n. 13. & ſeq. & cap. 4. Conſ. 5. de fide explicita Trinitatis, & Incarnationis, cujus ignorantia poteſt eſſe quidem invincibilis, ſaltem per aliquod tempus, proinde dari infidelitas negativa, & ſimul ſine ea nemo ſalutem, & remiſſionem peccati originalis, & aliorum peccatorum conſequi poterit. Sic itaque dicendum de Baptiſmo ſaltem in voto, cum nullus ſcire poſſit Myſteria Trinitatis, & Incarnationis, quin ſimul & notitiam aſſequatur de neceſſitate Baptiſmi ; quod proinde explicite deſiderare debet, ſi re obtinere non poſſit. Hinc & hic locum habet, quod ibidem diximus de vivente juxta leges naturæ, & naturalia præcepta fideliter implente, quem Deus e vita diſcedere non permittet, niſi habita notitia Myſteriorum Fidei, & Baptiſmum vel in re, vel in voto obtineat. Nam Deus, qui gratiæ ſuæ beneficio largitur & ardentem caritatem, & heroicam fortitudinem homini, ut eum diligat, vel pro eo mortem oppetat, & notitiam dabit Myſteriorum Fidei, & Baptiſmi.

CA-

CAPUT DUODECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Etiam in Infantibus Martyrium deficientiam ſupplet Baptiſmi.*
II. *Martyrium juſtificationem affert etiam ex opere operato.*
III. *Non omnes effectus Sacramenti producunt Baptiſmata flaminis, & ſanguinis.*
IV. *Baptiſma, etiam ſub conditione, incaute ſine ſacrilegio iterari non poteſt.*
V. *Qui incaute repetunt, & peccant lethaliter, & irregularitati ſubjiciuntur.*

Conſectarium Primum.

I. BAptiſmus infantium ſuppleri poteſt quoad effectum expiationis a peccato originali, & juſtificationis, martyrio, ſive morte cauſa Chriſti, Fidei, Religionis, vel alicujus chriſtianæ virtutis eiſdem illata. Ita docet, & probat S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1. ſcribens: „ Effuſio ſanguinis propter Chriſtum vicem gerit Baptiſmatis. „ Unde ſicut in pueris baptizatis, per gratiam „ baptiſmalem meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinendam; ita & in occiſis propter Chriſtum meritum martyrii Chriſti operatur ad palmam martyrii conſequendam. Unde Auguſtinus „ dicit in quodam ſermone de Epiphan. (eſt 64. „ de diverſis cap. 3.) quaſi eos alloquens: *Ille de „ veſtra corona dubitabit in paſſione pro Chriſto, „ qui etiam parvulis baptiſmum prodeſſe non æſtimat Chriſti. Non habebatis ætatem, qua in paſſurum Chriſtum crederetis; ſed habebatis carnem, „ qua pro Chriſto paſſuro paſſionem ſuſtineretis* “. Huic S. Thom. doctrinæ adverſantur quidem nonnulli antiquiores Theologi, Riccardus, Armacanus, Alenſis, Jacobus de Vitriaco, & Adrianus. Sed videtur totius Eccleſiæ ſententia a prima uſque origine imbibita, & prodita perenni memoria, veneratione, & cultu parvulorum eorum, qui ab Herode propter Chriſtum occiſi fuere, quos ut Martyres, ut Sanctos, ut beatos, atque cum Chriſto in cælis regnantes & ſemper habuit, & prædicare non deſinit. Sicut & præſtant Patres, ſed præſertim S. Auguſtin. de Civ. Dei lib. 13. cap. 7. doctrinam Eccleſiæ firma ratione confirmat, ſcribens: „ Quicumque etiam non percepto „ regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione „ moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis: qui enim dixit, *Niſi quis renatus „ fuerit ex aqua* &c., alia ſententia iſtos facit exceptos, ubi non minus generaliter dixit, *qui „ perdiderit animam ſuam propter me, inveniet „ eam* “. Nec dicas, non confiteri qui ignorat, non eſſe Martyres, qui teſtimonium dicere nequeunt, non pati meritorie & fortiter, qui paſſioni ſuæ non conſentiunt. Nam hæc quidem in adultis, ut Martyres fiant, deſiderantur; ſicut & ipſis, ut Baptiſmo regenerentur, fide opus eſt, & caritate: at parvulis Chriſti privilegio, & Eccleſiæ judicio hæc accedit prærogativa martyrii ex ſola mortis perpeſſione, & mortis cauſa; confitentur enim, & teſtificantur, & pro Chriſto pugnant *non loquendo, ſed moriendo*, ut canit Eccleſia. Quamobrem veram cenſeo illorum Theologorum ſententiam, qui ob eandem cauſam exiſtimant, & materno utero incluſos, qui alioquin Baptiſmo matris non liberantur, matris martyrio, quo & ipſi pereunt, liberari, & juſtificari; tametſi occiſor matrem gravidam eſſe ignoret: vere enim moriuntur pro Chriſto, qui ex vulnere in Chriſti odium inflicto moriuntur.

Conſectarium Secundum.

II. Martyrium juſtificationem, & beatitudinem confert, non ex opere operantis tantum, ſcilicet ex conjuncta caritatis excellentia, juxta illud Jo. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*; ſed præcipue ex opere operato, quatenus ſcilicet Chriſti paſſionem imitando, hoc gaudent a Chriſto ſibi repenſo privilegio, ut omnem culpam, & pœnæ reatum tollat, & abluat. Favere videtur huic doctrinæ S. Thom. hic q. 87. a. 1. ad 2. ſcribens: „ Paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim Baptiſmi; & ideo purgat ab omni culpa & veniali, & „ mortali, niſi actualiter voluntatem peccato inhærentem invenerit “. Et luculentius in IV. Sent. diſt. 4. art. ult. quæſtiuncula 3. ad 1. „ Baptiſmus ſanguinis non habet hoc (quod juſtificet) ex opere operante, neque quantum ad „ pœnam, qua aliquis peccatum per martyrium „ expiet, quam contingit non eſſe ſufficientem ad „ ſatisfaciendum pro peccato; neque quantum ad „ devotionem juſtæ voluntatis, quia contingit, „ quod voluntate majori caritate informata aliquis ſine martyrio non poteſt ab omni pœna liberari: ſed hoc habet ex imitatione paſſionis „ Chriſti; unde de Martyribus dicitur Apoc. 7. *Laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni* “. Et revera ita ſentire videntur Patres, qui martyrium Baptiſmo æquiparant, & aliquid in eo a merito caritatis diſtinctum recognoſcunt, & quod etiam parvulis expiandis ſufficiat. Et profecto corrueret omnino illa diſtinctio Baptiſmi flaminis, & Baptiſmi ſanguinis, quæ tamen ab omnibus Theologis adoptatur, ſi in martyrio ſoli caritati reſponderet juſtificatio: tunc enim caritas ſola totam obtineret efficacitatem ſive in martyrio, ſive extra martyrium; proinde materialis, immo futilis eſſet duplicis diſtinctio Baptiſmi. Eapropter qui ad martyrium ea diſpoſitione accederet, quæ ad Sacramenta mortuorum requiritur, & illud ſubiret, ex attrito fieret contritus; ideſt illa caritas, quæ ſine Sacramento, vel martyrio juſtificationem non afferret, conjuncta martyrio produceret, & conferret. Et hoc ſolum indicat D. Thom. quando 2. 2. q. 124. a. 2. ad 2. dicit: „ Martyrium, quod „ ſit meritorium, hoc habet ex caritate, ſicut & „ quilibet virtutis actus: & ideo ſine caritate non „ valet, “ ſcilicet vel inchoata, vel perfecta. Notandum tamen Martyrem, ſicut & quemlibet fidelem, teneri actum perfectæ caritatis elicere ratione præcepti, ad eam in mortis articulo eliciendam obſtringentis.

Conſectarium Tertium.

III. Valet quidem Baptiſmus flaminis, & ſangui-

guinis ad juſtificationem, & ſalutem obtinendam, non vero ad alios effectus, qui ex Baptiſmo aquæ conſequuntur. Hic ſiquidem non ſolum affert deletionem peccati Originalis, & actualium, juſtificationem, remiſſionem pœnæ, ſed & characterem imprimit, ſubjectionem poteſtati, & juriſdictioni Eccleſiæ, cui tanquam membrum unitur, inducit, jus communicandi ejus bonis, & proximam capacitatem ad alia ſuſcipienda Sacramenta. Porro martyrium, ſicut & Baptiſmus flaminis priores quidem effectus producunt, alios vero minime; cum nonniſi homini Eccleſiam ingreſſo, ejuſque viſibili corpori ad inſtar membri inſerto, convenire poſſint: adeoque ſolum Baptiſmum, quo talis ingreſſus, & incorporatio perficitur, reipſa ſuſceptum conſequuntur. Merito itaque docet S. Thom. IV. ad Anibal. diſt. 6. art. 1. q. 2. „ Quod ſanctificatus „ in utero matris debet baptizari propter tres ra- „ tiones. Primo propter acquirendum characterem, „ quo annumeretur populo Dei, & quo deputetur „ ad percipienda divina Sacramenta. Secundo, „ ut per Baptiſmi ſuſceptionem paſſioni Chriſti „ etiam corporaliter conformetur. Tertio propter „ bonum obedientiæ, quia præceptum de Baptiſmo „ omnibus datum eſt, & ab omnibus eſt implen- „ dum, niſi articulus neceſſitatis Sacramentum ex- „ cludat “.

Conſectarium Quartum.

IV. Baptiſmus ſine gravi ſacrilegio iterari non poteſt, nec ſub conditione dandus, niſi prudens emergat dubium vel de ejus exhibitione, vel de ejus validitate. Et quidem Baptiſmum ſemel valide ſuſceptum iterari non poſſe eſt catholicum dogma in unitate Baptiſmi fundatum, dicente Apoſtolo, ut jam animadvertimus: *Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptiſma;* & conſtantiſſima etiam traditione firmatum; & in Symbolo comprehenſum eo articulo, *Confiteor unum Baptiſma.* Quapropter tam ſuſcipiens, quam miniſtrans verum Baptiſmum ſemel valide ſuſceptum, & *immaniſſimo ſcelere*, inquit S. Auguſtinus epiſt. ad Maximum, *polluitur, & inexpiabile facinus*, ſcribit S. Leo M. epiſt. ad Neonam Ravennatenſem, *perpetrat*, publica, & rigida olim vindicatum pœnitentia, & poſterioribus Decretis irregularitati ſubjicitur. Tunc igitur ſolum iterari poteſt, & quidem ſub conditione, quotieſcumque prudens, & fundatum oritur dubium vel de ejus ſuſceptione, vel de ejus valore: nam nec tunc iterari proprie dici poteſt, quia, ut ſcribit S. Leo M. in epiſt. ad Neonam, *non poteſt in iterationis crimen venire, quod factum eſſe omnino neſcitur.* Legantur, quæ diximus 1. hujus Tract. Par. Diſſ. 2. cap. 3. n. 11. Quando vero hoc prudens emergat dubium, ob quod ſit repetendum Baptiſma, exponit Catechiſmus Romanus de Baptiſmo n. 57. ubi loquens de forma conditionata ſic docet: „ Ea „ Baptiſmi forma ex Alexandri Papæ auctoritate „ in illis tantum permittitur, de quibus, re dili- „ genter perquiſita, dubium relinquitur, an Ba- „ ptiſmum rite ſuſceperint: aliter vero nunquam „ fas eſt, etiam cum adjunctione, Baptiſmum ali- „ cui iterum adminiſtrare “. Ne quis igitur facile Baptiſmum iteret, ea præ oculis habeat, oportet, quæ prudentiſſime, & ſapienter docet Bened. XIV. de Synod. lib. 7. cap. 5. videlicet 1. Miniſtrationem Baptiſmi probari etiam per unicum teſtem. 2. Præſertim ſi teſtificetur de proprio facto, utpote qui affirmet, illud fuiſſe a ſe legitime adminiſtratum; nec quidquam in contrarium occurrat, quod illius teſtimonio fidem detrahat, ut diſerte decernitur in Can. 110. & 112. de Conſecrat. diſt. 4. & cap. *Nuper* de Teſtibus. 3. Obſtetrici affirmanti ſe puerum baptizaſſe, & optime callenti neceſſaria ad valorem Baptiſmi, eſt fides omnino adhibenda. 4. Præſertim, ſi priuſquam ad obſtetricatus officium exercendum admitteretur, per Parochos de modo miniſtrandi Baptiſmum in neceſſitate fuerit ſolerter edocta. Hinc improbandum dicit, quod ſtatutum legitur in aliquibus Synodis, & Ritualibus de infantibus generatim, & indiſtincte iterum ſub conditione in Eccleſia rebaptizandis, quicumque privatim fuerint ab obſtetricibus domi baptizati. E contra vero probabile ſubeſt dubium de collatione Baptiſmi, 1. ſi nullo modo conſtet fuiſſe datum. 2. Si quis de collato Baptiſmo teſtimonium ferat, ſed iſte incertus ſit, cum in re adeo gravi ignoto teſtimonio deferre non poſſimus, rebaptizandus eſt infans ſub conditione. 3. Hinc rebaptizandi ſunt pari forma infantes expoſiti, licet collo appenſam deferant ſchedulam teſtantem fuiſſe Baptiſmate ablutos; ut pro Hoſpitali S. Spiritus de Saxia in urbe decretum fuit a Congreg. Concilii, & alia etiam Provincialia Concilia decrevere, niſi certa habeatur notitia perſonæ, a qua ſchedula ſit exarata, aut aliquod indubitatum deſumatur indicium de Baptiſmate rite eiſdem collato. Cum vero, ut ſubdit laudatus Pontifex, minorem fidem faciant collati Baptiſmi alia ſigna expoſito infanti appoſita, puta ſal, prudenter & iſti ſub conditione poterunt iterum tingi. Et ſic etiam decretum fuit in Concilio Londinenſi anni 1200. can. 3. ſtatuente: „ Baptizentur Expoſiti, de quorum Ba- „ ptiſmo dubitatur, ſive inveniantur cum ſa- „ le, ſive ſine ſale “. Hoc totum autem intelligendum de filiis Chriſtianorum expoſitis, vel derelictis. Si enim aliquo conſtaret modo, illos filios eſſe infidelium, ſine conditione forent baptizandi; cum certiſſima ſit præſumptio minime fuiſſe baptizatos. Si hæc attenderint Sacri Miniſtri, non niſi ſumma cautela, atque prudentia Baptiſmi Sacramentum etiam ſub adjunctione iterum miniſtrabunt; & ea ceſſabunt abſurda, & inutiles iterationes, de quibus ſuperius conqueſti ſumus.

Conſectarium Quintum.

V. Qui ſine prudenti dubio, vel de adminiſtratione, vel de valore Baptiſmi, ſed temere, & pro libito, vel etiam ad uberiorem cautelam iterum Baptiſmum conferunt, & lethaliter peccant, & irregularitati ſubjiciuntur. Hujus aſſertionis veritas & ex dictis ſuperius conſequitur, & evincitur etiam auctoritate Catechiſmi Romani, qui l. laud. de Baptiſmo conqueritur, hac incauta & imprudenti reiteratione Baptiſmi maximam Sacramento injuriam inferri. Sic enim dicit, „ Qua in re „ (repetitione ſcilicet Baptiſmi) diligenter a „ Paſtoribus aliqua providenda ſunt, in quibus „ fere quotidie non ſine maxima Sacramenti „ in-

„ injuria peccatur “. Et S. Carolus Borromæus Act. p. 4. de Baptiſmo aperte monet: „ Si re ac„ curate inveſtigata exploratum habuerit, illum „ forma ſervata baptizatum eſſe, caveat omnino, „ ut hanc ſub conditione formam adhibeat, cum „ ſacrilegium committat qui contra fecerit “. Quoad pœnam vero irregularitatis negant plures Probabiliſtæ. At illis obſiſtit Catechiſmus Concilii Tridentini, qui aperte pronuntiat, hos incautos, & imprudentes rebaptizantes non ſolum, ut dixerat, maximam injuriam irrogare Sacramento, ſed & pœnæ irregularitatis ſubjici. Sic enim ſubdit: „ Neque enim deſunt, qui nullum ſcelus ad„ mitti arbitrentur, ſi quemvis ſine delectu cum „ adjunctione illa baptizent .... quod quidem ſi„ ne ſacrilegio facere non poſſunt, & eam macu„ lam ſuſcipiunt, quam divinarum rerum ſcripto„ res irregularitatem vocant. Nam ea Baptiſ„ mi forma ex Alexandri Papæ auctoritate in il„ lis tantum permittitur, de quibus, *re diligen„ ter perquiſita*, dubium relinquitur, an Baptiſ„ mum rite ſuſceperint: aliter vero nunquam fas „ eſt, etiam cum adjunctione, Baptiſmum alicui „ iterum adminiſtrare “. Hanc ſententiam & ſe amplecti profeſſus eſt Benedictus XIV. dum Archiepiſcopus Bononienſem Eccleſiam regeret, ut videre eſt in ſua Inſtitutione 84. n. 18. quam irregularitatem non ſolum Ordinum ſuſceptionem impedire ſenſit, ſed & ſuſceptorum executionem. In cujus doctrinæ confirmationem adducit Congregationis Concilii deciſionem anni 1685. ſic ſtatuentem: „ Siquidem Synodus Mediolanenſis, & „ Catechiſmus Romanus, quorum *maxima eſt au„ ctoritas*, *& ceteris præferenda*, loquuntur ex„ preſſe de Sacerdotibus, & Parochis rebaptizan„ tibus ſub conditione: unde irregularitas, quæ „ inibi ſtatuitur, & reſpective præſupponitur ad„ verſus dictos Sacerdotes, & Parochos, neceſſa„ rio intelligenda eſt de impediente exercitium „ Ordinum ſuſceptorum, cum non detur alius Or„ do Sacer, ad quem Sacerdotes, & regulariter „ Parochi aſcendere poſſint “. In qua declaratione duo habentur, quæ doctrinam noſtram nedum probabiliorem, ſed & probabiliſſimam efficiunt. 1. Confirmari, & pro veriſſima haberi doctrinam & Catechiſmi Romani, & S. Caroli Borromæi, docentium irregularitate irretiri, qui ſine prudenti dubio rebaptizant etiam ſub conditione; & horum auctoritatem eſſe maximam, & ceteris præferendam. 2. Hac irregularitate irretitos nec ad altiorem gradum aſcendere poſſe, cujuſmodi eſſet Epiſcopatus, ad quem licet regulariter non adſcendant, aſſumi tamen poſſe nullus ambigit; nec poſſe in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. Ab hac itaque doctrina non recedendum, oppoſita omnino abjecta; licet a plurimis Theologis, a laudato Pontifice in ſua Inſtitutione citatis, defendatur.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De loco, tempore, & cæremoniis Baptiſmi.

DOCTRINA.

I. *Olim nonniſi in uno loco Baptiſma ſolemniter dabatur.*

II. *Modo, ubi ſit Fons Baptiſmalis, datur Baptiſmus.*
III. *Non licet ſolemniter baptizare in domibus, vel privatis Oratoriis.*
IV. *Non licet in domibus baptizare, reſervatis ceremoniis ad aliud tempus, niſi neceſſitas urgeat.*
V. *Omiſſæ ceremoniæ ſunt quamtocius ſupplendæ.*
VI. *Quo tempore olim miniſtraretur Baptiſma.*
VII. *Modo licet omni tempore baptizare: peccant, qui Baptiſmum diutius differunt infantibus.*
VIII. *Dilatio Baptiſmi in adultis reprobatur a SS. Patribus.*
IX. *Quid ſit circa adultos baptizandos, quoad tempus ſervandum.*
X. *Ceremoniæ in Baptiſmo ſine culpa omitti non poſſunt.*
XI. *Quid ſervandum in nominibus baptizatis imponendis.*
XII. *Sunt & Patrini neceſſario arceſſendi.*
XIII. *Conditiones in Patrinis requiſitæ.*
XIV. *Spiritualis cognationis impedimentum contrahunt.*
XV. *Licet de ſacro fonte per Procuratorem levare, & mandans cognationis ſubit impedimentum.*

I. IN Baptiſmo ex neceſſitate miniſtrando loci ratio nulla eſt habenda, cum ubique adminiſtrari poſſit, & locus non datur electioni loci. Solum igitur quæſtio procedit de Baptiſmo, non ex neceſſitate, ſed opportune adminiſtrando. In quo quidem primo eſt animadvertendum. Cum enim, ut diximus cap. 7. n. 1. Miniſterium Baptiſmi ſibi reſervarint Epiſcopi, ipſique ſoli adminiſtrarent, ut teſtatur Tomaſinus de antiqua, & nova Eccleſ. diſciplina P. 1. lib. 2. cap. 21. n. 8. ſcribens: *Primis illis initiis ſolus vulgo baptizabat Epiſcopus*; hinc factum eſt, unicum fuiſſe Baptiſmalem Fontem, ad quem omnes baptizandi deferebantur, ut ſacro tingerentur lavacro„ quemadmodum animadvertit Martene de Antiq. Eccl. Rit. lib. 1. ſcribens: „ Olim in ſolis Cathedralibus Eccle„ ſiis extitere Baptiſteria. Nam cum ſoli primis „ temporibus baptizarent Epiſcopi, ſolæ etiam, in „ quibus reſidebat Epiſcopus, Eccleſiæ Baptiſteria „ habebant “. Quæ conſuetudo adhuc in aliquibus Italiæ Eccleſiis viget, & ſervatur. Quamobrem eo ſolum in loco Baptiſmus eſt ſolemniter conferendus, nec licet vel privato Sacerdoti, vel etiam Parocho in alia, vel etiam propria Eccleſia Baptiſmum ſolemniter exhibere extra neceſſitatis caſum; puta, ſi ex delatione infantis ad fontem Cathedralis fortaſſis longius diſſitæ de vita periclitaretur.

II. At creſcente poſtea Fidelium multitudine, & ſublata præſertim conſuetudine differendi, & dandi Baptiſmum etiam infantibus in ſabbatis Paſchatis, & Pentecoſtes, factum eſt, ut Baptiſmales fontes multiplicarentur, & pluribus Sacerdotibus publica, & ſolemnis adminiſtratio concederetur: & primo quidem non indiſcriminatim omnibus Presbyteris, immo nec Parochis, ſed aliquibus, qui, ut obſervat Tomaſinus l. ſup. l. n. 2. Decani dicebantur, & fonti baptiſmali præſidebant; qui proinde & ſoli Baptiſmum conferebant, & ſine eorum licentia aliis dare minime licebat. In præſenti vero diſciplina pene in omnibus Parœciis eſt fons Baptiſmalis, ubi Parochi, vel de eo-

um licentia alii Presbyteri Baptiſmum miniſtrant. Venetiis omnes Parochiales Eccleſiæ ſuum habent baptiſmalem Fontem, ubi tamen non ſemper Parochi baptizant, ſed quibuſdam temporibus conſtitutis, deferendi ſunt infantes ad aliquam ex Eccleſiis, quas Matrices vocant, ut inibi tingantur. Ad baptiſmalem igitur fontem, ubi eſt conſtitutum deferendi ſunt infantes ſolemniter baptizandi.

III. Hinc non licet ſine gravi culpa Baptiſmum ſolemniter conferre in domibus, vel etiam in privatis Oratoriis. Nam, ut optime docet Benedict. XIV. in ſua Inſtit. 98. id a ſacris Canonibus omnino vetitum eſt. Quandoquidem can. 19. Concilii in Trullo indicitur: *In Eccleſiis, non in domibus, aut privatis Oratoriis Baptiſma celebretur: contrafaciens Clericus deponatur, laicus excommunicetur.* Et iterum can. 33. *Deponatur Clericus, qui ſine licentia Epiſcopi intra domum, in Oratorio domus ſacrificat, vel baptizat.* Et Clem. V. in Concil. Viennæ (habetur in Clement. de Baptiſmo) omnibus interdicit, Baptiſmum conferre extra caſum neceſſitatis, *in privatis domibus, ſive eorum Oratoriis*, exceptis tamen, inquit Pontifex, *ſi Regem, vel Principem, quibus valeat in hoc caſu deferri, Liberi extiterint; aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam, abſque periculo, acceſſus haberi.* Præterea in omnibus fere Synodis tum Provincialibus, tum Diœceſanis hoc idem ſtatutum habetur, & vetitum extra Eccleſiam ſolemiter baptizare.

IV. Præterea nec licet, niſi urgente periculo mortis, privatim baptizare, reſervando Baptiſmi cæremonias ad aliud tempus. Patet manifeſte tum ex præfata Conſtitutione Clementis V. qui abſolute, & indiſtincte prohibet: „ Ne quis in Aulis, „ vel Cameris, aut aliis privatis domibus, ſed „ dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ſunt ad hoc „ fontes ſpecialiter deputati .... audeat baptiza- „ re. Qui autem ſecus præſumpſerit, aut ſuam „ ad hoc præſentiam exhibuerit, taliter per Epiſ- „ copum ſuum caſtigetur, quod alii attentare ſi- „ milia non præſumant “. Ubi Pontifex non ſolum de ſolemni Baptiſmo loquitur, ſed etiam de privato, cum ſolum neceſſitatis caſum excludat: „ propter quem (inquit Pontifex) nequeat ad Ec- „ cleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus ha- „ beri “. Tum ex Bulla Pauli V. Rituali Romano præfixa, qua omnibus Sacramentorum Miniſtris mandat, & præcipit, ut ea adminiſtrent ſtatutis ritibus, & cæremoniis. Et S. Pius V. ſubdit: *Ritus hujuſmodi, & cæremoniæ in Sacramentis adminiſtrandis præſcriptæ omitti ſine peccato non poſſunt, niſi aliud facere ipſa neceſſitas cogat.* Hinc Juveninus, ſive Auctor Tractatus de Sacramentis Gallice conſcripti, *gravis peccati* reum declarat baptizantem ſine neceſſitate omiſſis cæremoniis: quam ſententiam comprobat & Benedict. XIV. laud. Inſtit. 98. n. 14. ex pluribus Theologis. Habetur etiam in ipſa hac privata adminiſtratione duplex inordinatio. 1. Quod cæremoniæ ab ipſo Baptiſmo ſine neceſſitate disjunguntur, & Baptiſmus ſine cæremoniis confertur. 2. Quod ordo invertatur Baptiſmi, qui confertur ante Exorciſmos, aliaſque cæremonias, quæ debent præmitti. Quapropter ſicut a gravi culpa non excuſaretur Sacerdos, qui in Baptiſmo miniſtrando ita ordinem inverteret cæremoniarum abſque ulla prorſus neceſſitate, ſed ſolum ad libitum, vel in alterius gratiam, ut ſubſequentes Baptiſmum illis præmitteret, quæ præcedere debent; ita non video, quomodo excuſari poſſit, qui totum ordinem Baptiſmi abſque neceſſitate in gratiam, vel obſequium ſive parentum, ſive patrinorum invertit, & nullis adhibitis cæremoniis, & cum ordinis perverſione baptizat. Poteſt tamen Epiſcopus, vel ejus Vicarius Generalis, ut innuit Bened. XIV. juſta impellente cauſa hanc veniam concedere. Quænam autem ſit hæc juſta cauſa, nec ipſe ſtatuit, nec ego ſtatuere audeo. Salubrem tamen, & æquam puto animadverſionem P. Baſſeo Ord. Cap. V. Baptiſmus n. 9. „ Tollenda eſt praxis, „ quæ hoc tempore invaleſcit, ut Paſtores in Pa- „ gis, ubi aliquis eſt domicellus, vel ubi aucto- „ ritatis alicujus vir id poſcit, ſtatim baptizant „ puerum a nativitate; ſed cæremonias differunt „ ad libitum parentum expectantium patrinos. „ Quo jure autem id faciant, non apparet, quia „ obſtat prædicta Clementina. Et ideo operæ pre- „ tium foret, ut Epiſcopi publico Decreto Paſto- „ ribus ſuam mentem hac de re indicarent, tum „ ob importunitatem, quæ eis ſolet invehi, pro- „ pulſandam, tum ne ipſi Paſtores, aut alii id „ petentes ab eis, exiſtiment hoc communiter li- „ citum ob conſuetudinis præſcriptum, quæ tamen „ errori videtur adſcribenda, aut adulationi “.

V. Omiſſæ tamen cæremoniæ ſive licite, ſive illicite, ſunt quantocius ſupplendæ. In hoc quoque conqueritur Benedictus XIV. de negligentia in hiſce ſupplendis, & tandiu differendis, ut qui infans baptizatus eſt, ſuis poſtea pedibus ad Eccleſiam acceſſerit ad præfatum ſupplementum: cujus tantam, abſque urgenti cauſa, dilationem intolerandam dicit, & offenſionem piis afferre. Non eſt igitur diutius differendum cæremoniarum ſupplementum.. In Hæreticis vero ad Catholicam Eccleſiam redeuntibus ſuppleri poſſunt omiſſæ in Baptiſmo cæremoniæ, ſi ipſi petierint, & adulti ſint, ac Paſtori videbitur expedire: ſi vero adhuc ſint infantes, ſuppleantur ad Parentum petitionem.

VI. Quoad tempus vero ſuſcipiendi Baptiſmatis, certum eſt in Eccleſiæ primordiis, determinatum non fuiſſe Baptiſmatis tempus, ſed prementibus perſecutionibus datum fuiſſe omni tempore Baptiſma. At pace Eccleſiis reddita inſtitutum eſt, Baptiſma non miniſtrandum, niſi Sabbato ante Paſcha, & Pentecoſtes, & quidem non ſolum adultis, ſed & parvulis. Nam Matiſconenſe Concil. anni 586. conqueritur, *quod infantes pene per ſingulos dies baptizentur, ita ut vix duo, vel tres reperiantur in Sancto Paſchate baptizandi.* Et Concil. Tolet. 17. titul. de Regul. ſanctæ Fidei cap. 2. vetuit, *quemlibet baptizari in tota Quadrageſima, adeo ut in ejus initio Epiſcopus ſigillo ſuo claudat Baptiſterium, aperiendum in feria quinta Cœnæ Domini, ceſſante neceſſitate.* Præfata tamen conſuetudo ſubſequenti tempore abolita fuit contrario uſu, & ex Conſtitut. 23. Eugenii IV. anni 1442. Solum ſive ad antiqui Ritus memoriam, ſive ad reverentiam, & ſubjectionem teſtandam Eccleſiis Cathedralibus debitam, reſtricta fuit differendi Baptiſmum conſuetudo ad ſolam Majorem hebdomadam, ut pro ſua Cathedrali decrevit S. Carolus Borromæus in Concil. Provinc. IV. Im-

mo Romanum Rituale jubet, ut in adultis baptizandis, præſertim in Cathedralibus, & Metropolitanis Eccleſiis, quando commode fieri poteſt, antiquus Ritus ſervetur.

VII. In præſenti vero Eccleſiæ diſciplina, licet quovis tempore tam infantibus, quam adultis Baptiſmum ſolemniter miniſtrare: ideoque non eſt differendus, ut jubet etiam Rituale Romanum. ſic ſtatuens: *Natos infantes, ſive baptizatos* (ſcilicet ob mortis periculum) *ſive baptizandos, quamprimum fieri poterit* (parentes) *deferant ad Eccleſiam, ne illis Sacramentum tantopere neceſſarium nimium differatur cum periculo ſalutis*. Hinc omnes conſentiunt Theologi etiam benigniores, graviter peccare parentes, ſi Baptiſmi ſuſceptionem diu infanti differant; cum infantes ob ætatis imbecillitatem, & ſupervenientes facillime morbos repente poſſint deficere. At non ita conveniunt in tempore determinando, ultra quod differentes Baptiſmum lethale peccatum committant Parentes deſides. Sunt, qui unius menſis dilationem gravem culpam non inducere cenſent. Sed hæc doctrina adverſatur ſtatuto Eccleſiæ, ut vidimus, in Rituali præcipiente, ut *quamprimum* conferatur Baptiſmus. Et de hujuſcemodi Theologis ſcribit Cardinalis de Luca de juriſdict. Diſt. 52. n. 8. „In „ his, quæ non pendent a foro interno, parum „ Moraliſtis eſt credendum, præcipue attentis le„ gibus Eccleſiaſticis, quæ contrarium præcipiunt, „ & quibus firmiter inhærent Theologi timoratæ „ conſcientiæ “. Alii cenſent abſque lethali culpa differri non poſſe ultra octo, vel novem dies, tamen abſente mortis periculo: nam tunc quælibet levis dilatio, ſicut maxime eſt infanti perniciosa, ita graviſſimi criminis reos facit Parentes, ſive alios quoſcumque infantis curam habentes, qui illum ex levi etiam negligentia perire ſinerent, cum agatur de re maximi momenti. At extra hunc caſum laudatam opinionem non auſim reprehendere, cum plures adducantur a Clericato Synodorum Decreta, quæ præfatum tempus præſtituunt parentibus ad Baptiſmum infantibus procurandum. Sic ſtatuit celeberrimus Eccleſiaſticæ diſciplinæ Inſtaurator Gilbertus Veronenſis Epiſcopus, indicens in ſuo Synodo 1542. *infra decem dies, a die partus, ſub pœna excommunicationis &c.* Et Sanctus Carolus in Synodo Provinciali 1. jubet, *ante nonum diem ad Eccleſiam deferatur infans ad Baptiſmum*. Beatus quoque Cardinalis Barbadicus in ſua Synodo anni 1667. ſtatutum confirmavit prædeceſſoris ſui Marci Cornelio, jubentis, *intervallum octo dierum a natali die labi non ſinant*. Benedict. XIV. in ſua laudata Conſtitut. n. 4. teſtimonium allegat, & doctrinam probat eruditi Viſconti, dicentis, hanc eſſe conſuetudinem Eccleſiæ toto ſtudio a Præſulibus cuſtoditam ne ultra nonum a nativitate diem Baptiſmus differatur. Sic itaque ſcribit: „ Sane ex quo ea tempora „ (Paſchatis, & Pentecoſtes) immutari Sanctis „ Patribus viſum eſt, omnes inde toto pectore in„ cubuerunt, ut nati infantes in Eccleſiam quam„ primum, aut omnino ante nonum diem ad Ba„ ptiſmum deferantur “. Duo tamen hic ſunt notanda. 1. Nullum eſſe vel ſtatutum, vel præceptum de octavo, vel nono die expectando ad Baptiſmum infantibus adminiſtrandum; ut apparet ex Epiſtola Sancti Cypriani ad Fidum Presbyterum, qui putabat Baptiſmum ad octavum diem protelandum. Cui ſic ſcribit: *Quoniam vero ad cauſam infantium pertinet, quos dixiſti . . . intra octavum diem eum, qui natus eſt, baptizandum, non putares, longe aliud in Concilio noſtro viſum eſt omnibus. In hoc enim, quod tu putabas eſſe faciendum, nemo conſenſit; ſed univerſi potius judicavimus, nulli homini nato miſericordiam Dei, & gratiam denegandam*. 2. Si in aliquibus Diœceſibus præcepto, aut ſtatuto vel Epiſcopali, vel Synodali coarctatum ſit tempus ad tertium diem, ut Romæ factum teſtatur Bened. XIV. & in Galliis Genetus Tom. 3. de Baptiſmo, omnino illis parendum eſt, nec niſi juſta, & gravi urgente cauſa a mandatis diſcedendum.

VIII. Quoad adultos vero fuit olim conſuetudo apud Fideles differendi Baptiſmum non ſolum ad provectiorem ætatem, ſed etiam uſque ad mortem. Et quidem in aliquibus pietas in cauſa erat moræ; in aliis libertatis inordinatus amor. Priores ſiquidem verebantur, ne gravius peccarent, ſi ſuſcepto Baptiſmate in crimina laberentur: iſti vero, ut liberius ſuis affectibus indulgerent, & ſuſcepto in morte Baptiſmo ab omni ſoluti culpa, & pœna ex vita decederent. Verum hanc conſuetudinem ſemper Eccleſia deteſtata eſt, quæ protelantes ad mortem Baptiſmum, contumelioſe Clinicos, ſeu lectularios appellabat, & minus dignos habebat, qui ad Presbyteratum aſſumerentur; ut conſtat ex can. 12. Concilii Neoceſarienſis. Laborarunt etiam quam maxime SS. Ambroſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, & Jo. Chryſoſtomus ut perverſam hanc conſuetudinem evellerent. De priori ſiquidem ſcribit Baronius ad annum 374. „ In eo multus fuit, ut pravam illam conſuetudi„ nem, quæ tam in Occidente, quam in Orien„ te uſu temporis invaluerat, qua fideles quam„ plurimi uſque ad provectiorem ætatem baptiſ„ mum differrent, penitus ut malum germen ex „ agro Dominico evellerent; &, quod ſe feciſſe „ doluit, ab aliis, ne impoſterum fieret, vehe„ menter admonuit “. S. Baſilius vero hom. 13. in S. Baptiſma ſic hos Cunctatores revincit: „ Quis tibi vitæ limitem præfixit? Quis certum „ ſenectutis terminum definivit? Quis ſponſor fu„ turorum apud te adeo fide dignus? An non vi„ des infantes abreptos? An non vides eos, qui „ ætate vigent abduci, atque de medio tolli? „ Nullum præfinitum tempus vitæ habes. Quid „ expectas, ut beneficio febris, & munere, Ba„ ptiſma accipias, quando neque ſalutaria verba „ proferre poteris, neque forte tibi clare audire „ licebit, morbo caput ipſum occupante, non ma„ nus ad cælum attollere, non in pedes erigi, „ non genuflectere ad adorandum . . . non paciſci „ cum Deo, non inimico renunciare, neque forte „ in recipiendis initiamentis rem ſcienter profe„ qui, cum dubitent, qui adſunt, utrum ſenſeris „ gratiam, an ſine ſenſu, quæ aguntur, accipias “? Tota eſt legenda Homilia. Paria habet S. Greg. Naziazen. Orat. 40. S. Joan. Chryſoſtom. hom. 1. in Acta.

IX. Modo vero in vigente diſciplina Eccleſiæ circa Adultos ea ſunt ſervanda, quæ docet Sanctus Thomas hic q. 68. art. 3. in corp. ſcribens: „ Adultis non ſtatim, cum convertuntur, eſt ſa„ cramentum Baptiſmi conferendum, ſed oportet

 „ diſ-

„ differre uſque ad aliquod certum tempus. Primo quidem propter cautelam Eccleſiæ, ne decipiatur, Sacramentum ficte accedentibus conferens, ſecundum illud 1. Joan. 4. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint:* quæ quidem probatio ſumitur de accedentibus ad baptiſmum, quando per aliquod ſpatium eorum fides, & mores examinantur. Secundo hoc eſt neceſſarium ad utilitatem eorum, qui baptizantur: quia aliquo temporis ſpatio indigent, ad hoc quod plene inſtruantur de fide, & exercitentur in his, quæ pertinent ad vitam chriſtianam. Tertio hoc eſt neceſſarium ad quandam reverentiam Sacramenti; dum in ſolemnitatibus præcipuis, ſcilicet Paſchæ, & Penteco-ſtes, homines ad Baptiſmum admittuntur, & ita devotius ſacramentum ſuſcipiunt. Hæc tamen dilatio eſt prætermittenda duplici ratione. Primo quidem, quando illi, qui ſunt baptizandi, apparent perfecte inſtructi in fide, & ad baptiſmum idonei ... Secundo propter infirmitatem, aut aliquod periculum mortis". Hactenus D. Th. Quando itaque Catechumeni Baptiſmum expetentes jam a miniſtris idonei habentur ad ſuſcipiendum baptiſma, tenentur ex præcepto illud ſuſcipere, nec diutius differre poſſunt ſine culpa, & quidem gravi, cum maximo ſe bono, & beneficio privent; licet in hac dilatione fortaſſis ſibi bonum finem præſtituant. Num vero cogi poſſint ad ſuſcipiendum Baptiſma, dicemus in Confectariis.

X. Cæremoniæ, quæ in adminiſtrando Baptiſmo adhibentur, & antiquiſſimæ ſunt, & magnopere venerabiles, proinde nulla illarum, etſi leviſſima, omitti poteſt ſine crimine: tum quia agitur de Sacramentis, in quorum adminiſtratione ipſa rei dignitas ſummam poſtulat attentionem, & diligentiam, cum præſertim omnes ad aliquid ſignificandum, & erudiendos fideles ſint ordinatæ; tum ex ſummorum Pontificum, immo ex Concilii Tridentini præceptis, jubentium, ut præfatæ omnes cæremoniæ quam diligentiſſime ſerventur. Quamobrem Miſſionarii Madurenſes non ſunt auſi, nec inſufflationem, nec ſalivæ aſperſionem omittere, licet hæc, ut ipſi prædicabant, Baptiſmi præpedirent ſuſceptionem: & Pontifex non niſi ægerrime per determinatum tempus indulſit, ut inſufflationes occulte facerent, & ſalivæ tinctionem omitterent, cum onere inſtruendi Neophytos de harum cæremoniarum utilitate, & pio uſu. Quapropter ſibi caveant hujus Sacramenti Miniſtri, ne ex nimia præcipitantia, vel ex oſcitantia, & negligentia aliquam etiam levem omittant cæremoniam; præſertim cum hoc ſine adſtantium ſcandalo vix, ac ne vix quidem poſſit contingere. Sacras Cæremonias expendere, & explicare noſtri non eſt inſtituti. Legi poſſunt Sacrorum Rituum expoſitores, tum antiquiores Amalarius Fortunatus, Valfridus Strabo, Alcuinus, Flacius &c. tum recentiores Alba Spineus, Martene, Baruſaldus, Hieronymus, Arnaudus, Claudius Joſephus Vicecomes, aliique, Nonnullas tamen Cap. ſeq. in Confectario 8. ex D. Th. depromptas expoſitiones dabimus.

XI. Duo tamen ſunt expendenda ad noſtrum Inſtitutum pertinentia, ſcilicet Nominis impoſitio, & Patrinorum, ſeu ſuſceptorum aſſiſtentia. Et de priori quidem ſtatuit Bened. XIV. in ſua Bulla *Quam Provinciale*, ne Chriſtifidelibus ſub Mahumetica ditione Turcica nomina imponantur in Baptiſmo, aut illa poſt Baptiſmum ſibi aſſumant, cum hæc ſimulationem præferant, Chriſtianæ ſinceritati prorſus adverſam. Præterea in Rituali Romano præcipitur Parocho, vel alio Sacramenti Miniſtro, ut curet, ne iis, qui baptizantur, obſcœna, fabuloſa, aut ridicula, vel nomina Deorum, vel impiorum Ethnicorum imponantur, ſed, quantum fieri poteſt, ſanctorum. S. quoque Antoninus P. III. tit. 14. cap. 2. §. 2. ſcribit: „ Ad hoc attendi debet, ut imponatur nomen alicujus Sancti, vel Sanctæ, non nomina Paganorum, ut Pyramides, vel Palamades, Lancellotus, & hujuſmodi, vel nomina diminuta .... vel nomina nihil ſignificantia, ut Blando, Lapo, Genevra, & hujuſmodi".

XII. Adhibendi ſunt etiam Patrini ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine, cujus meminit S. Dionyſius, ſive Auctor lib. de Eccleſ. Hierar. cap. 7. Tertull. lib. de Baptiſmo cap. 18. S. Juſtinus, ſive Auctor Quæſtionum ad Orthodoxos quæſt. 56. ſed præſertim S. Auguſtinus epiſt. 98. ad Bonifacium ſcribens: „ Interrogamus eos, a quibus offeruntur parvuli, & dicimus *credit in Deum?* De illa ætate, quæ utrum ſit Deus, ignorat, reſpondent *credit*; & ad cetera ſic reſpondetur ſingula, quæ quæruntur". Qui pariter egregie animadvertit: „ Offeruntur quippe ad percipiendam ſpiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, quamvis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſunt, quam ab univerſa ſocietate Sanctorum, atque fidelium". Hujus ritus convenientiam, & decentiam oſtendit S. Tho. hic q. 67. a. 7. ſcribens: „ Spiritualis regeneratio, quæ fit per Baptiſmum, aſſimilatur quodammodo generationi carnali. Unde dicitur 1. Petri cap. 2. *Sicut modo geniti infantes, ſine dolo lac concupiſcite*. In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, & pædagogo. Unde & in ſpirituali generatione Baptiſmi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, & pædagogi, informando, & inſtruendo eum, quaſi novitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Chriſtianam: ad quod Prælati Eccleſiæ vacare non poſſunt, circa communem curam populi occupati: parvuli enim, & novitii indigent ſpeciali cura præter communem. Et ideo requiritur, ut aliquis ſuſcipiat baptizatum de ſacro fonte".

XIII. Porro hi Patrini, ſeu ſuſceptores, vel ſponſores etiam dicti ex Tridentino Concilio, eſſe non debent, niſi unus, vel duo ad ſummum, ſcilicet, unus, & una. Sic enim decernitur ſeſſ. 24. cap. 2. „ Unus tantum, ſive vir, ſive mulier, juxta Sacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant". Ut autem in Patrinum quis aſſumi poſſit, hæ requiruntur conditiones. 1. Ut ſit, inquit Rituale Romanum, ſaltem in ætate pubertatis conſtitutus. Non ſunt propterea pueri, licet uſu rationis præditi, ad munus Patrini aſſumendi, cum inepti videantur ad vices pædagogi, & magiſtri ſuſtinendas. Animadvertit tamen Juveninus in Galliis admitti poſſe etiam puerum ſeptem annos natum, modo & de Catechiſmo Parocho interroganti bene reſpondeat, & Matrina ſit ad minus duodecim annos nata.

„ Ma-

„ Matrinam ſimilem ſeptem annorum admitte- „ re non renuat Parochus , dummodo Catechiſ- „ mum probe calleat , Patrinuſque ſit ſaltem „ quatuordecim annorum ", ut in Pariſiano Rituali decernitur. 2. Ut ſit Catholicus , & juxta Rituale Romanum etiam Sacramento Confirmationis conſignatus. Nam , inquit S. Antoninus , *debilis non eſt idoneus ad ſuſtentandum debilem* , *ne ambo ſimul cadant* . Bonis etiam , & Chriſtianis moribus ornatur. Sunt proinde repellendi ex primo capite Infideles , quia , ut ſcribit S. Th. hic „ qui „ non eſt baptizatus , non poteſt ſuſcipere baptiza- „ tum , ut eſt declaratum in Concillio Moguntino ; licet non baptizatus poſſit baptizare : quia „ perſona baptizantis eſt de neceſſitate Sacramen- „ ti , non autem perſona ſuſcipientis ". Similiter Hæretici , & Schiſmatici , quippe qui non in ſana doctrina erudire poſſunt , ſed hæreſes , & errores inſinuare. Ex ſecundo vero capite rejiciendi Excommunicati , publici peccatores , Concubinarii , Fœneratores , Hiſtriones , Ebrioſi , ne ſuo pravo exemplo filiorum ſpiritualium mores corrumpant , & illis offenſioni ſint . 3. Patrinus diſtinctus eſſe debet ab infantis parentibus , ut oſtendit S. Tho. hic q. 67. a. 8. ad 2. ſcribens : „ Sicut alia eſt ge- „ neratio ſpiritualis a carnali ; ita etiam debet eſ- „ ſe alia diſciplina , ſecundum illud ad Hebr. 12. „ v. 9. *Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores* , *& reverebamur eos* : *non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum* , *& vivemus?* Et id- „ eo alius debet eſſe Pater ſpiritualis a patre car- „ nali , niſi neceſſitas contrarium exigat ". 4. Ut Patrini munus , & officium exerceat , debet vel infantem , dum abluitur , tangere , & tenere ; vel , ſi Baptiſmus fit per immerſionem , de Sacro Fonte ſuſcipere , & levare . Quapropter Patrini non fiunt , qui ſolum extra ablutionem puerum vel tenent , vel tangunt , vel etiam ad interrogata reſpondent ; qui proinde & plures aſſumi poſſunt : quia , ut inquit S. Th. l. l. „ eſſet confuſio diſciplinæ , niſi eſſet „ unus principalis inſtructor . Et ideo in Baptiſmo „ unus debet eſſe principalis ſuſceptor : alii tamen „ poſſunt admitti , quaſi coadjutores ".

XIV. Ex ſuſceptione in Baptiſmo oritur cognatio , ſive affinitas ſpiritualis , quæ contrahendum impedit Matrimonium , & dirimit contractum. Hoc impedimentum olim ad plures ſe extendebat , ſcilicet ad uxorem patrini , ad ejus filios , & etiam ut docet S. Thom. ad omnes mulieres carnaliter a patrino cognitas ; ut videre eſt in S. Antonin. P. III. tit. 15. §. 1. At modo ex Trident. Concilio ſolum locum habet inter patrinum & baptizatum , nec non inter illius patrem & matrem . 2. Inter baptizantem , & baptizatum , ac hujus parentes tantum . En Tridentini verba ſeſſ. 24. cap. 2. „ Statuit , ut unus tantum , ſive vir , ſive mu- „ lier . . . . vel ad ſummum unus , & una bapti- „ zatum de baptiſmo ſuſcipiant ; inter quos , ac „ baptizatum ipſum , & illius patrem & matrem , „ nec non inter baptizantem & baptizatum , ba- „ ptizatique patrem & matrem tantum ſpiritualis „ cognatio contrahatur ". Porro hanc ſpiritualem cognationem non ſolemni Baptiſmo , ſed & in privato contrahere baptizantem ex neceſſitate omnes communiter docent Theologi : & merito , cum in jure declaratum ſit Cap. *Ad Limina* 30. Quando conjugis filius alter conjux baptizat nullam contrahere cognationem , nec ab uſu contracti matrimonii per hoc impediri . Ex quo infertur , quemcumque baptizantem , etiam in neceſſitate , præter proprium filium legitimum , contrahere hoc impedimentum . Audiatur D. Thom. qui hanc doctrinam ſic illuſtrat Supplem. quæſt. 56. art. 1. „ Aut ſpiritualis cognatio inducitur cauſa neceſ- „ ſitatis ; ſicut cum pater baptizat filium in arti- „ culo mortis : & tunc non impedit actum matri- „ monii ex neutra parte : aut inducitur extra ca- „ ſum neceſſitatis ex ignorantia : & tunc ſi ille , „ ex cujus actu inducitur , diligentiam adhibuit , „ eſt eadem ratio , ſicut & de primo : aut ex in- „ duſtria extra caſum neceſſitatis : & tunc ille , „ ex cujus actu inducitur , amittit jus petendi de- „ bitum : ſed tamen debet reddere , ſi petatur ; „ quia ex culpa ejus non debet aliquod incom- „ modum alius reportare ". At non ita conſentiunt , ſi quis in privato Baptiſmo infantem ſuſcipiat , & munus obeat patrini : aliqui enim cenſent , non contrahere , quia ſuſceptoris munus eſt cæremonia ab Eccleſia inſtituta ſolum pro ſolemni Baptiſmo , nec ullo modo requiſita in Baptiſmo privato . Immo addunt , quod ſi quis proteſtetur ſe velle munus patrini obire , & teneat in privato Baptiſmo infantem , adhuc nullam contrahat cognationem ; eo quia non ſit in ejus poteſtate , vel voluntate ritum Eccleſiæ mutare , & inducere impedimentum , quod Eccleſia non ſtatuit niſi pro ſolemni Baptiſmo . Alii e contra putant , cognationem contrahi a ſuſcipiente etiam in privato Baptiſmo , cui opinioni adhæreo . Animadverto tamen primo , non eſſe neceſſarium patrinum pro Baptiſmo privato ex neceſſitate adminiſtrato . 2. Poſſe tamen adhiberi , cum nullum jus id vetet ; & innuit Sanctus Thomas hic quæſt. 67. art. 8. ad 2. ubi oſtendens alium eſſe debere patrinum in Baptiſmo a patre naturali , excipit caſum neceſſitatis , dicens : „ Alius debet eſſe pater ſpiritualis „ a carnali , niſi neceſſitas contrarium exigat " . Supponit igitur poſſe adhiberi : alioquin dixiſſet in Baptiſmo ex neceſſitate locum non habere patrinum . 3. Non omnem forte tenentem puerum in privato Baptiſmo eſſe ſtatim dicendum patrinum : hoc enim poteſt contingere contra mentem tenentis , qui materialiter teneat puerum , quin cogitet de munere patrini obeundo . Oportet igitur , ut in privato Baptiſmo & eligatur , qui munus patrini ſubeat , & iſtud in ſe ſuſcipiat ſciens , & volens . Quo poſito , puto probabilius hunc & verum eſſe patrinum , & impedimentum cognationis ſpiritualis inde oriri , his permotus argumentis . 1. Quia Tridentinum Concilium nullo modo diſtinguit inter privatum , & ſolemnem Baptiſmum , & uno tenore loquitur de miniſtrantibus Baptiſmum ſolemnem , & privatum : unde ſicut in hoc ſecundo baptizatos contrahit cognationem ita , idem dicendum videtur & de ſuſcipiente . 2. Ritus adhibendi patrinum in Baptiſmo antiquiſſimus eſt , nec ullum extat in antiquitate veſtigium de Baptiſmo aliquando ſine patrinis adminiſtrato , cum haberi potuerint . 3. Patrinus non ſolum requiritur , ut reſpondeat pro baptizato in cæremoniis Baptiſmi ſolemnis , ſed etiam ut infantis ſpiritualem curam ſuſcipiat , cujus non minus indiget , qui baptizatur Baptiſmo ſolemni , quam qui privato ; nec in gratiam ſolemnitatis

tis Baptiſmi requiritur patrinus, ſed in gratiam ipſius baptizati, ut aperte docet S. Th. q. 67. a. 7. & in ſuppl. q. 56. a. 2. dicens: „ ſpiritualis „ generatio non perficitur niſi per aliquod Sacra„ mentum, unde non videtur conveniens, quod „ ſpiritualis cognatio contrahatur niſi per aliquod „ Sacramentum “. Tota igitur ex S. Th. ratio cognationis ſpiritualis eſt ex Sacramento: at hoc integrum habetur & in privato Baptiſmo: ergo eadem cognatio oriatur, neceſſe eſt. Hinc de patre baptizati ſuſcipiente in privato Baptiſmo filium ſuum idem eſt habendum judicium, ac de ipſo baptizante; & attendenda D. Thom. doctrina, quam mox dedimus, deſumptam ex Decret. Alex. III. cap. *Si vir* ſic ſtatuentis: „ Si vir, vel mu„ lier ſcienter, vel ignoranter filium ſuum de ſa„ cro fonte ſuſceperit, num propter hoc ſeparari „ debeant. Conſultationi tuæ reſpondemus, quod „ quamvis generaliter ſit inſtitutum, ut debeant „ ſeparari; quiddam tamen humanius ſentientes, „ aliter ſtatuimus: adeoque videtur, quod ſive „ ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non „ ſunt ab invicem ſeparandi, nec alter alteri de„ bitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam „ ſervandam poſſint induci: quia ſi ex ignorantia „ id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur; „ ſi ex malitia, illi ſua fraus non debet patroci„ nari “.

XV. Qui infantem de Sacro Fonte ſuſcipiunt, non per ſe, ſed per procuratorem, nihil, quod vetitum ſit, faciunt: nam ſecundum jura poteſt quis per Procuratorem agere, quod poteſt per ſeipſum juxta Reg. 77. de Reg. juris in 6. *Qui facit per alium, perinde eſt, ac ſi facit per ſeipſum.* Et ita ſe habet conſuetudo ab Eccleſia non reprobata, ut Magnates, & Principes de Sacro Fonte per Procuratorem levent infantes. Ipſi proinde, non eorum Procuratores, cognationis ſpiritualis contrahunt impedimentum. Ita declaravit non ſemel Congregatio Concilii, ut refert Ferrarius.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Non ſemper neceſſe eſt, ut infantes in propria Parochia Baptiſma ſuſcipiant.*
II. *Adulti quando peccent Baptiſmum differendo.*
III. *In Baptiſmo ſuſcipiendo ſuæ Eccleſiæ ritus ſervari debet.*
IV. *Sine patrinis ſolemne Baptiſmum dare grave peccatnm eſt.*
V. *Nec infideles, nec hæreticos licet in patrinos aſſumere. Num ſpiritualem cognationem, ſi aſſumantur, contrahant.*
VI. *Quid præſtare debent patrini, ut cognationem contrahant.*
VII. *Patrini tenentur a ſe ſuſceptos de Sacro Fonte inſtruere.*
VIII. *Cæremoniæ non inutiliter ſupplentur etiam poſt Baptiſmnm.*

Conſectarium Primum.

I. NOn ſemper neceſſe eſt, ut infantes in propria Parœcia, & a proprio Parocho ſolemniter baptizentur; immo & aliquando non licet. Patet manifeſte 1. Si Epiſcopus velit Baptiſmum miniſtrare: illi enim tanquam principaliori Miniſtro ſuis ovibus competit Sacramenta conferre. 2. Si forte in Civitate unus ſit tantum fons Baptiſmalis, ad eum enim deferri debent infantes: & tunc non a Parocho, ſed ad Baptiſmalis fontis Præſidem pertinet Sacramentum adminiſtrare. Peccaret proinde Parochus, qui vel in propria Parœcia, ubi fons Baptiſmalis non adeſt, vel in loco, ubi erectus eſt, baptizare vellet, quippe qui alienum jus violaret, ut egregie docet Bened. XIV. Inſtit. 99. n. 10. adducto etiam Cardinalis Petra in ſuis ad Apoſtolicas Conſtitutiones Commentariis Tom. 4. p. 286. teſtimonio aſſerentis: „ Poſt E„ piſcopos Sacerdotes ſunt Miniſtri Baptiſmi, non „ quidem omnes indiſtincte, ſed ii quibus ex offi„ cio competit baptizare: quinimmo non omnes „ Parochi Baptiſma ſuis ovibus miniſtrare poſ„ ſunt, ſed ii tantum, qui Eccleſiis Matricibus, „ aut Baptiſmalibus præſunt “. Sunt igitur mores, conſuetudines, & jura Eccleſiarum cuſtodienda. Quamobrem non licet Miſſionariis, nec in locis Infidelium hos ad fidem converſos ſolemniter baptizare, ſi adſit Epiſcopus, vel Parochus; ut declaravit Sacra Congregatio in Neapolitana juris baptizandi die 22. Febr. anni 1688. Excipiendum tamen, niſi Præſidi domus Catechumenorum ex privilegio conceſſum ſit, Infideles in ea domo ad Catechumenorum detentos baptizare, ut Venetiis mos eſt.

Conſectarium Secundum.

II. Adulti Catechumeni differentes Baptiſmi ſuſceptionem graviter peccant: at directe præcepto Eccleſiæ ad illud ſuſcipiendum obſtringi non poſſunt. Et quidem graviter peccare Catechumenos Baptiſmi ſuſceptionem differentes apparet manifeſte, tum ex neceſſitate medii, tum ex neceſſitate præcepti. Peccant enim graviter, quia medium ad ſalutem omnino neceſſarium negligunt; & quia præceptum a Chriſto impoſitum non implent; quamvis enim non ſit determinatum tempus ſuſceptionis Baptiſmi; dicendum tamen eſt tunc obligare, quando commode ſuſcipi poteſt, & ad illud nihil aliud deeſt niſi Catechumeni voluntas, unde dilatio ex ejus ſolum vel negligentia, vel deſidia oriatur. Et ſicut urget præceptum de Chriſti fide amplectendo, ſtatim ac eſt ſufficienter propoſita; ita urget præceptum de Baptiſmate ſuſcipiendo, ubi opportuna eſt ejus ſuſceptio. Non poſſe autem præcepto Eccleſiæ directe cogi Catechumenos ad ſuſcipiendum determinato tempore Baptiſma, ex eo patet, quia, ut inquit Trid. Concil. ſeſſ. 14. cap. 2. *Eccleſia judicium in neminem exercet, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus.* Indirecte tamen poteſt, certum videlicet deſignando tempus, quo rite, ac decenter poſſint baptizari; qua proinde neglecta opportunitate, contra divinum præceptum delinquere cenſeantur: tunc enim clarum erit, & apertum a Catechumeno ex negligentia, vel deſidia Baptiſmi ſuſceptionem differri.

Conſectarium Tertium.

III. In Baptiſmo ſuſcipiendo quilibet Catholicus ſuæ

ſuæ Eccleſiæ Ritum ſervare debet. Hinc Græci Apoſtolicæ Sedis communione gaudentes debent ſuo ritu Baptiſmum conferre, & trinam immerſionem, & ſuam formam ſervando, & aquam adhibendo per ipſos Græco more benedictam. Illis tamen inhibetur ſacram Euchariſtiam pueris vel ſub una, vel ſub utraque ſpecie miniſtrare, nec non in fronte baptizatos conſignare, ubi antiqua non prævalet conſuetudo; de qua dicemus in ſeq. parte cap. 7. confect. 1. Ita declaravit Benedict. XIV. in ſua Bulla *Etſi Paſtoralis*, ubi etiam declarat Filio Patris Latini, & Matris Græcæ eſſe latino ritu Baptiſma miniſtrandum. At, ſi pater Græcus ſit, & mater Latina, liberum erit patri ritum, quem maluerit, eligere. Baptizati vero Græco ritu juriſdictioni Parochi Græcorum ſubjecti erunt.

Conſectarium Quartum.

IV. Sine patrinis Baptiſmum ſolemnem adminiſtrare grave peccatum eſt. Licet patrinorum ſuſceptio ad ſubſtantiam non pertineat Sacramenti, & in privato Baptiſmo ex neceſſitate omitti ſine culpa poſſint; tamen in ſolemni Baptiſmo ex Eccleſiæ præcepto, perpetua traditione firmato, ſunt adhibendi. Quamobrem qui eos vel repellerent, vel negligerent, gravem irrogarent Sacramento injuriam, & ritum violarent ab Eccleſia præſtitutum, præter ſcandalum, quod ex eorum vel repulſa, vel omiſſione ſequeretur. Patrinos autem deligere primo ad parentes pertinet, poſtea vero ad ipſum Parochum, vel Presbyterum baptizantem. Similiter præceptum Eccleſiæ violarent, qui plures, quam unum adhiberent, vel ad ſummum unum, & unam; cum hoc a Trid. Concilio fuerit juſtis de cauſis conſtitutum; & hujus ſtatuti violationem lethalem culpam inducere docet Barboſa de Offic. & Poteſt. Epiſc. par. 2. Alleg. 30. n. 4. & de Offic. & Poteſt. Paroch. par. 2. cap. 18. n. 26. pluribus aliis aſſentientibus Juris Canonici Doctoribus, & ab ipſo citatis, qui etiam addit, nec Epiſcopum diſpenſare poſſe, ut plures aſſumantur patrini in Baptiſmo, cum ſuper Conciliarem Conſtitutionem diſpenſandi non habeat poteſtatem. Si tamen plures deſignati de Fonte baptizatum ſuſcipiant, omnes cognationis ſpiritualis impedimentum incurrunt, tum cum ipſo baptizato, tum cum ejus parentibus: licet enim Tridentina Synodus, ne plures adhibeantur, vetet, non tamen plurium admiſſionem irritat; nihil enim circa hoc innovavit; ſed antiquos Canones in ſuo robore reliquit. Porro in antiquioribus Canonibus, ut videre eſt in Cap. *Quamvis* de Cognatione ſpirituali in 6. ſtatuebatur: *Quamvis non plures, quam unus vir, vel una mulier accedere debeant ad ſuſcipiendum de Baptiſmo infantem, ſi tamen plures acceſſerint, ſpiritualis cognatio inde contrahitur, matrimonia contrahenda impediens, & etiam poſt contracta diſſolvens.*

Conſectarium Quintum.

V. In patrinos eligi non poſſunt nec Infideles, nec Hæretici: & ſi priores deligantur, cognationis impedimentum non conſurgere probabile eſt; quod tamen oritur, ſi poſteriores ſuſcipiant. Et quidem grave peccatum eſſe, Infidelem, vel Hæreticum ad munus patrini aſſumere, præſertim cum fidelis, & Catholicus haberi poteſt, videtur manifeſtum: quia injuria irrogatur Sacramento, & inepti, atque indigni aſſumuntur ad munera Patrini exercenda, cum inſtruere non poſſint, vel nonniſi perverſe edocere infantem; nec unquam erunt de ejus inſtructione, vel ſalute ſolliciti. Additur quod etiam Infidelium irriſioni Sacramentum, & hæreticorum ſubſannationi Eccleſiaſticæ cæremoniæ exponuntur. Quapropter in pluribus Synodis Provincialibus vetitum eſt, Hæreticos ad ſuſceptoris munus aſſumere. Num vero in Germania, aliiſque locis, ubi Catholici cum Hæreticis permixti ſunt, liceat vel Catholico aſſiſtere tanquam patrinus in Baptiſmo ab Hæretico collato, vel Hæreticum hominem aſſumere tanquam patrinum in Baptiſmo a Sacerdote ritu catholico adminiſtratum, non conſentiunt Theologi. Nam licite primum fieri poſſe affirmat Laymanus, cujus tamen argumenta minime mihi probantur. Et ſunt, 1. quia ſuſcipiens ſuo miniſterio ſolum profitetur hominem ſpiritualiter genitum ſe ſuſcipere in curam ſuam, tanquam ſpiritualis ejus nutritius, & pædagogus: quod profecto homini catholico vetitum non eſt, immo expediens ſaluti infantis, quem in catholicis dogmatibus inſtruere poterit. 2. Quia catholicus patrinum agens, neque active, neque paſſive concurrit ad indebitam miniſtrationem Baptiſmi ab hæretico miniſtro factam. At oppoſitam ſententiam unice probabilem exiſtimo, nec ullo modo licitum catholico patrinum agere in Baptiſmo ab hæretico ritu indebito adminiſtrato. Nam 1. nullo pacto licet communicare in rebus ſacris cum hæreticis. Porro nihil ſanctius in Eccleſia, quam Sacramentorum adminiſtratio: & in Baptiſmo maximam partem habet, qui patrinum agit. Hæretici in contemptum Romanæ Eccleſiæ ſacras Baptiſmi cæremonias omittunt; & loco illarum concionem habent, qua ſuam hæreticam praxim confirmant. Porro huic omiſſioni conſentit patrinus; & ejus dicta ſua præſentia adprobare videtur. Denique patrinus cognationem contrahit cum baptizato, & ejus parentibus, profecto non alia de cauſa, niſi quia cum ipſis communicat in divinis, & in Sacramenti adminiſtratione, & ſuſceptione. Nec obſtat, etiam baptizantem, & ſuſcipientem filium hæretici cum ipſo cognationem ſpiritualem contrahere. Nam tunc in Baptiſmum catholice adminiſtrante, vel in ſuſceptore nihil habetur, quod ſanctum non ſit; nec ulla adeſt communicatio ſpiritualis cum hæretico, cum quo cognatio oritur ex Sacramento rite, &, ut decet, exhibito, & ex Eccleſiæ ſtatuto. In primo caſu oritur quidem cognatio ex inſtituto Eccleſiæ, etiam hæreticis licet ſubditos rebelles obligante: at communicatio habetur in prava Baptiſmi adminiſtratione, & in communione cum hæretico. Quoad alteram partem ſtatuit quidem Laymanus, ordinarie non licere hominem hæreticum adſciſcere ad munus patrini: addit tamen, quod, ſi gravis cauſa, aut neceſſitas urgeat, permitti poteſt. Et exemplum affert Parœciæ, in qua, expulſo hæretico Miniſtro, Catholicus Parochus inductus eſt; cui a ſuis Parochianis adhuc hæreticis exhibentur filii baptizandi, ſed adſtante patrino hæretico: quem ſi Parochus recuſet, vel

vel filii deferuntur ad alium locum, ab hæretico Miniſtro baptizandi; vel privatim baptizantur omiſſis eccleſiaſticis cæremoniis; vel Sacramentum abſque patrino foret adminiſtrandum contra ritum Eccleſiæ. Verum adhuc urgent Synodalia Decreta, quæ interdicunt, hæreticum hominem in patrinum adhibere, quæ profecto lata ſunt pro iis locis, in quibus hæretici catholicis ſunt permixti; ac facile eſt, ut hæreticus homo ad ſuſceptoris munus aſſumatur. Quamobrem cenſerem a Catholico Parocho Sacramentum adminiſtrante nihil circa hoc agendum inconſulto Epiſcopo, qui re bene perpenſa expendat, num ad majora vitanda mala hoc inconveniens ſit ſaltem per aliquod breve tempus tolerandum.

Quoad impedimentum vero ſpiritualis cognationis, certum quidem eſt, hoc conſurgere, ſi hæreticus vel baptizet, vel ſuſcipiat baptizatum, cum hi legibus Eccleſiæ ſubdantur. Pariter certum videtur, ſi infidelis ſit, qui vel baptizat, vel de ſacro fonte ſuſcipit, juxta S. Thom. nullam ſpiritualem contrahere cognationem: ſcribit enim in IV. diſt. 42. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 1. ad 3. „Non „baptizatus non poteſt aliquem levare de ſacro „fonte, cum non ſit membrum Eccleſiæ ... quamvis poſſit baptizare, quia eſt creatura Dei, cujus typum gerit baptizans: nec tamen aliquam „cognationem contrahere ſpiritualem poteſt, quia „eſt expers ſpiritualis vitæ, in qua homo primo „naſcitur per Baptiſmum". Si itaque infidelis nullam contrahit cognationem ſpiritualem, nec baptizatus, nec ejus parentes contrahunt; cum hæc cognatio relativa ſit, & uno deficiente relationis termino nec alter referri poſſit. Et cum S. Thom. ſentiunt Sotus, Barboſa, Fagnanus, Sanchez, plurimique tum Juris, tum Theologiæ Magiſtri, qui etiam inferunt hunc infidelem, ſi poſtea ad fidem convertatur, matrimonium contrahere poſſe vel cum baptizato, vel cum ejus parentibus: quia juxta Juris Regulam 18. in 6. *Quod ab initio invalidum fuit, non poteſt tractu temporis invaleſcere*; nec ulla habetur lex, quæ ſtatuit hanc cognationem ex Baptiſmo reviviſcere. Verum, cum oppoſitum ſentiant Gloſſa, Archidiaconus, & S. Antoninus, aliique Doctores, Auctor eſſem Parocho, ne hos in matrimonium jungeret inconſulto Epiſcopo, vel etiam, ſi opus eſſet, Apoſtolica Sede.

Conſectarium Sextum.

VI. Ad ſpiritualem cognationem contrahendam neceſſe eſt, ut patrinus infantem tangat, ſeu de Fonte levet: quandoquidem hæc eſt illa actio, per quam patrinus proteſtatur, ſe curam ſuſcipere ſpiritualis inſtructionis filii. Hinc ſi plures ſint, qui Baptiſmo aſſiſtant, ſed unus ſolum ſuſcipiat, hic cognationem contrahit, non vero alii. Quod ſi plures ſuſcipiant, licet hoc ab Eccleſia vetitum ſit, inſpiciendum, num omnes ſint deſignati a parentibus, & tunc omnes cognationem contrahunt, ut diximus conſect. 4., ſi partim ſint a parentibus, partim a Parocho, ſolum primi veri patrini ſunt, & cognationi obnoxii: nam non ad Parochum, ſed ad parentes ſpectat patrinos deligere, ut patet ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. de Reformat. matrimonii jubente: „Ut Parochus, antequam „ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter „ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel „quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte „ſuſcipiant; & eum, vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat". Si vero non ſint a parentibus, vel ad quos ſpectat, deſignati; tunc ab ipſo Parocho eligi poterunt. Si vero ex incuria, vel negligentia parentum, vel Parochi nullus ſit deſignatus; ille, qui ſuſcipit de fonte, cognationem contrahit: quod ſi plures accurrant, & in ea perturbatione plures tangant, videndum, quis prior infantem tetigerit, & ille ſolum cognationem ſubibit. Quod ſi primus deſignari non poſſit, omnes cognationem contraxiſſe ſtatuendum eſt. Qui infantem de ſacro fonte levat, tanquam Procurator alterius nomine, non ipſe, ſed mittens, ſeu mandans contrahit cognationem, ut pluribus S. Congregationis Decretis ſtatutum eſt. Qui aſſiſtit & infantem tenet, dum in Eccleſia omiſſæ ſupplentur cæremoniæ, nullam contrahit cognationem: at bene quidem, ſi Baptiſmus ſub conditione ex juſto dubio iteretur. Patrinus, & matrina nullam inter ſe cognationem contrahunt. Hinc maritus, & uxor eumdem puerum poſſunt de ſacro fonte levare, quin ab uſu matrimonii impediantur. Quod vero olim vetitum ſit, in cauſa fuit cognatio, quam tunc contrahebant, quæ modo per Tridentinum ſublata fuit. Monachi prohibentur munus patrini aſſumere pluribus Decretis in Jure Canonico inſertis. Num vero & Regulares hoc interdicto comprehendantur, ſunt qui ambigunt. Verum certum puto hoc munus & illis pariter vetitum; cum in Rituali Romano juſſu Pauli V. edito aperte ſtatuatur, ut *ad hoc munus* (patrini) *admitti non debeant Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujuſvis Ordinis Regulares, a ſeculo ſegregati*. Præterea id etiam vetitum habetur in fere omnium Regularium Ordinum Conſtitutionibus. Immo in pluribus Conciliis Provincialibus, & Diœceſanis ipſis etiam Eccleſiaſticis ſæcularibus vetitum eſt munus patrini ſuſcipere. Satis ſit afferre ſtatutum S. Caroli Borromæi in 2. Concil. Provinciali (habetur in Actis Eccleſiæ Mediol. P. IV. tit. de Inſtructione Baptiſmi) ubi ſic præcipitur: *Nec vero Monachos, Regulares, Clericoſve ſeculares ſacris initiatos ad infantem de Baptiſmo ſuſcipiendum adhiberi* (Parochus) *ſinat*.

Conſectarium Septimum.

VII. Patrini tenentur ſuos ſpirituales filios in Baptiſmo ſuſceptos, juxta opportunitatem, & indigentiam, inſtruere. Ita docent SS. Auguſtinus, & Thomas. Ille quidem ſerm. 163. de Tempore ſcribens: „Vos ante omnia tam viros, quam „mulieres, qui filios in Baptiſmo ſuſcepiſtis, moneo, ut vos cognoſcatis fidejuſſores apud Deum „extitiſſe, & ideo ſemper illis ſollicitudinem veſtræ caritatis impendatis, admoneatis, ut caſtitatem cuſtodiant &c.". Alter vero hic q. 67. art. 8. dicens: „Unuſquiſque obligatur ad exequendum officium, quod accepit. Dictum eſt „autem, quod ille, qui ſuſcipit aliquem de ſacro fonte, aſſumit ſibi officium pædagogi. Et „ideo obligatur ad habendam curam de ipſo, ſi „neceſſitas immineret; ſicut eo tempore, & loco, „in quo baptizati inter infideles nutriuntur".

Di-

Dixi juxta opportunitatem, & indigentiam: quia ſtatim ſubdit S. D. „ Sed ubi nutriuntur inter ca„ tholicos, ſatis poſſunt ab hac cura excuſari, „ præſumendo, quod a ſuis parentibus diligenter „ inſtruantur. Si tamen quocumque modo ſenti„ rent contrarium, tenerentur ſecundum ſuum mo„ dum ſaluti ſpiritualium filiorum curam impen„ dere “.

Conſectarium Octavum.

VIII. Cæremoniæ non inutiliter ſupplentur etiam poſt datum Baptiſma. Jure diximus cap. præced. n. 5. ſupplendas eſſe cæremonias ob urgentem neceſſitatem in privato Baptiſmo omiſſas, & graviter peccare eos vel omittentes, vel diutius differentes. Hic igitur etiam ex D. Thom. oſtendimus, non inutiles eſſe, licet dentur poſt Baptiſmum, quando jam pulſus eſt Dæmon ab anima, & deletum peccatum. Nam de Exorciſmis obſervat D. Thom. hic q. 71. art. 3. ad 3. „ Non fru„ ſtra ſupplentur poſt Baptiſmum: quia ſicut im„ peditur effectus Baptiſmi, antequam percipiatur; „ ita poteſt impediri poſtquam fuerit perceptus “. De ſaliva vero dicit ib. in corp. „ Aliud impedi„ mentum eſt intrinſecum, prout ſcilicet homo „ ex infectione peccati originalis habet ſenſus „ præcluſos ad percipienda ſalutis Myſteria “. Unde Rabanus de Inſtit. Cleric. lib. 1. cap. 27. ad fin. dicit, „ quod per ſalivam typicam, & Sa„ cerdotis tactum ſapientia, & virtus divina ſalu„ tem Catechumeni operatur, ut aperiantur ei na„ res ad percipiendum odorem notitiæ Dei, ut „ aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei, „ ut aperiantur illi ſenſus in intimo corde ad reſ„ pondendum “. De Unctionibus vero ſcribit hic q. 66. a. 10. ad 2. „ Uſus Olei, vel Chriſmatis „ adhibetur ad quandam ſolemnitatem. Nam pri„ mo baptizandus inungitur oleo ſancto & in pe„ ctore, & in ſcapulis, quaſi athleta Dei, ut Am„ broſius dicit in lib. 1. de Sacram. cap. 2. ſicut „ pugiles inungi conſueverunt. Unde ſicut Innoc. „ III. dicit in quadam Decret. (cap. *Cum ve„ niſſet*) de ſacra Unctione: *Baptizandus in pe„ ctore inungitur, ut per Spiritus Sancti donum „ errorem abjiciat, & ignorantiam, & fidem re„ ctam ſuſcipiat;* quia juſtus ex fide vivit. *Inter „ ſcapulas autem inungitur, ut per Spiritus San„ cti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, „ & bonam operationem exerceat*; *quia* fides ſine „ operibus mortua eſt; *ut per fidei Sacramentum „ ſit munditia cogitationum in pectore, & per ope„ ris exercitium fortitudo laborum in ſcapulis*. Poſt „ Baptiſmum vero, ut Rabanus dicit laud. lib. „ cap. 28. *Statim ſignatur in cerebro a Presbytero „ cum ſacro Chriſmate, ſequente ſimul & oratione, „ ut Chriſti regni particeps fiat, & a Chriſto Chri„ ſtianus poſſit vocari*. Vel ſicut Ambroſius dicit „ laud. lib. 3. de Sacram. *Unguentum ſuper caput „ effunditur, quia ſapientis ſenſus in capite ejus: „ ut ſcilicet ſit paratus omni petenti de fide redde„ re rationem* “.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

De effectibus, & promiſſionibus Baptiſmi.

DOCTRINA.

I. *Primus Baptiſmi effectus remiſſio peccatorum.*
II. *Secundus remiſſio omnis pœnæ.*
III. *Tertio effectus Gratiæ ſanctificantis infuſio.*
IV. *Cum qua & virtutes, & dona Spiritus Sancti infunduntur.*
V. *Quartus effectus ſpecialis gratia.*
VI. *Quintus effectus characteris impreſſio.*
VII. *Quid ſpondeant fideles in Baptiſmo.*

I. PLures a Sanctis Patribus & Doctoribus Eccleſiæ enumerantur Baptiſmi effectus. Et 1. quidem eſt remiſſio, & condonatio peccati Originalis, & omnium actualium ante ipſum commiſſorum. Hoc ita certum eſt, ut catholicum dogma conſtituat adverſus antiquiores Pelagianos, & recentiores Hæreticos, illos quidem peccatum Originale negantes, iſtos vero non remitti peccata mentientes, ſed ſolum tegi, occultari, non imputari. Et revera in Scripturis omnia peccata remitti per Baptiſmum aperte dicitur Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*. Et iterum 22. *Baptizare, & ablue peccata tua*. Ad Roman. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus; conſepulti autem ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem... hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt a peccato*. Et 1. ad Corinthios cap. 6. enumeratis gravioribus ſceleribus, quibus in Gentilitate coinquinati erant, dicit: *Hæc quidam fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis*. Hanc Catholicam doctrinam perpetua traditione cuſtodierunt, & tradiderunt Patres, & tanquam articulum Fidei prædicat Eccleſia in Symbolo canens: *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*. Hanc veritatem pluribus in locis confirmavit Doctor Angelicus adductis Scripturæ teſtimoniis, ſed præſertim hic quæſt. 69. artic. 1. in corp. ubi allato mox adducto textu Apoſtoli ad Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus*, ſubdit: „ Poſtea concludit (Apoſtolus) „ *ita & vos exiſtimate mortuos quidem eſſe pecca„ to, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu Domino „ noſtro*. Ex quo patet, quod homo per Baptiſ„ mum moritur vetuſtati peccati, & incipit vive„ re novitati gratiæ: Omne autem peccatum ad „ priſtinam vetuſtatem pertinet. Unde conſequens „ eſt, quod omne peccatum per Baptiſmum tol„ latur “.

II. Se-

II. Secundus effectus eſt remiſſio omnis pœnæ, ſive æternæ, ſive temporalis coram Deo pro peccatis debitæ. Ita docent Patres omnes, Tertull. lib. de Bapt. Clem. Alex. lib. 1. Pædagogi cap. 6. S. Greg. Nazianz. Orat. in Baptiſmate Chriſti, S. Hieronymus epiſt. ad Oceanum, & S. Auguſtinus lib. 2. de Peccat. Merit. & Remiſſ. Hanc doctrinam catholicam confirmarunt & Concilia. In Florentino in Decreto Eugenii dicitur: *Sacramenti Baptiſmi effectus eſt remiſſio omnis culpæ, originalis, & actualis, & omnis quoque pœnæ: & morientes poſt baptiſmum ſtatim ad Regnum cælorum perveniunt; atque idcirco nullam baptizatis pro peccatis præteritis imponendam eſſe ſatisfactionem.* Et in Tridentino ſeſſ. 5. in decreto de peccato Originali ſtatuitur: „ Nihil prorſus poſt Baptiſma renatos ab ingreſſu cæli remorari ". Porro hac de cauſa D. Thom. hic q. 69. art. 7. in corp. inter Baptiſmi effectus enumerat aperitionem januæ cælorum: quia ſcribit: „ aperire januam Regni cæleſtis eſt removere impedimentum, quo quis impeditur regnum cæleſte introire: hoc autem impedimentum eſt culpa, & reatus pœnæ. Cum autem per Baptiſmum omnis culpa, & omnis reatus pœnæ tollatur; conſequens eſt, quod effectus baptiſmi ſit aperitio januæ regni cæleſtis ". Quare ex perpetua Eccleſiæ praxi nulla pœnalia imponuntur opera pro peccatis ante Baptiſmum admiſſis: quæ indulgentia proculdubio in perniciem cedere baptizatorum, ſi in ipſis aliqua ſupereſſet obligatio ad aliquam pœnam pro præteritis peccatis luendam, quæ in hac vita neglecta, durius eſſet exſolvenda poſt mortem. Hujus autem pleniſſimæ remiſſionis cauſa ea eſſe videtur, quia per Baptiſmum homo perfecte renaſcitur ad novam vitam, & fit tanquam modo genitus infans; proinde in eo omnia veteris vitæ veſtigia penitus abolentur. Vel etiam, ut ſcribit Sanctus Thomas hic quæſt. 69. art. 2. „ Per baptiſmum aliquis incorporatur paſſioni, & morti Chriſti, ſecundum illud Rom. 6. v. 8. *Si mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam vivemus cum eo.* Ex quo patet, quod omni baptizato communicatur Paſſio Chriſti ad remedium, ac ſi ipſe paſſus, & mortuus eſſet. Paſſio autem Chriſti, ſicut dictum eſt, eſt ſufficiens ſatisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille qui baptizatur, liberatur a reatu totius pœnæ ſibi debitæ pro peccatis, ac ſi ipſe ſufficienter ſatisfeciſſet pro omnibus peccatis ſuis ". Et ideo dixerat q. 68. art. 5. in corp. „ Ei, qui baptizatur, pro quibuſcumque peccatis non eſt aliqua ſatisfactio imponenda: hoc enim eſſet injuriam facere paſſioni, & morti Chriſti, quaſi ipſa non eſſet ſufficiens ad plenariam ſatisfactionem pro peccatis baptizatorum ".

III. Tertius effectus eſt infuſio gratiæ ſanctificantis. Non defuerunt antiquiores Theologi, quorum meminit Innoc. III. in cap. *Majores*, qui opinati ſunt, parvulis quidem per baptiſmum culpam remitti, ſed gratiam minime conferri: quo pacto eos quidem ab æterna damnatione eripiebant; ſed a vita æterna, cujus ſemen eſt gratia, excludebant. Quare ſic illos refellit D. Th. hic q. 69. a. 6. ſcribens: „ Quidam antiqui poſuerunt, quod pueris in Baptiſmo non dantur gratia, & virtutes; ſed imprimitur eis character Chriſti, cujus virtute, cum ad perfectam ætatem venerint, conſequuntur gratiam, & virtutes. Sed hoc patet eſſe falſum dupliciter. Primo quidem, quia pueri, ſicut & adulti, in Baptiſmo efficiuntur membra Chriſti. Unde neceſſe eſt, quod a capite recipiant influxum gratiæ, & virtutis. Secundo, quia ſecundum hoc pueri decedentes poſt Baptiſmum non pervenirent ad vitam æternam; quia, ut dicitur Roman. 6. v. 23. *gratia Dei eſt vita æterna*: & ita non profeciſſet eis ad ſalutem baptizatos fuiſſe ". Adverſatur etiam catholicæ doctrinæ Calvinus, qui docet baptizatos juſtificari quidem, ſed non per juſtitiam ſibi inhærentem, ſed per imputatam juſtitiam Chriſti: cujus errorem damnavit Trid. Synodus can. 10. & 11. definiens: „ Si quis dixerit hominem juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione excluſa gratia, & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque in illis inhæret ... anathema ſit ". Et merito cum Apoſtolus ad Tit. 3. dicat: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quod effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* In quibus Apoſtoli verbis argumenta continentur, & probationes Catholicæ veritatis. Nam dum primo affirmat, hominem per Baptiſmum regenerari, & renaſci, inde etiam intelligitur, eum accipere novam ſpiritualem vitam, qua antea carebat, & quæ nihil aliud eſſe poteſt, quam gratia ſanctificans. 2. Dum itidem dicit per Baptiſmum renovari, quomodo iſtud, amabo, niſi interiori gratia donetur? 3. Dum dicit evadere filium Dei, & hæredem, non jam per naturalem generationem, ſicut Chriſtus ſecundum divinitatem eſt filius, nec ſecundum unionem hypoſtaticam: ſupereſt igitur per adoptionem, ſicut Angeli in Cælo, proinde per gratiam Sanctificantem, quæ eſt divinæ naturæ participatio. 4. Denique, dum innuit per Baptiſmum eumdem incorporari Chriſto, ejuſque membrum conſtitui, profecto gratiam ab hujus capitis plenitudine manantem participet, oportet.

IV. Cum gratia ſanctificante infunduntur etiam ſupernaturalia dona, & virtutes. Nam intimam præſeferunt cum illa connexionem habitus omnes fidei, ſpei, & caritatis, & aliarum infuſarum virtutum, qui ab illa, tanquam proprietates ab eſſentia, & tanquam potentiæ vitales ab anima, dimanant, ut definitur a Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. docente: *In juſtificatione .... per Spiritum Sanctum diffunditur caritas in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque in ipſis inhæret. Unde in ipſa juſtificatione .... accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, caritatem.* S. Th. quoque in loc. mox cit. docuit, cum gratia infundi & virtutum habitus. Qui etiam animadvertit, huic veritati minime obſtare, quod in pueris non appareant actus harum virtutum, immo ad illos videantur omnino inhabiles. Nam ſubdit: „ Iſta impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, ſed ex impedimento corporali, ſicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur ab actibus virtutum propter ſomnum ". Similiter non obſtat, quod adulti Ba-

Baptiſmum ſuſcipientes eandem experiantur difficultatem operandi, quam ante Baptiſmum habebant. „ Nam hæc difficultas operandi ab inordi- „ natis concupiſcentiæ motibus provenit , quibus „ tamen prædominantur habitus in Baptiſmate in- „ fuſi ".

V. Quartus Baptiſmi effectus eſt gratia ſpecialis, vires ſuppeditans ad rite obeunda Chriſtianæ profeſſionis officia. Jam in Prima Par. de Sacramentis in Gener. diff. 3. cap. 5. n. 10. docuimus, omnia Sacramenta præter gratiam ſanctificantem, vel primam, vel ſecundam, afferre aliam gratiam propriam, & peculiarem cujuſque Sacramenti. Cum itaque per baptiſmum homo chriſtianæ vitæ profeſſioni ſeſe addicat, & devoveat; in eo gratiam accipit validiores vires præbentem ad ea, quæ ſunt hujus vitæ officia, & munia rite, & digne capeſſenda, & explenda: conſequenter ambigendum non eſt, homini baptizato præſto eſſe copioſa, & valida divinæ gratiæ auxilia ad Chriſti legem implendam, & initæ religionis miniſteria laudabiliter obeunda; & ad hæc auxilia opportunis temporibus obtinenda jus quoddam, & pignus anticipate in ipſomet Baptiſmo dari, ut loc. cit. explicavimus.

VI. Quintus Baptiſmi effectus eſt Characteris indelebilis impreſſio, quæ ſemper ſubſequitur Baptiſmum valide, etſi nec licite, nec ſancte perceptum. Veritatem hujus Catholicæ aſſertionis definivit Trid. Synodus ſeſſ. 6. can. 9. de Sacram. in genere ſtatuens: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſint; anathema ſit.* Ante Tridentinum idem definierat Eugenius in ſuo Decreto §. 4. Immo longe ante Innocent. III. in cap. *Majores* indicaverat. Nec mirum: quia in perpetua Eccleſiæ traditione fundatam, cujus teſtis eſt maximus Sanctus Auguſtinus pluribus in locis ſuorum Operum. Recolantur ea, quæ diximus I. Par. de Sacram. in gen. Diſſ. 2. cap. 7. n. 2. ubi cuncta, quæ ad characteris Sacramentalis notitiam pertinent, præcollegimus. Hic ſolum adnotandum ſupereſt, ad characterem quoque ipſum, veterum Scholaſticorum vulgata phraſi, Baptiſmi, & Sacramenti nomen transferri. Hi ſiquidem in unoquoque Sacramento, & præcipue in iis, quæ characterem imprimunt, juxta S. Thom. doctrinam hic q. 66. art. 1. tria hæc ſolebant diſtinguere, 1. id, quod eſt Sacramentum tantum; 2. id, quod eſt res Sacramenti; 3. id, quod eſt ſimul res, & Sacramentum. Prima appellatione deſignant id, quod ſignificat, ſed non ſignificatur, ſcilicet externum ritum ex materia, & forma conſtantem, qui eſt Sacramentum proprie dictum. 2. Vero appellatione deſignant rem ſignificatam, at non ſignificantem, ideſt gratiam in Sacramento collatam, quæ per exterius ſignum denotetur. 3. Vero nomine ex utroque compoſito id deſignant, quod ſimul ſignificat & ſignificatur, ſcilicet in hoc Sacramento characterem impreſſum, quippe qui & eſt res Sacramenti, quatenus per externum ſignum, ſive Sacramentum producitur, & ſignificatur; ſed eſt & Sacramentum, quatenus interiorem ſanctificationem ipſe deſignat. Audiatur S. Thom. l. l. ſcribens: „ In Sacramento Baptiſmi eſt tria con- „ ſiderare; aliquid ſcilicet, quod eſt Sacramentum tantum; aliquid, quod eſt res, & Sacra- „ mentum; aliquid vero, quod eſt res tantum. „ Sacramentum tantum eſt aliquid viſibile exterius „ exiſtens, quod ſcilicet eſt ſignum interioris effe- „ ctus: hoc enim pertinet ad rationem Sacramen- „ ti: exterius autem ſuppoſitum ſenſui eſt ipſa a- „ qua, & ejus uſus, qui eſt ablutio ..... Res au- „ tem, & Sacramentum eſt character baptiſmalis, „ qui eſt res ſignificata per exteriorem ablutio- „ nem; & eſt ſignum ſacramentale interioris ju- „ ſtificationis, quæ eſt res tantum hujus Sacra- „ menti, ſcilicet ſignificata, & non ſignificans". Hinc dicitur Baptiſmi *Sacramentum* ſemper haberi, ſemper retineri, nec unquam amitti ratione characteris relicti. Unde appoſite ajebat S. Auguſtinus tract. 3. in 1. Joan. Epiſt. *Ecce accepit Sacramentum nativitatis homo baptizatus, Sacramentum habens, & magnum Sacramentum, divinum Sacramentum, ineffabile .... videat, ſi habeat caritatem, & tunc dicat, natus ſum ex Deo; ſi autem non habet, characterem quidem impoſitum habet, ſed deſertor vagatur.*

VII. In ſacro Fonte Baptiſmi coram Deo, Sanctis Angelis, & tota Eccleſia fœdus inimus cum Domino, qui ſua infinita miſericordia a Diaboli captivitate ereptos in ſuum transfert Regnum & gloriam, in filios ſuſcipit & hæredes Chriſti. Nos videlicet ſancte ſpondemus Domino ſemper adhæſuros, illum pro vero Deo habituros, & ejus mandata fideliter cuſtodituros. Quapropter, cum nulla poſſit eſſe conventio Chriſti, & Belial, abrenuntiamus Satanæ, abrenuntiamus omnibus pompis ejus, abrenuntiamus operibus. Abrenuntiando Satanæ, fidem ſpondemus Deo, cultum, reverentiam, Religionem, pietatem. Abrenuntiando operibus ejus, ſpondemus munditiam, caſtimoniam, refrænationem paſſionum, & abſtinentiam, immo fugam ab operibus carnis: *Manifeſta ſunt opera carnis* (ſcribit S. Paul. ad Gal. 5.) *quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur.* Abrenuntiando denique pompis, ſpondemus fugere profanas omnes vanitates, ſpectacula, theatra, choreas, ludos, nec non luxum, & denique quidquid ſuperbiam noſtram ſua ſpecioſitate, & falſo ſplendore fovet, nutrit, auget: *Pompa diaboli eſt* (inquiebat S. Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſi 2. Myſtag.) *in Theatris ſpectacula, in Hyppodromo curſus equorum, Venationes, & reliqua; omnis hujuſmodi vanitas, a qua poſtulans liberari David*, Averte, *inquit*, oculos meos, ne videant vanitatem. *Non ergo ſis curioſus in frequentia ſpectaculorum, &c.* Non deſunt Theologi, inter quos Merbeſius, qui putant, has ſolemnes promiſſiones veram voti rationem, & vim habere. Et revera ſancti Patres eas promiſſiones vota appellant. *Noſtrum VOTUM, maximum* (ſcribit S. Auguſt. ep. 59. ad Paulinum) *quo nos vovimus in Chriſto eſſe morituros.* Magiſter ſententiarum in IV. diſt. 38. *commune votum* appellat, quod in Baptiſmo omnes faciunt. Immo nec S. Th. refugit has abrenuntiationes vota vocare, ſcribens 2. 2. q. 68. a. 2. ad

ad 1. „ Sub voto baptizatorum cadit abrenuntiare „ pompis Diaboli, & fidem Chriſto ſervare; quia „ voluntarie fit, licet ſit de neceſſitate ſalutis “. Qui tamen mentem ſuam explicans, docet rationem voti large, & minus proprie convenire promiſſionibus illis. Sic enim ſcribit in corp. „ Quod „ non habet abſolutam neceſſitatem, ſed neceſſitatem finis, puta quia ſine eo non poteſt eſſe „ ſalus, cadit quidem ſub voto, in quantum voluntarie fit, non autem in quantum eſt neceſſitatis. Illud autem, quod non cadit ſub neceſſitate abſoluta, nec ſub neceſſitate finis, omnino „ eſt voluntarium: & ideo hoc propriiſſime cadit „ ſub voto “. Idem docuerat luculentius in IV. Diſt. 30. a. 17. q. 1. ad 2. „ Neceſſitas faciendi illa, „ ſine quibus non poſſumus ſalutem conſequi, „ non excludit omnino votum: invenitur enim „ quandoque votum large accipiendo eſſe de his, „ quæ ſunt ſub tali neceſſitate. Sed excludit talis „ neceſſitas votum proprie dictum. Et ideo, ſi „ votum accipiatur ſecundum propriam ſui rationem, eſt proprie de bonis illis, ad quæ non omnes tenentur, quæ ſupererogationis ſunt “.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Per Baptiſmum non tolluntur vitæ pœnalitates*,
II. *Concupiſcentia per Baptiſmum non tollitur, at minuitur*.
III. *Per Baptiſmum non liberatur homo a pœna per judicem infligenda, nec a corporali ſervitute*.
IV. *Baptiſmus ficte ſuſceptus recedente fictione reviviſcit*.
V. *Baptiſmus æqualem effectum producit in infantibus, inæqualem tamen in adultis*.
VI. *Improbitas Miniſtri efficaciam non minuit Baptiſmi, nec probitas auget*.
VII. *Per Baptiſmum homo idoneus fit ad alia Sacramenta percipienda*.
VIII. *Gravius peccant Chriſtiani, quam infideles*. *Reflexio*.

Conſectarium Primum.

I. PEr Baptiſmum non tolluntur illi defectus, quos Theologi vocant pœnalitates, quæ non per ſe quidem humanam conditionem ſequuntur, ſed per accidens ex peccato primi Parentis ortum habuere. Hæ pœnalitates ſunt corporis, animique morbi, dolores, fomes, ſitis, & denique mors, quas per Baptiſmum non auferri experientia inſpicimus. Sed ratio eſt aſſignanda, cur ſublata malorum iſtorum cauſa, culpa ſcilicet originali, tamen tam diri non tollantur effectus. Et primo quidem animadvertendum illos tolli, quatenus ſunt effectus peccati, cum non amplius ad punitionem remaneant: abſolute tamen non tolluntur in hac vita ex divinæ providentiæ benigniſſima diſpoſitione, ut ſic relicti nobis proſint ad Chriſti imitationem, qui eos omnes defectus, exceptis ignorantia, & concupiſcentia, in ſe aſſumpſit; ad ſpiritualis pugnæ, & virtutum exercitationem; probationem fidei; ad divinæ gratiæ in carnis infirmitate oſtendendam potentiam; ad humilitatis conſervationem; ad memoriam promeritæ damnationis; ad facilem terrenæ felicitatis contemptum; denique ad cæleſtium bonorum deſiderium accendendum. Audiatur D. Thom. hic q. *69*. a. 3. ſcribens: „ Baptiſmus habet virtutem auferendi „ pœnalitates præſentis vitæ, non tamen eas aufert in præſenti vita ..... I. quia per Baptiſmum homo incorporatur Chriſto, & efficitur „ membrum ejus. Chriſtus autem a principio „ conceptionis fuit plenus gratia, & veritate; habuit tamen Corpus paſſibile, quod poſt paſſionem, & mortem eſt ad vitam glorioſam reſuſcitatum. Unde & Chriſtianus in Baptiſmo gratiam conſequitur quantum ad animam: habet „ tamen corpus paſſibile, in quo pro Chriſto pati „ poſſit; ſed tamen reſuſcitabitur ad impaſſibilem „ vitam .... Secundo propter ſpirituale exercitium, ut videlicet contra concupiſcentiam, & „ alias pœnalitates pugnans homo, victoriæ coronam accipiat .... 3. Ne homines ad Baptiſmum accederent propter impaſſibilitatem præſentis vitæ, & non propter gloriam æternam “. Dixerat autem has pœnalitates virtute Baptiſmi auferendas a juſtis in reſurrectione, *quando mortale hoc induet immortalitatem*.

Conſectarium Secundum.

II. Quoad Concupiſcentiam tamen obſervat D. A. eam omnino non tolli per Baptiſmum, ſed minui, & ita ſubjici voluntati per gratiam corroboratæ, ut in Baptizati cedat utilitatem, & fiat virtutis materia, & humilitatis occaſio. Sic enim ſcribit II. ſent. Diſt. 32. q. 1. a. 1. in corp. „ Diſpoſitio ad malum, quæ fomes, & concupiſcentia dicitur, non ex toto tollitur, quia illa diſpoſitio ſequitur conditionem naturæ per peccatum corruptæ). Baptiſmus autem non purgat „ naturam, niſi quantum pertinet ad infectionem „ perſonæ .... Sed tamen diſpoſitio illa per Baptiſmum minuitur, in quantum gratia, qua quis in „ Baptiſmo conſequitur, in contrarium inclinat „ ei, ad quod fomes diſponebat; & ita virtus fomitis in nobis minuitur per auxilium gratiæ “. Et in IV. Diſt. 4. q. 2. a. 1. quæſtiuncula 3. ſubdit: „ Per gratiam Baptiſmi efficitur, ut hæ pœnæ (inter quas recenter rebellionem carnis ad „ ſpiritum) non dominentur in perſonam, ſed magis ei ſubjiciantur; & in utilitatem ipſius cedant, in quantum ſunt materia virtutis, & occaſio humilitatis, & exercitii “.

Conſectarium Tertium.

III. Per Baptiſmum homo nec a temporali pœna, pro criminibus ſibi infligenda a temporali poteſtate, nec a ſervitute corporali liberatur. Et primum quidem docet S. Th. hic q. *69*. a. 2. ad 3. ſcribens: „ In pœnis, quæ judicio humano inferuntur, non ſolum attenditur, qua pœna ſit homo dignus quoad Deum, ſed etiam in quo ſit „ obligatus quoad homines, qui læſi, & ſcandalizati ſunt per peccatum alicujus. Et ideo, licet homicida per Baptiſma liberetur a reatu pœnæ quoad Deum, remanet tamen adhuc obligatus quoad homines, quos juſtum eſt ædificari „ de pœna, ſicut ſunt ſcandalizati de culpa. Pie

„ Pie tamen talibus Princeps poſſet pœnam indul-„ gere “; vel mitius agere cum iis, qui poſt facinora ſincere eligunt baptizari. Sed nec a corporali ſervitute liberari docet, & probat A. P. II. ſent. Diſt. 4. art. 2. ad 3. ſcribens: „ Baptiſmus „ non delet ſtatim omnes pœnalitates ex peccato „ primi parentis conſequentes, ſicut neceſſitatem „ moriendi, & cœcitatem, vel aliquid hujuſmodi; „ ſed regenerat in ſpem vivam illius vitæ, in qua „ omnia illa tolluntur: & ſic non oportet, ut ali-„ quis ſtatim baptizatus a ſervitutis conditione li-„ beretur, quamvis illa ſit pœna peccati “. Ideo Apoſtolus Oneſimum ſervum Philemoni Domino remiſit, & ad Corinth. 1. cap. 7. ſervis in Chriſto regeneratis ſcribebat: *Unuſquiſque, in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Servus vocatus es? non ſit tibi curæ; ſed, ſi potes fieri liber, magis utere.*

Conſectarium Quartum.

IV. Virtute Characteris in Baptiſmo impreſſi, licet indigne, & ficte ſumpto, reviviſcit tamen, & fructum ſuum profert Baptiſma remota fictione. Veritas hujus doctrinæ patet ex iis, quæ diximus P. P. Diſſ. 2. Cap. 6. Conſect. 3. & probatur a D. Th. IV. ſent. Diſt. 4. q. 3. a. 2. quæſtiuncula 3. ad 2. ſcribente: „ Baptiſmus, recedente fictione, ha-„ bet illum effectum, quem prius habuiſſet, ſi fi-„ ctio non fuiſſet. Et ideo peccata præcedentia „ Baptiſmum remittit quoad culpam, & quoad „ pœnam. Sed peccata ſequentia remittuntur vir-„ tute contritionis, quæ fictionem amovet quoad „ culpam, ſed non quantum ad pœnam totalem “. Affert etiam in ſuæ doctrinæ confirmationem Auguſtini auctoritatem lib. 1. de Baptiſmo cont. Donat. cap. 12. ſcribentis: *Fateantur, vero Baptiſmo Chriſti baptizari poſſe hominem; & tamen cor ejus in malitia, vel ſacrilegio perſeverans peccatorum abolitionem non ſinere fieri ... In illo, qui fictus acceſſerit, fit, ut non denuo baptizetur, ſed ipſa pia correctione, & veraci confeſſione purgetur; quod non poſſet eſſe ſine baptiſmo, ut quod ante datum eſt tunc incipiat valere ad ſalutem, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit.* Hæc tamen fictio, cum peccatum ſit, Baptiſmum ſubſequens non tollitur niſi per Sacramentum Pœnitentiæ vel in re, vel in voto ſuſceptum, ut diximus loc. laud. confect. 5.

Conſectarium Quintum.

V. Baptiſmus æqualem omnino operatur effectum in parvulis; in adultis inæqualem juxta majorem, vel minorem ipſorum diſpoſitionem. Hujus doctrinæ utramque partem tradit, & evincit S. Th. hic q. 69. a. 8. ſcribens: „ Duplex eſt effectus Baptiſ-„ mi, unus per ſe, alius per accidens. Per ſe „ quidem effectus Baptiſmi eſt id, ad quod Ba-„ ptiſmus eſt inſtitutus, ſcilicet ad regenerandum „ hominem in ſpiritualem vitam. Et hunc effe-„ ctum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter „ ſe habent ad Baptiſmum. Unde quia omnes pue-„ ri æqualiter ſe habent ad Baptiſmum (quia non „ in fide propria, ſed in fide Eccleſiæ baptizan-„ tur) omnes æqualem effectum percipiunt in Ba-„ ptiſmo. Adulti vero, qui per propriam fidem „ ad Baptiſmum accedunt non æqualiter ſe ha-„ bent ad baptiſmum: quidam enim cum majori, „ quidam cum minori devotione ad baptiſmum ac-„ cedunt. Et ideo quidam plus, quidam minus de „ gratia novitatis accipiunt: ſicut etiam ab eo-„ dem igne accipit plus caloris, qui plus ei „ appropinquat; licet ignis, quantum eſt de „ ſe, æqualiter ad omnes ſuum calorem effun-„ dat “. Fieri tamen poteſt, ut tam parvulus, quam adultus ex divinæ largitionis munere majus aliquid accipiat. Unde ſubdit: „ Effectus baptiſ-„ mi per accidens eſt, ad quem Baptiſmus non „ ordinatur; ſed divina virtus hoc in Baptiſmo mi-„ raculoſe operatur: ſicut ſuper illud Rom. 6. *ut* „ *ultra non ſerviamus peccato*, dicit Gloſſa (ex S. „ Auguſtino lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. „ 39.) *non hoc præſtatur in Baptiſmo, niſi forte* „ *miraculo ineffabilis Creatoris, ut lex peccati,* „ *quæ eſt, in membris, prorſus extinguatur.* Et „ tales effectus non æqualiter ſuſcipiuntur ab om-„ nibus baptizatis, & ſi cum æquali devotione ac-„ cedant; ſed diſpenſantur hujuſmodi effectus ſe-„ cundum ordinem providentiæ divinæ “.

Conſectarium Sextum.

VI. Quemadmodum Miniſtri indignitas effectum non impedit, vel minuit Baptiſmi, ita ejus ſanctitas, vel devotio non auget; licet aliquid impetrare valeat. Et quidem Miniſtri impietatem non nocere in Baptiſmo, oſtendimus P. P. Diſſ. 1. cap. 6. n. 5. non autem prodeſſe modo probamus ex S. Auguſtino lib. 3. cont. Creſcon. ſcribente: *Non eſt melior Baptiſmus, qui per meliorem miniſtrum datur; ſed per Miniſtros diſpares Dei munus eſt æquale.* Cui doctrinæ ſubſcribit fidiſſimus ejus diſcipulus D. Th. in IV. Diſt. 5. q. 2. a. 2. q. 4. dicens: „ Effectus per ſe Baptiſmi æqua-„ lis eſt, a quocumque datur, vel a malo, vel „ a bono, ceteris paribus ex parte baptizati “. Qui tamen addit: „ Cum effectu Baptiſmi po-„ teſt aliquid aliud baptizato conferri, ſive per-„ tineat ad ſalutem corporis, ſive animæ ex me-„ rito baptizantis. Sed hoc non eſt proprie ef-„ fectus Baptiſmi, quia Baptiſmus non eſt cau-„ ſa niſi inſtrumentalis, ut non eſt inſtrumen-„ tum agens in virtute Miniſtri, qui & ipſe in-„ ſtrumentum eſt, agens in virtute Chriſti, & „ Dei “.

Conſectarium Septimum.

VII. Per Baptiſmum homo capax redditur ad alia percipienda Sacramenta, & Eccleſiæ juriſdictioni obnoxius efficitur. Primum, quod eſt Catholicum dogma, manifeſte patet, quia Baptiſmus janua eſt, per quam homo Eccleſiam Chriſti ingreditur, in qua cætera Sacramenta, cum pro ſolis regeneratis ſint inſtituta, baptiſmalis Characteris impreſſionem ſemper manentem præſupponunt, quo proinde carentibus ſuum effectum præſtare nequeunt: irrita igitur forent omnia in non baptizatum attentata Sacramenta. Alterum vero docet S. Paulus, dum 1. ad Cor. 5. ſcribit: *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? Nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis? Nam eos, qui foris ſunt, Deus judicabit.* Oportet igitur, ut

quis

quis primum per Baptiſmi januam Eccleſiam ingrediatur; per ipſum enim annumeratur ejus membris, & fit ovis pertinens ad ejus ovile; iis propterea ſubeſſe debet, qui regunt Eccleſiam Dei, qui perſonam Chriſti capitis repræſentant, qui paſcendis, ducendis, curandis ovibus ab ipſo ſupremo Paſtore, ejuſque vice præpoſiti ſunt. Falſam igitur obtrudunt libertatem Lutherani, dum Baptizatos ab omnium humanarum legum gravamine ſolutos jactant, abutentes Apoſtoli Pauli teſtimonio dicentis 1. ad Corinth. 7. *Pretio redempti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*. Libertas ſiquidem a Chriſto nobis promerita, & in Baptiſmo donata, eſt, quæ a ſervitute peccati, vel ab ea, quæ cum peccato eſt conjuncta, nos eripit: illam autem ſervitutem, quæ juſtis titulis debetur hominibus, adeo non prohibet Apoſtolus, ut pluribus in locis clariſſime aſſerat ad Corinth. dicens: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, ſicut Chriſto*. Et ad Hebr. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis; ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*.

Conſectarium Octavum.

VIII. Tametſi ſponſiones in Baptiſmo factæ vim rigidioris voti non obtineant; gravius tamen peccant, & acrius puniuntur Chriſtiani, qui illas violant, quam Ethnici peccantes ſine Baptiſmo. Nihil frequentius inculcatum legitur a Sanctis Patribus, quam gravius delinquere Chriſtianos peccantes, quam Ethnicos. Hinc Chriſtianorum crimina *Idololatriam*, vocant, *Apoſtaſiam*, *Sacrilegium*. *Spirituale Sacrilegium* (inquit Guilel. Pariſien. tract. de Baptiſmo c. 3.) *in ſe ipſo committit, & Templum Dei violat, quandocumque mortali peccato ſe polluit Chriſtianus*. Salvianus de Gubern. Dei lib. 6. *Quædam apoſtaſia fidei eſt, qua quis revertitur ad Diabolum, & relinquit Deum*. Tertull. de Idololatria cap. 18. *Tu ſi Diaboli pompam ejeraſti, quidquid ex ea attigeris, id ſcias eſſe Idololatriam*. Nec a Sanctis Patribus diſſentiunt Theologi, qui omnes D. Th. ſequuntur 2. 2. q. 10. a. 3. ad 3. ita docentem: „ Infidelis pro peccato, infidelitatis gravius punitur . . . ſed pro alio peccato, puta pro adulterio, ſi committatur a fideli, & ab infideli, ceteris paribus, gravius punitur, quia gravius peccat fidelis, quam infidelis, tum propter notitiam veritatis ex fide, tum etiam propter Sacramenta fidei, quibus eſt imbutus, quibus peccando contumeliam facit “. Hanc ſuorum criminum circumſtantiam aggravantem, licet verbo in confeſſione non exponant fideles, explicant tamen facto, etſi ad ipſam non ſatis attendunt; nec illis ponderandam exhibent Confeſſarii, quod tamen præſtare deberent, ut ſui ingrati animi turpitudine confuſi, & magis de commiſſis ſceleribus eos pœniteret, & ad emendationem vehementius impellerentur.

REFLEXIO.

Quæ in Baptiſmo Chriſti viſibilibus ſignis peracta ſunt miracula, ea quoque in cujuſque Baptiſmo, inviſibiliter quidem, at non minori divinæ miſericordiæ miraculo renovantur. In Chriſti Baptiſmo 1. *Aperti ſunt cæli*. 2. *Vox Patris audita eſt, dicentis, hic eſt Filius meus dilectus*. 3. *Deſcendit Spiritus Sanctus, corporali ſpecie, ſicut Columba in ipſum*. Aperti ſunt in Baptiſmo Chriſti cæli; aperiuntur & nobis, quibus ob originale peccatum omnino clauſi erant. Unde egregie ſcribit Beda in cap. 1. Marci: Quod poſt Baptiſma „ Cælos apertos vidit, noſtri utique gratia factum eſt, quibus poſt lavacrum undæ regeneratricis janua panditur Regni Cæleſtis, quæ peccantibus quondam Protoplaſtis, ac Paradiſo ejectis, toto generi humano (interpoſitis cherubim, & flammeo gladio) obtuſa eſt. Extinguitur namque flamma hæc unicuique Fidelium, dum aquis vitalibus tingitur; adeo ut, ſi percepta fide Sacramenta, puro corde, & corpore ſervaverit, ſtatim ſolutus carne, regna poſſit intrare cæleſtia “. Sed quid proderat Chriſtiano apertum in Baptiſmate Cælum, ſi ipſe poſtea ſibi ſuis criminibus claudat; immo pravis habitibus, & pertinacia in peccatis murum ſibi conſtruat, & antemurale, queis ab ejus ingreſſu arceatur? Apertum eſt in Baptiſmo Cælum, ſed ad ejus conſecutionem minime pervenimus, niſi, ut inquit Apoſtolus 2. ad Corinth. *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei*. Chriſtus ſiquidem *dedit ſemeptipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum*: *participes quidem Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque in finem firmum retineamus*. Niſi itaque Chriſto initiati ejus ſequamur exempla, quo ille aſcendit, minime & nos pervenire poterimus. „ Nam Crux Chriſti (nos monet S. Leo M. Serm. de Reſur. Domini) quæ ſalvandis eſt impenſa mortalibus, & Sacramentum eſt, & exemplum. Sacramentum, quo virtus impletur divina; exemplum, quo devotio incitatur humana; quoniam captivitatis jugo erutis hoc etiam præſtat redemptio, ut eum ſequi poſſit imitatio. Nam ſi mundana ſapientia ita in ſuis gloriatur erroribus, ut, quem ſibi quiſque ducem elegerit, ejus opiniones, mores, atque omnia inſtituta ſectetur; quæ nobis erit communio nominis Chriſti, niſi ut ei inſeparabiliter uniamur, qui eſt, ut ipſe inſinuavit, *Via, Veritas, & Vita*? Via ſcilicet converſationis Sanctæ, Veritas doctrinæ divinæ, & Vita beatitudinis ſempiternæ “.

Vox audita eſt in Chriſti Baptiſmo: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Porro hæc vox & ſuper baptizatos reſonat, dicente Apoſtolo Joanne epiſt. 1. cap. 3. v. 1. *Videte, qualem Caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus*. Et D. Jac. c. 1. v. 8. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod Creaturæ ejus*. Porro *ſi filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*. „ O ſublimem filiationis dignitatem! O ineffabilem hæreditatem! Agnoſce, exclamat S. Leo, o Chriſtiane dignitatem tuam, & Divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Memento, cujus capitis, & corporis ſis membrum. Reminiſcere, quia erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & Regnum. Noli te iterum Diaboli ſervituti ſubjicere “. Non digne (exclamat nimio ſtupore correptus Auguſtinus ſerm. 224. al. 164.

164. de Temp.) „ cogitari poteſt illa dignatio „ Dei, & deficit omnis ſermo, ſenſuſque humanus „ veniſſe nobis gratuitam gratiam nullis meritis „ præcedentibus. Ideo & gratia dicitur, quia gra- „ tis datur. Quam gratiam? Ut ſitis membra Chri- „ ſti, Filii Dei, ut ſitis Fratres Unici. Si ille „ Unicus, unde vos fratres? niſi quia ille Unicus „ natura, vos gratia fratres facti ". De hæreditate vero promiſſa, inquit Apoſtolus, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*. Quæ verba expendens S. Greg. M. homil. 37. in Evangelia ſic lætabundus exultat: „ Quæ autem lingua „ dicere, vel quis intellectus capere ſufficiat illa „ ſupernæ Civitatis quanta ſint gaudia? Angelorum „ choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus glo- „ riæ Conditoris aſſiſtere, præſentem Dei vultum „ cernere, incircumſcriptum lumen videre; & nul- „ lo mortis metu affici: incorruptionis perpetuæ „ munere lætari "? Sed heu, quot ſunt inter Ba- „ ptiſmi unda ablutos, qui illam abjiciunt filiationem, hanc immenſam hæreditatem contemnunt, ac pro nihilo habent terram deſiderabilem. Indigni profecto, qui & Chriſtiani audiant; cum Diabolum Chriſto præponant, & ſervi fiant Diaboli, qui prius erant Dei filii. Horum dementiam ſimul, & iniquitatem ſic deteſtatur Tertull. de Pœnit. cap. 5. ſcribens: „ Non leviter in Domino „ peccat, qui cum quando ejus Diabolo Baptiſmo „ renunciaſſet, & hoc nomine illum Domino ſub- „ jeciſſet, rurſum eumdem regreſſu ſuo erigit, & „ exultationem ejus ſe ipſum facit, ut denuo Ma- „ lus recuperata præda ſua, adverſus Dominum „ gaudeat. Nonne (quod dicere quoque periculo- „ ſum eſt, ſed ad ædificationem proferendum eſt) „ Diabolum Domino præponit? Comparationem „ enim videtur egiſſe qui utrumque cognoverit; „ & judicato pronunciaſſe eum meliorem, cujus ſe „ rurſus eſſe maluerit. Ita qui per delictorum pœ- „ nitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, Dia- „ bolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfa- „ ciat, eritque tanto magis peroſus Deo, quanto „ æmulo ejus acceptus ". Vereantur itaque, ne illis exprobret Chriſtus in die judicii, & confundat, dicens, *Vos Diabolo patre nati eſtis*, & concupiſcentias Patris veſtri facere voluiſtis, nullam in Regno meo partem habebitis; ſed diſcedite a me in ignem æternum paratum Diabolo, & Angelis „ ejus, quibus ſerviſtis. „ Horreant itaque, ut „ inquit D. Bernardus 5. de Conſid. cap. 12. hor- „ reant vermen mordacem, & mortem vivacem. „ Horreant incidere in manus mortis viventis, & „ vitæ morientis. Hæc ſecunda mors, quæ nun- „ quam peroccidit, & ſemper occidit. Quis det „ illis ſemper mori, ut non moriantur in æter- „ num? Qui dicunt montibus, cadite ſuper nos, „ & collibus, operite nos, quid niſi mortem mor- „ tis beneficio aut finire, aut evadere volunt? De- „ nique invocabunt mortem, ait, & non veniet.

Deſcendit denique, ſicut ſupra Chiſtum viſibiliter in Columbæ ſpecie, ita inviſibiliter ſuper baptizatos Spiritus Sanctus, qui dona ſua largiſſime in eos effundit, virtutes donat, ornat gratia, & in eis ſedem figit tanquam in ſuo Templo. Unde Baptizatis juſtis ajebat D. Paulus ad Galat. *Quoniam eſtis filii, miſit Deus Spiritum in corda veſtra*; & 1. ad Corinth. 6. *Membra veſtra Templum ſunt Spiritus Sancti*. Merito itaque Sacrilegia appellat Guilelmus Pariſienſis tract. de Baptiſ. cap. 3. baptizatorum peccata ſcribens: *Propter hoc ſpirituale ſacrilegium in ſe ipſo committit, & Templum Dei violat, quandocumque mortali peccato ſe polluit Chriſtianus*.

Hæc tamen, tam ſumma, tam præſtantia, tam divina bona non dantur Baptizatis, niſi prius coram Deo, SS. Angelis, & Eccleſia proteſtentur, ſe renunciare Diabolo, pompis, & operibus ejus. Hanc profeſſionem ſolemnem ſemper præ oculis habeant Chriſtiani, in ea meditentur, onera ſuæ ſponſionis expendant: ſic enim omnes Fideles monet, hortatur, terret Auctor Sermonis de Symbolo cap. 4. inter Auguſtini opera, in Appendice To. 5. ſcribens: „ Vigilet unuſquiſque, ne non ex toto „ renuntians poſt profeſſionem apud eum Diabo- „ lus ſuos pannos recognoſcat, & incipiat reus ſem- „ per detineri, quem Chriſtus voluit ſua gratia „ liberare... Expectatur enim dies judicii, aderit „ ille æquiſſimus Judex, qui nullius potentis per- „ ſonam accipiet, cujus Palatium auro, argento- „ ve nemo corrumpet. Adſtabunt omnes animæ, „ ut referat unaquæque ſecundum ea, quæ per „ corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum. Præ- „ ſto erit & adverſarius Diabolus. Recitabun- „ tur verba profeſſionis noſtræ. Et ſi talis inven- „ tus fuerit quiſque, ut debitor ex hac vita emi- „ gret, exultabit ille adverſarius in conſpectu ſe- „ veriſſimi judicis, ſuperiorem ſe eſſe clamans, „ agens talem cauſam apud talem judicem. Æquiſ- „ ſime, inquiet, jubex juſte judica, *Juſtitia, & „ judicium præparatio Sedis tuæ*. Judica meum „ eſſe, qui tuus eſſe noluit. Meus eſt, mecum „ damnandus eſt. Poſt renunciationem ut quid in- „ vaſit pannos meos? Quid apud eum impudicitia „ faciebat, cui ipſe renunciaverat? Quid intempe- „ rantia, quid ſuperbia, quid cætera mea? Poſtre- „ mo Æquiſſime, fugientem a me, confugientem „ ad te, poſtea cum meis, quibus renunciaverat, „ apprehendi, invaſorem detinui, in ipſa quodam- „ modo mea poſſeſſione a me apprehenſus eſt. „ Quid enim in Circo faciebat, atque ibi furias, „ lites, inſanas voces, inaneſque victorias, dum „ jam a ſe alienus ſibimet dividebat. Quid in Thea- „ tro faciebat renunciator turpium voluptatum? „ Quid in Amphiteatro crudelitates ſuis oculis in- „ tuendo? *Theſaurizavit ſibi iram in die iræ*. Hæc „ omnia mea poſt renunciationem invaſit, meus „ eſſe voluit, & mea concupivit. Judica, judica, „ Æquiſſime, quoniam quem tu dignatus es tanto „ pretio liberare, ipſe mihi ſe poſtmodum voluit „ obligare. Poterit, Dilectiſſimi, os aperire is, qui „ poſt profeſſionem ſuam talis invenitur, ut juſte „ Diabolo addicatur? Videte, quid agatis Filii; „ fratres mei videte, quid agatis, quomodo hanc „ profeſſionem veſtram cuſtodiatis. Conteſtamur „ vos per ipſum judicem, omneſque Poteſtates Cæ- „ leſtes, quæ & nos audiunt admonentes, & vos „ excipiunt profitentes, *ne in vacuum gratiam Dei „ accipiatis*: ſed corde integro, tota virtute, fide „ perfecta, renunciantes, atque ſpernentes tam „ damnoſam Diabolicam hæreditatem, ne pupilli, „ vel pauperes remaneatis ". Hæc loquere, & exhortare, in his eſto Sacræ Pœnitentiæ Miniſter.

DE

DE SACRAMENTIS

PARS TERTIA,

QUÆ EST

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Confirmationis Sacramentum, quod in ſerie ſecundum obtinet locum, explicandum aſſumimus. De eo pertractat A. P. N. in quæſt. 72. hujus tertiæ Partis, & per duodecim articulos exponit illius dignitatem, materiam, ejuſque conſecrationem, formam, characterem alium, qui in Baptiſmo imprimitur, præſupponentem, gratiam ſanctificantem, ſubjectum ad ſuſcipiendum idoneum, partem corporis in ipſius adminiſtratione conſignandam, Miniſtrum Sacramenti, Patrinum aſſiſtentem, & denique circumſtantias aliquas in eo conferendo ſervandas. Nos illius veſtigiis inſiſtentes & hæc omnia, & alia ad Moralem doctrinam pertinentia unica Diſſertatione complectemur, quæ pluribus capitibus abſolvetur.

DISSERTATIO UNICA

DE PERTINENTIBUS AD SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

Hujus Sacramenti varia nomina recenſentur, ejuſdem definitio exhibetur, & dignitas Sacramenti adſeritur.

DOCTRINA.

I. *Varia Confirmationis nomina recenſentur.*
II. *Ejus accurata definitio exhibetur.*
III. *Confirmatio eſt veri nominis Sacramentum.*
IV. *Perpetua traditione firmatur argumento præſcriptionis.*
V. *Et etiam argumento diſcuſſionis.*
VI. *Eſt a Baptiſmi Sacramento plane diſtinctum.*

I. AD Confirmationis Sacramentum deſignandum plura a Sanctis Patribus, & Theologis ſunt adhibita vocabula, ex diverſis hujuſce Sacramenti muneribus, & partibus deſumpta. 1. Ex materia remota, quæ in eo adminiſtrando applicatur, *Sacramentum chriſmatis*, & *unctionis* dicitur. Illud S. Auguſtinus lib. cont. liter. Petiliani cap. 104., *Unguenti myſterium*; Auctor lib. de Eccleſ. Hier. cap. 4. *Chriſma ſpiritualis unguenti*; Theodoretus ad cap. 1. Cant. Cant. *Chriſma ſanctum, & ſupercæleſte*. Concil. Laod. can. 7. & 48. *Chriſma ſalutis*, & S. Leo ſerm. 4. de Nativ. Dom. cap. 5. appellarunt. 2. A materia vero proxima, appellatione ex Actis Apoſtolorum deſumpta *manuum impoſitionem* SS. Cyprianus epiſt. 73. ad Jubaj. Hieronymus in Dialogo adv. Lucif. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cont. Donat. cap. 26. Iſidorus lib. 2. de Eccleſ. Offi. cap. 23. aliique plures nuncupavere. 3. Ex verbis, queis utitur Græca Eccleſia in ejus celebratione, ut inferius dicemus, *Signaculi* appellationem accepit, eaque uſi ſunt S. Cyprianus cit. epiſt. S. Cornelius Papa in epiſt. ad Julium Antiochenum apud Euſebium lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 43. S. Ambroſius lib. de initiandis cap. 7. & S. Leo Papa in cit. ſerm. 4. Ab effectu, ad quem Confirmatio ordinatur, *Sigillum Domini* denominatur a Cornelio Papa in ſupra memorata epiſt., ſed præſertim nomina *perfectionis*, *conſummationis*, & *Confirmationis* ſunt deſumpta. Et primum quidem nomen adhibitum legitur in Concil. Illiberit. can. 38. & a S. Ambroſ. lib. 3. de Sacram. cap. 2. Alterum uſurpatum invenitur a S. Cypriano in epiſt. ad Jubajanum. Tertium denique, quod jam factum eſt tritum & commune, vel Bedæ temporibus ineunte VIII. ſeculo erat in uſu vulgari, adhibitum fuit in Conciliis Arauſicano I. & III. Arelatenſi circa dimidium V. ſeculi celebratis, & a S. Hilario Arelatenſi humil. de Pentecoſtes; immo & in Actis Romanæ Synodi 315. ſub S. Silveſtro Papa, quæ tamen incertæ ſunt fidei, occurrit: ſed a Conciliis Florent. & Trident. retentum in tota Occidentali Eccleſia fere unice uſurpatur.

II. Variæ quoque occurrunt apud Catholicos Auctores definitionum formulæ, quibus Sacramentum Confirmationis explicare ſtuduerunt. Natalis Alex. in ſua Morali Theol. tract. 3. cap. 1. hanc exhibet definitionem: *Sacramentum novæ legis, quo Fideles ad Chriſti fidem palam, & intrepide profitendam, Spiritus Sancti plenitudine roborantur*. Gribaldus vero ſequentem proponit: *Sacramentum N. L. ſpeciale robur Spiritus Sancti ad profitendam fidem ſignificans*. Prolixiorem tradit Honoratus Tournelius, nempe: *Eſt Sacrum, & ſenſibile ſignum, a Chriſto Domino inſtitutum, a ſo-*

ſolis Epiſcopis tanquam ordinariis Miniſtris collatum, in Religione perpetuum, ad conferendam homini baptizato gratiam roborantem, & confirmantem, qua Chriſti fidem conſtanter, & intrepide profiteatur. Verum tam hæc redundantior, quam præcedentes, & ſimiles aliorum definitiones, Confirmationem ſolum per habitudinem ad effectum declarant, nulla partium ejus eſſentialium facta mentione. Quapropter hanc pleniorem puto deſcriptionem: *Eſt Sacramentum novæ legis, quo per impoſitionem manuum, cum Chriſmatis in fronte unctione, ab Epiſcopo facta, ſub præſcripta verborum formula, confertur homini baptizato gratiæ ſanctificantis incrementum, & jus ad ſpecialia auxilia pro fide conſtanter, & intrepide profitenda.* In qua deſcriptione omnia continentur, quæ ad hujus Sacramenti & naturam, & partes, & effectus pertinent: Natura enim in generico nomine Sacramenti; partes in unctione, & impoſitione manuum; effectus in gratia ſanctificante, & auxiliis deſignantur. Quæ omnia fuſius in tota Differtatione explicabuntur.

III. Primo itaque Confirmationi dignitatem aſſerimus Sacramenti, quam illi vix ullus ex antiquioribus hæreticis ante Lutheri tempora auſus eſt eripere: Dixi vix ullus, cum de hoc errore Albigenſes accuſent & Petrus Vallis-Sarnenſis Monachus Ciſtercienſis, & Alanus de Inſulis, ſcribens lib. 3. cap. 5. *Nullam Albigenſes dicunt eſſe virtutem Confirmationis, cum non legatur in libris N. T. inſtituta vel a Chriſto, vel ab ejus Diſcipulis.* At poſt Lutherum omnes ſubſequentes hæretici, Proteſtantes, Calviniſtæ, Sociniani, & cetera harum viperarum genimina Confirmationem ex Sacramentorum numero auferre conati ſunt. At irrito conamine: nam firmum ſemper ſtabit Catholicum Dogma, & in Scripturis ſignatum, & perpetua Patrum traditione ſuffultum, & Conciliorum definitionibus confirmatum. In Scripturis quidem: Nam ritus hodiernæ Confirmationis, quoad ſubſtantiam, ab illo non differt, quo in Apoſtolorum Actis legimus ab Apoſtolis, iis, qui baptiſmum Chriſti ſuſceperant, datum per impoſitionem manuum, & orationem, Spiritum Sanctum; ut infra agentes de materia & forma noſtræ Confirmationis manifeſtum faciemus. Porro ritus in Actis memoratis, ex deſcriptione ibidem facta, verum fuiſſe ſacramentum cognoſcitur: Noſtra igitur Confirmatio tali non caret dignitate. Et revera ritus in Actis deſcriptus, erat 1. cæremonia quædam ſenſibilis, partim in manuum impoſitione, partim in verbis adjunctæ precationis conſiſtens: *oraverunt* dicitur cap. 8. *pro ipſis* (Petrus & Joannes pro Samaritanis, qui receperant verbum Dei, & baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu) *ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat ..... tunc imponebant manus ſuper illos.* 2. Ea Cæremonia habebat vim conferendi gratiam ſanctificantem. Spiritus Sancti nomine ſignificatam: *& accipiebant Spiritum Sanctum*: & quidem tam univerſali, conſtante, & manifeſta efficacitate, ut *cum vidiſſet* (ait S. Lucas) *Simon* (Magus) *quia per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens, date & mihi hanc poteſtatem, ut, cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* 3. Cum præfata ſanctificandi energia tam firmiter, & communiter eidem cæremoniæ non potuerit ineſſe, niſi ex Dei, & Chriſti voluntate, inſtitutione, atque promiſſione, hac ipſa tantum intelligitur inductos fuiſſe ad illam in eum finem adhibendam, & Eccleſiis a ſe fundatis commendandam. Et certe Chriſtus illis verbis Joan. 14. *Rogabo Patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum Spiritum veritatis* &c. non ſolis Apoſtolis, qui non ſemper erant manſuri, ſed omnibus per Baptiſmum Eccleſiæ aggregandis tam eximium donum pollicitus fuit, quod in nova lege univerſale futurum prædixerat; ut obſervavit S. Petrus Act. 2. ex Joel, dicens: *In noviſſimis diebus effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, ſuper ſervos meos, & ancillas meas &c.* Hac promiſſione fretus Apoſtolorum Princeps ſubdebat: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis* (poſt Baptiſmum per Confirmationem) *donum Spiritus Sancti: vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus, qui longe ſunt, quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter.* Hinc & Paulus ad Epheſ. 1. dicebat in Chriſto credentes, *ſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto.* Quare, cum legimus eos, quibus Apoſtoli manus poſt Baptiſmum imponebant, continenter accepiſſe Spiritum Sanctum, dubitare non poſſumus eum modum divinitus inſtitutum, quo promiſſiones antea factæ in ſingulis complerentur. Habuit ergo Cæremonia Apoſtolica eos omnes caracteres, etiam ex hæreticorum ſententia, queis novæ legis Sacramenta inſignita eſſe debent, nempe rationem ſigni ſenſibilis, inſtitutionem divinam, & ſanctificandi virtutem; adde & perpetuitatem, ſi pro vero accipiatur, quod infra apparebit, eam in hodierna Confirmatione eſſe ſuperſtitem, & perſeverare.

IV. Catholicam veritatem confirmat perpetua Eccleſiæ traditio, quæ eſt altera veritatum divinitus traditarum magiſtra. Quæ traditio argumento tum præſcriptionis, tum diſcuſſionis oſtenditur. Præſcriptio in eo obtenditur, quod inſurgente Lutheranorum, & Calviniſtarum, vel etiam ſi lubet, & Albigenſium, conjuratione, univerſæ Eccleſiæ fides Confirmationem in Sacramentorum numero habebat. De Romana, & Occidentali res eſt plane certa, & vel ex ſolo Eugenii IV. pro Armenorum inſtructione Decreto notoria. Sed & Græcos in eadem doctrina ſtetiſſe, ex Hieremiæ Conſtantinopolitani Patriachæ ad Virtembergenſes Auguſtanæ Confeſſionis defenſores reſponſo, quod anno 1575. tranſmiſit, ubi unctionem Divini Chriſmatis inter ſeptem Eccleſiæ Sacramenta recenſet, fit manifeſtum. Nec obeſt, Cirillum Lucar ejuſdem gentis Patriarcham in Confeſſione Orientali, quam ab eo Proteſtantes clandeſtinis artibus, & pecunia anno 1629. elicuerunt, ſolis Baptiſmo, & Euchariſtiæ Sacramentalem locum in nova lege tribuiſſe. Nam ſtatim ac hujus novitatis certiores Græci effecti ſunt, ipſum Auctorem tanquam Apoſtatam, patriæque religionis proditorem damnarunt in pluribus Synodis, & editis Libris confutarunt. Græcis conſentientes Armenos in Confirmationis admittendo Sacramento produnt eorum antiqua Euchologia, ritum illud adminiſtrandi præſcribentia, & recenter ab inſi-

inſignioribus ejus gentis Prælatis habita teſtimonia, de quibus legendus Euſebius Renaudotius in libris de perpetuitate fidei. In quibus Cophtos, & Chaldæos idem ſentire prolatis documentis monſtratur. Æthiopibus quoque non ignotum Confirmationis Sacramentum arguit Ordo myſteriorum ſecundum uſum Æthiopicum recuſus Tom. 6. Bibliothecæ Pat. in quo ejus adminiſtrationis ritus deſcribitur. A Syris quoque admiſſum, & adprobatum teſtatur Jacobus de Vitriaco Hiſt. Hieroſol. cap. 74. Porro tot Nationum, quamvis in teterrimas hæreſes prolapſarum, & ignoratiæ tenebris cæcutientium, in hoc idem dogma conſpiratio, nonne evincit illud olim totam Eccleſiam occupaſſe? Nec enim vel ſomniare quiſquam poteſt, Græcos ipſum didiciſſe a Latinis, poſtquam ſe ab eis diro Schiſma ſepararunt, aut alias Orientales Eccleſias a Græcis, a quibus non minus, quam a Latinis, abalienarunt. At quando, petimus a Novatoribus, tam late dominari cœpit hæc de Confirmatione doctrina? Qua arte potuit tot Gentibus tam diſſitis perſuaderi? Quis Auctor ejus? Quis propagator? Niſi enim hæc nobis detegant Adverſarii (quod facere minime poterunt) Catholicæ ſententiæ Præſcriptio favet, & jure præſumitur ab Apoſtolis derivata, ſemperque credita, quam conſtat aliquando ab omnibus fuiſſe creditam.

V. Addimus & ad traditionis confirmationem argumentum diſcuſſionis, quod in expreſſa cujuſvis ætatis teſtificatione conſiſtit. Et revera jam ſecundo ſeculo eam laudabat Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 7. & de Reſurrect. Carnis cap. 8. & de Præſcript. cap. 40. III. Seculo S. Cyprianus epiſt. ad Jubaj., ad Januarium, & ad S. Stephanum Papam. Firmilianus quoque epiſt. inter Cyprianicas 74. IV. Seculo Illiberitanum Concil. can. 38. Arelatenſe 1. can. 8. Laodicenum cap. 48. S. Cyrillus Hieroſolym. Catecheſi 3. S. Ambroſ. de initiandis cap. 7. & de Sacramentis lib. 1. cap. 7. & lib. 3. cap. 1. & 2. V. ſeculo Innocentius I. in epiſt. ad Decentium. S. Hieronymus in Dial. adv. Lucif. Sanctus Auguſtinus multis in locis, ſed præſertim lib. 2. cont. epiſt. Petiliani cap. 104. Gennadius Maſſilienſis lib. de Eccleſ. Dogm. cap. 52. Hilarius Arelatenſis in hom. de Pentecoſte ſub nomine Euſebii Emiſſeni laudata. VI. Seculo S. Remigius Remenſis in Teſtamento apud Flodoardum lib. 1. cap. 18. Gregorius Turonenſis lib. Hiſt. Franc. cap. 31. S. Gregorius Magnus in Sacramentario, & lib. 3. epiſt. ad Januarium. VII. Seculo S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. de Offic. cap. 16. Beda in Pſal. 26. Amalarius lib. de Offic. Eccleſ. cap. 77. & tot alii, quos ſicut ad poſteriora tempora pertinentes, referre tædet, legendos apud Nat. Alex., Bellarminum, alioſque, qui contra hæreticos de hoc argumento prolixius pertractarunt. Unum ſolum ſupereſt adnotandum, videlicet ex his Patribus, alios Sacramenti nomine Confirmationem expreſſe donare, ut ex antiquioribus Tertullianum 1. contra Marcionem cap. 4. Cyprianum epiſt. 73. Auguſtinum lib. 5. de Baptiſmo cap. 28. & alibi; alios vero, & ſi Sacramentum diſerte non vocent, Sacramenti tamen efficaciam, atque virtutem eidem tribuere dicendo ejus beneficio animam conſecrari, & muniri, conſequi Spiritum Sanctum, perfectionem, conſervationem &c.

VI. Confirmatio non ſolum eſt Sacramentum, ſed etiam a Baptiſmate omnino diſtinctum. Hæc doctrina, quæ ad fidem pertinet, additur præcedenti ad Novatorum evaſiones penitus præcludendas, qui eas laudes Confirmationi a Patribus tributas fuiſſe interpretantur ratione Baptiſmi, cui olim conjungebatur, & non niſi mera erat cæremonia, quæ unam, integramque Baptiſmi functionem complebat. Quod quam falſum ſit, ex eo patet, quod ad longe digniorem ſolemni Baptiſmi Miniſtro, qualis eſt ſimplex Presbyter, & in certis caſibus Diaconus eſſe poteſt, collatorem nempe ad Epiſcopum, pertinere Confirmationem Apoſtolorum exemplum, Patrumque traditio manifeſtat. Quis autem credat, meram Baptiſmi cæremoniam illis fuiſſe denegatam, quibus ipſum præbere Baptiſmum concedebatur; cum qui, quod majus eſt, agere valet, poſſit & quod minus in eodem ordine reputatur? Accedit, Confirmationem longum plerumque tempus poſt ſolemnem Baptiſmi adminiſtrationem, propter Epiſcoporum abſentiam, differri etiam antiquitus conſueviſſe. Præterea nonniſi completo Baptiſmo, & ad novum beneficium, & utilitatem conſequendam ſuperaddi a Patribus jubebatur. *In nobis* (inquiebat Tertull.) *carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit, quomodo & ipſius Baptiſmi carnalis actus, quo in aqua mergimur, ſpiritualis effectus, quo delictis liberamur*. Et Concil. Laodic. cap. 48. ajebat: *Oportet eos, qui illuminantur poſt Baptiſma inungi ſupercæleſti chriſmate, & eſſe, Regni cæleſtis participes*. Quarto denique addimus, per Confirmationem baptizatos plenos, perfectoſque Chriſtianos fieri, docuiſſe Patres, & ſine illa aliquid deeſſe ad integram ſanctificationem: quod profecto eximium bonum, vel detrimentum a ſimplicis cæremoniæ vel impletione, vel defectu pendere non poteſt. Quid, quod diſerte Patres hæc duo Sacramenta diſtinguunt? S. Cyprianus epiſt. 70. de Baptiſmo, & Confirmatiooe ſic ſcribit: *Tunc plene ſanctificati, eſſe filii Dei poſſunt, ſi utroque Sacramento naſcantur*. S. Auguſtinus lib. 2. cont. lit. Petiliani dicit: *Sacramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignorum Sanctum eſt, ſicut & ipſe Baptiſmus*. Et in Pſal. 141. *Multa*, inquit, *Sacramenta, aliter atque aliter accipiuntur. Quædam, ſicut noſtis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus, quædam in fronte per ſignum Crucis*. Denique ad Baptiſmi a Confirmatione, ſicut & ab aliis Sacramentis, diſcrimen comprobandum valere poterunt, quæ in ſequentibus de illius eſſentiali ritu, Miniſtro, ſubjecto, & effectibus ſumus dicturi.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *S. Thomæ de Confirmationis Sacramento doctrina*.
II. *Confirmatio non eſt mera Cæremonia*,
III. *Gratia ab Apoſtolis per impoſitionem manuum collata, erat vere ſanctificans*.

Conſectarium Primum.

I. Dignitatem Sacramenti Chriſmationis aſſerit Sanct. Thomas, & Theologica ratione confir-

firmat hic q. 72. art. 1. Aſſerit quidem duplici adducto S. Melchiadis teſtimonio ex epiſt. ad Hiſpaniarum Epiſcopos, quod habetur & in Decretis diſt. 4. cap. *de his*, & litera Melchiadis legitur To. 4. Concil. parte 1. Primum Teſtimonium affert in argumento *ſed contra* his verbis: „ De his, „ ſuper quibus rogaſtis nos vos informari, utrum „ majus ſit Sacramentum manus impoſitio Epiſco„ porum, an Baptiſmus, Scitote, utrumque ma„ gnum eſſe Sacramentum ". Alterum vero refert in Theologica probatione, quam ſic exhibet: „ Sacramenta novæ legis ordinantur ad ſpeciales „ gratiæ effectus. Et ideo ubi occurrit ſpecialis „ effectus gratiæ, ibi ordinatur ſpeciale Sacra„ mentum. Quia vero ſenſibilia, & corporalia ge„ runt ſpiritualium, & intelligibilium ſimilitudi„ nem, ex his quæ in vita corporali aguntur, „ percipere poſſumus, quid in ſpirituali vita gra„ tiæ ſpeciale exiſtat. Manifeſtum autem eſt, „ quod in vita corporali ſpecialis quædam perfe„ ctio eſt, quod homo ad perfectam ætatem perve„ niat: unde & Apoſtolus dicit 1. Corinth. 13. „ *Cum autem factus ſum vir, evacuavi, quæ erant* „ *parvuli*. Et inde eſt etiam quod præter motum „ generationis, quo aliquis accipit vitam corpo„ ralem, eſt motus augmenti, quo aliquis perdu„ citur ad perfectam ætatem. Sic igitur & vitam „ ſpiritualem homo accipit per Baptiſmum, qui „ eſt ſpiritualis regeneratio. In Confirmatione „ autem homo accipit quaſi quandam perfectam „ ætatem ſpiritualis vitæ. Unde Melchiades Pa„ pa dicit (loc. laud.) *Spiritus Sanctus, qui ſu*„ *per aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu*, „ *in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam;* „ *in Confirmatione augmentum præſtat ad gra*„ *tiam; in Baptiſmo regeneramur ad vitam; poſt* „ *Baptiſmum confirmamur ad pugnam. In Baptiſ*„ *mo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur* ". In qua ratione & Confirmationis a baptiſmate diſcrimen ex plane diverſo effectu clare comprobatur.

Confectarium Secundum.

II. Confirmatio, quæ modo in Eccleſia celebratur, non eſt mera cæremonia, orta ex antiquo more pueros in infantia baptizatos ineunte adoleſcentia adducendi ad Epiſcopos, ut coram illis examen ſuæ in Chriſtiana fide inſtitutionis ſubirent, & ejuſdem fidei edita profeſſione ſecundum communem formulam Catechiſmi, Epiſcopali benedictione per manuum impoſitionem dimitterentur. Eſt contra Calvini doctrinam, qui ita, ut nos inficiamur, ſentit de Sacramento Confirmationis. At inſcite, & inepte. Nam poſita a Calvino Confirmationis idea, necnon ejus fundamentum, nimirum aſſerta conſuetudo repræſentandi Adoleſcentes Epiſcopi ad examen, & fidei publicam profeſſionem, ex ſolo ejus cerebro delirante prodiit, nullis ab ipſo laudatis teſtibus, neque in tota antiquitate repertis, qui hujus præſcriptæ ab illo diſciplinæ mentionem faciant, & fidem. Immo ex adverſo, quæ oppoſitum plane oſtendunt, plura ſunt teſtimonia, in præcedenti capite adducta. Et certe illud manifeſtum, & evidens, nimirum quod Confirmatio etiam infantibus unius diei conferebatur, ſi præſens fuiſſet Epiſcopus; qui tamen infantes certe ſubeundi examinis, & profeſſionis fidei per ſemetipſos emittendæ erant omnino incapaces. Quamobrem jure merito Calvini dementiſſimam opinionem anathemate perculit Trid. Syn. ſeſſ. 7. can. 1. definiens: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non verum, & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuiſſe, quam Catecheſim quandam, quæ adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant; anathema ſit.*

Confectarium Tertium.

III. Gratia, quæ olim per manuum impoſitionem ab Apoſtolis dabatur, non erat ſolum donum gratiæ gratis datæ, ſed vere animam ſanctificans. Adverſantur huic doctrinæ Lutherani & Calviniſtæ, aſſerentes nomine Spiritus Sancti, quem accipiebant per manuum impoſitionem ab Apoſtolis factam recens ad Chriſtum converſi, atque baptizati, non denotari interiorem juſtitiam, & ſanctitatem, qua jam in Baptiſmo donati præſumebantur, ſed ea chariſmata, quæ gratiæ gratis datæ appellantur, puta dona prophetiæ, miracula, & curationes faciendi, & præſertim frequentiſſimum ea tempeſtate linguarum donum, ut conſtat ex Actis cap. 19. ubi de quibuſdam Epheſiis dicitur: *baptizati in nomine Domini Jeſu: & cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Fatemur quidem primitivis fidelibus impoſitionem manuum ab Apoſtolis factam multa exteriora chariſmata, gratiaſque gratis datas, eo tempore opportuna contuliſſe, quæ modo in Epiſcopali confirmatione non conceduntur: ſed negamus ea dona principalem effectum fuiſſe, ad quem cæremonia illa ordinaretur, quique Spiritus Sancti nomine indicatur. Nam hæc vox præcipue in N. T. Scriptura interiorem gratiam, & Caritatem diffuſam in cordibus per Spiritus Sancti inhabitationem, Spiritum, inquam illum, qui Sapientiæ 1. *Effugit fictos, nec intrat in malevolam animam, nec habitat in corpore ſubdito peccatis*, *deſignat*. Ad hanc gratiam principaliter dandam manus imponebant Apoſtoli, non quod ea carere exiſtimarent baptizatos, ſed quod novis ditandam, & perficiendam incrementis baptiſmalem gratiam hoc altero ſubſidio non ignorabant. Cetera vero, quæ huic primario adjungebantur effectui, temporaria erant dona, & non tam ad ſuſcipientium profectum, quam pro aliorum utilitate collata, quorum intuitu aliquando & peccatoribus conceſſa leguntur: unde quamvis iſta temporis decurſu ceſſaverint; non proinde majus illud beneficium gratiæ ſanctificantis, & Spiritus Sancti inhabitantis in noſtra Confirmatione deeſſe dicendum eſt. Audiatur D. Auguſtinus lib. de Baptiſmo cap. 17. ſic docens: „ Neque enim temporalibus, & ſenſibilibus „ miraculis atteſtantibus, per manus impoſitio„ nem modo datur Spiritus Sanctus, ſicut antea „ dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ec„ cleſiæ primordia dilatanda: Quis enim nunc „ hoc expectat, ut quibus manus ad accipiendum „ Spiritum Sanctum imponantur, repente incipiant „ linguis loqui? Sed inviſibiliter, & latenter in„ telligitur per vinculum pacis etiam cordibus di„ vina Caritas inſpirari ". Ita docet & Sanctus

Thomas hic q. 72. art. 7. ſcribens: „ In hoc Sa„ cramento datur baptizato Spiritus Sanctus, ſic„ ut Apoſtolis datus eſt in die Pentecoſtes; & ſi„ cut dabatur baptizatis per impoſitionem manus „ Apoſtolorum: datio autem Spiritus Sancti non „ eſt ſine gratia gratum faciente: unde manife„ ſtum eſt, quod gratia gratum faciens datur in „ hoc Sacramento ".

CAPUT TERTIUM.

De Sacramenti Confirmationis materia.

DOCTRINA.

I. *De Materia Confirmationis variæ Theologorum ſententiæ.*
II. *Apoſtoli in danda Confirmatione uſi ſunt manuum impoſitione.*
III. *Nunc quoque impoſitio manuum eſt adhibenda.*
IV. *Eſt hujus Sacramenti materia proxima.*
V. *Chriſmatio quoque eſt pars eſſentialis, & materia hujus Sacramenti.*
VI. *Primis etiam Eccleſiæ ſæculis adhibita Chriſmatio tanquam materia.*
VII. *Nonnulla ſolvuntur objecta.*
VIII. *Sufficit pro materia Sacramenti manus impoſitio, quæ in chriſmatione adhibetur.*
IX. *Chriſmate non ſimplici oleo uſa eſt etiam primis ſeculis Eccleſia.*
X. *Eſt eſſentialis materia Confirmationis.*
XI. *Eſſe debet ab Epiſcopo confectum, ſeu benedictum.*
XII. *Benedictio probabilius requiritur, ut ſit materia Sacramenti.*
XIII. *Unctio in fronte eſt materia proxima.*

I. DE hujus Sacramenti materia non una, nec concors eſt Theologorum ſententia. Sunt enim, qui putant ſolam, & nudam manuum impoſitionem eſſe hujus ſacramenti materiam proximam; alii hoc ſoli tribuunt unctioni; nonnulli denique utrumque pro materia Sacramenti neceſſaria ſtatuunt. Rem meliori, qua potero, claritate exponam.

II. Apoſtoli in danda Confirmatione uſi ſunt manuum impoſitione. Adverſantur huic doctrinæ plures antiquiores Scholaſtici, qui manuum impoſitionem, de qua in Apoſtolorum Actis ſermo eſt, Sacramentum Confirmationis, quod modo in Eccleſia celebratur, fuiſſe minime exiſtimarunt; immo nec cæremoniam mere ſacramentalem, ſed ſolum ad extraordinario modo effectum Sacramenti conferendum ab Apoſtolis uſurpatam. Verum noſtra aſſertio ſic univerſim inſpecta ſine magnis abſurditatibus oppugnari, & pene dixerim ſine errore in dubium vocari non poteſt. Nam conſtat Apoſtolos ad dandum Spiritum Sanctum, qui eſt proprius Confirmationis effectus, manus impoſuiſſe. Utique inquies, non tamen per eam cæremoniam Sacramentum Confirmationis adminiſtrabant. Quando igitur adminiſtraſſe affirmabis? Immo unde illos aliquando confirmaſſe probaveris? Ex Sacris litteris, an ex Traditione? At ſi argumentum ex praxi Apoſtolorum excluſeris, nullus ex ſacris litteris locus illuſtrior patebit, quo hæreticos de Sacramenti Confirmationis inſtitutione convincas. Quod ſi ad Traditionem confugias, hæc ipſa ad locum, quem deſeris, vel invitum reducet. Concilia ſiquidem & Patres ritum confirmandi, qui in Eccleſia obſervatur, paſſim repetunt, deducunt, & comprobant ex ea manuum impoſitione, qua Apoſtolos baptizatis Spiritum Sanctum dediſſe perhibentur. Audiatur D. Hieronymus in Dial. adv. Lucif. *An neſcis Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis poſtea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus. Exiges ubi ſcriptum ſit? In Actibus Apoſtolorum.* Conſtat igitur manuum impoſitione Apoſtolos Confirmationis Sacramentum miniſtraſſe.

III. Nunc quoque manuum impoſitio requiritur ad dandam Confirmationem, quæ proinde ejus proximam materiam conſtituere dicenda eſt. Non deſunt Theologi, qui fatentur quidem ad Confirmationem dandam ab Apoſtolis adhibitam fuiſſe pro materia manuum impoſitionem; ſed tractu temporis vel ab ipſis Apoſtolis, vel ab eorum ſucceſſoribus materiam Sacramenti fuiſſe immutatam, & impoſitam manuum ſubſtitutam chriſmationem: & contra iſtos poſita eſt noſtræ doctrinæ prima pars, quæ & modo manuum impoſitionem ad Confirmationem requiri aſſerit, & ſic evincitur. Perpetua Patrum traditione conſtat, ſemper in Eccleſia in omnibus ſeculis in Confirmatione uſurpatam manuum impoſitionem; quod oſtenditur allatis hujus traditionis teſtimoniis. Et quidem I. ſeculo Eccleſiæ & II. manuum impoſitionem adhibitam teſtatur Tertull. de Reſurr. Car. cap. 8. & de Baptiſmo cap. 7. ſcribens: *Egreſſus de lavacro perungatur benedicta unctione .... Deinde manus imponitur per benedictionem, advocans, & invocans Spiritum Sanctum.* Pro III. Seculo teſtes ſunt S. Cyprianus epiſt. 72. ſcribens: *Qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offeruntur, ut per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſecrentur.* Et Firmilianus epiſt. ad Cyprianum confirmat. Pro IV. Concilium Illiberitanum can. 38. & 39. Arelatenſe I. can. 8. S. Joan. Chryſoſt. hom. 28. in Acta Apoſtolorum ſcribens: *Hoc nunc faciunt Epiſcopi, quod Apoſtoli, manuum impoſitionem, & orationes ſuper Neophytos faciebant.* Pro V. ſeculo S. Hieron. Dial. cont. Lucif. ſcribit: *In Eccleſia baptizatus niſi per manus Epiſcopi non accipit Spiritum Sanctum.* Cui concinit S. Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 26. *Neque enim aliquis diſcipulorum ejus dabat Spiritum Sanctum; orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipſi eum dabant; quem morem in ſuis Præpoſitis nunc ſervat Eccleſia.* Sed, ne nimium excreſcat probatio, a teſtimoniis proferendis abſtinebo, & ſolum pro ſequentibus ſeculis loca indicabo. Pro VI. itaque ſeculo teſtes ſunt Primaſius in cap. 6. epiſt. ad Hebræos, & Sanctus Gregorius M. in Sacramentario. Pro VII. Concilium Hiſpalenſe II. can. 7. & S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Offic. Eccleſ. cap. 26. Pro VIII. Ven. Beda in cap. 8. Actor. Et Gregor. III. epiſt. ad Bonifacium. Ordo Romanus in capite de Ordine Sabbati S. Pro IX. Concilium Pariſienſe VI. anno 829. lib. 1. cap. 27. Rabanus Navarrus lib. 1. de Inſtitut. Clericorum cap. 30. Joannes Aurelianenſis lib. de eodem argumento cap. 7. Amalarius Fortunatus lib. de Eccleſ. Officiis cap.

cap. 28. Valfridus Strabo in lib. de Exordiis, & incrementis rerum Eccleſiaſticarum cap. 26. Pro X. Œcumenius Comment. in epiſt. ad Hebr. Pro XI. Lanfrancus, & Theophilactus Comment. in dictam epiſtolam, & Ivo Carnotenſis in ſerm. de Excell. Sacram. Ordinis. Pro XII. Rupertus Abbas de Operibus SS. lib. 3. cap. 10. & Victorinus de Sacramentis lib. 2. Par. 7. cap. 1. Pro XIII. Innoc. III. lib. 1. Decret. cap. *Quanto*. Et D. Th. Lect. 1. in cap. 6. epiſt. ad Hebræos, ubi ſic ſcribit: „ Secundum Sacramentum eſt in ipſa ma-
„ nuum impoſitione: ideo dicitur *impoſitionis* quo-
„ que *manuum*. Hæc autem eſt duplex. Una eſt
„ miracula faciens, ſicut quando Chriſtus per ma-
„ nus impoſitionem curabat infirmos . . . . . Et
„ hæc non eſt ſacramentalis. Alia eſt ſacramen-
„ talis, & hæc duplex eſt, una in Sacramento Or-
„ dinis 1. ad Timoth. 5. . . . . . Alia in Sacra-
„ mento Confirmationis ad renovationem . . . . .
„ In Confirmatione enim datur Spiritus Sanctus
„ ad robur “. Præterea aſſertio noſtra validiſſima etiam theologica ratione fulcitur. Nam Apoſtolos temporis progreſſu ritum variaſſe, quo a principio certum, compertumque eſt ab eis fuiſſe fideles confirmatos, nullo profecto indicio pateſcit; multoque minus hanc ab aliis invectam fuiſſe mutationem credibile eſt. Num a quibus? quonam tempore? in quibus Eccleſiis? qua poteſtate? cum circa Sacramentorum ſubſtantiam, illorumque eſſentiales ritus nihil poſſit Eccleſia. Quod profecto cum a nemine probari poſſit; temere prorſus, ac ſine fundamento a ritu Confirmationis antiquo vel ceſſatum eſſe, vel novum invectum præſumitur, & aſſeritur.

IV. Hinc ſponte ſua fluit, manuum impoſitionem ritum eſſe eſſentialem Confirmationis etiam nunc temporis, proinde inter ejus eſſentiales partes reponendam; adeoque vel materiæ, vel formæ efficaciam præſtare in ejuſdem adminiſtratione; at non certe formæ, quam in omnibus ſacramentis ex verbis, non ex rebus conſtare exploratum eſt. Supereſt igitur, ut ad materiam, & quidem proximam revocanda ſit, cum ſit quædam functio, & operatio, quæ ſaltem partialiter, & inadæquate ad Sacramentum conſtituendum concurrit.

V. Chriſmatio quoque, ſeu unctio eſt modo ritus eſſentialis, & alia materia proxima Sacramenti Confirmationis. Adverſantur huic doctrinæ nonnulli antiquiores Theologi, Aureolus, Guillelmus, Altiſiodorenſis, Jacobus de Vitriaco, quibus recenter acceſſere Sirmondus in Canon. primum Concilii Arauſicani, Morinus lib. 4. de Pœnit. cap. 9. & Sambovius de Confirm. diſp. 3. art. 1. & 2. ſuſtinentes, in ſola manuum impoſitione materiam eſſentialem, atque neceſſariam hujus Sacramenti eſſe collocandam; unctionem vero ex Eccleſiæ inſtitutione ſuperadditam, ad illius effectum luculentius ſignificandum; proinde eſſe ſolam cæremoniam, præceptam tamen, & ſine gravi peccato non omittendam; vel ad ſummum dici poſſe materiam accidentalem, & integrantem, at ad valorem Confirmationis minime requiſitam. Verum hæc eorum opinio refellitur, & noſtra probatur aſſertio. 1. Ex Decretali Innoc. cap. 4. & cap. *Cum veniſſet*. In priori enim loco dicit Pontifex: *Sacramentum Confirmationis, chriſmando renatos, ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre*. In altero vero: *Per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio modo dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritus S. datur ad robur: hanc nonniſi Summus Sacerdos debet offerre, quia de ſolis Apoſtolis legitur*, &c. 2. ex Decreto Eugenii pro Armenis, ubi dicitur: *Secundum Sacramentum Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, & balſamo &c. forma autem &c.* 3. Ex Concilio Trid. cujus in ſeſſ. 7. can. 2. hæc habentur: *Si quis dixerit, injurios eſſe Spiritui Sancto eos, qui ſacro Confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt; anathema ſit*. 4. Ex ritu confirmandi nunc quoque tum apud Latinos, tum in Orientalibus Eccleſiis ſervato, in quo, ut Rituales libri, & Græca Euchologia manifeſtant, Chriſmatio frontis eſt cæremonia præcipua, & nobilior. Legatur Romanum Pontificale juſſu Clementis VIII. editum an. 1569. 5. Auctoritate, & conſenſu omnium, qui a nono ſæculo floruerunt, Doctorum, & ſubſequentium Scholaſticorum, qui eandem Chriſmationem, ut functionem ad hoc Sacramentum prorſus neceſſariam, ejuſque effectum tribuendi virtute præditam decantarunt. Audiatur D. Th. hic q. 72. a. 2. noſtram doctrinam tradens, & Theologica ratione confirmans. Scribit itaque:
„ In hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus San-
„ cti ad robur ſpeciale, quod competit perfectæ
„ ætati . . . . . Gratia vero Spiritus Sancti in oleo
„ deſignatur; unde Chriſtus dicitur eſſe *unctus o-*
„ *leo lætitiæ* propter plenitudinem Spiritus Sancti,
„ quam habuit. Et ideo oleum competit mate-
„ riæ hujus Sacramenti. Admiſcetur autem balſa-
„ mum propter fragrantiam odoris, quæ redundat
„ ad alios “.

VI. Primis etiam Eccleſiæ ſæculis Chriſmatio habita fuit tamquam pars eſſentialis hujus Sacramenti. Poſita eſt hæc aſſertio in præcedentis confirmationem, & adverſus illos Scriptores, qui ſola manuum impoſitione abſque Chriſmate ab Apoſtolis, primiſque Paſtoribus Confirmationem miniſtratam fuiſſe affirmant. Probatur autem perpetua Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum traditione, qui & a primis ſæculis unctionem in hujus Sacramenti collatione obſervatam teſtantur, eique vim confirmatoriam, ſeu S. Spiritus elargitricem tribuerunt. II. Sæculo Theophilus Antiochenus in lib. ad Autolycum ſcribit: *Non alia re chriſtianum nomen traximus, quam quod divino oleo perfundimur*. Tertull. cap. 7. de Baptiſmo: *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione . . . . in nobis carnaliter currit, ſed ſpiritualiter proficit*. Et lib. de Reſurrect. carn. cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima conſecretur*. III. Sæculo Origenes in cap. 6. epiſt. ad Romanos: *Secundum typum Eccleſiæ traditum omnes baptizati ſumus in aquis iſtis viſibilibus, & in Chriſmate viſibili*. S. Cyprianus epiſt. 70. *Ungi quoque neceſſe eſt, qui baptizatus eſt, ut accepto chriſmate, ideſt unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit*. IV. Sæculo Concil. Laodic. can. 48. *Oportet eos, qui illuminantur, poſt Baptiſmum inungi ſupercæleſti chriſmate, & eſſe Regni Chriſti participes*. S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 3. *Poſtquam ex aquis ſacri lavacri aſcendiſtis, datum eſſe Chriſma, quod imaginem gerit illius, qui unctus eſt Chriſtus; ſed & Chriſma Chriſti, quod adventus Sancti Spiritus* per

per ipſius donationem energiam habet, quo frons, & alii ſenſus ſymbolice inunguntur ...... ut anima vero, ſancto, ac vivifico Spiritu ſanctificetur. S. Greg. Nazianz. Orat. 40. in ſacrum lavacrum: *Si tu per Baptiſmum te ipſum confirmaveris, ac præclariſſimo, & firmiſſimo animo tibi in futurum caveris, animum ſcilicet, & corpus unctione, & Spiritu conſignatus, quid tibi accidet?* &c. S. Optatus Milevit. lib. 7. ad Donat. de Oleo Confirmationis ſic ſcribit: *Oleum ſimplex eſt, & nomen ſuum unum, & proprium habet, confectum jam Chriſma vocatur, quo eſt ſuavitas ..... quæ ſedem Spiritui S. parat, ut invitatus illic, aſperitate fugata, libenter inhabitare dignetur*. S. Ambroſius lib. de Salomone cap. 3. *Moyſes in Cantico Deuteronomii inquit*, lactavit eos mel de petra, & oleum de ſolida petra, *ideſt quod dulcem daturus iis eſſet Evangelii ſuavitatem, aut S. Spiritus per Chriſmatis unctionem*. Paria habet lib. de Initiandis c. 6. & 2. de Sacram. cap. 17. Pro V. ſæculo videri poſſunt Cyrillus Alexand. Com. in Joel ad illa verba, *Redundabunt torcularia vino, & oleo*. Theod. lib. 4. in Cant. Cantic. ad illa verba, *Unguentum effuſum*. S. Auguſtinus in 1. Epiſt. Joan. tract. 3. n. 5. & 12. in epiſt. ad Decentium cap. 3. S. Leo M. Serm. 4. in Nativit. Dom. Pro VI. Sæculo Auctor lib. de Eccleſiaſt. Hierar. cap. 4. Greg. Turon. lib. 2. Hiſtor. Franc. cap. 31. S. Greg. M. in Sacramentario. Pro VII. Sæculo Concil. Tolet. IV. cap. 57. S. Iſidorus Hiſpal. lib. 6. Originum cap. ult. Pro VIII. Ven. Beda in cap. 1. Cant. & in cap. 22. Lucæ. Ordo Romanus de Ordine Sabbati Sancti. IX. Sæculo ſequuntur Paſchaſius, Rabanus Maurus, Amalarius Fortunatus, Valfridus Strabo, Jo. Papa VIII. Synodus Vormatienſis, præter Capitularia Caroli M. Sed hos omitto, & illos, qui poſterioribus ſæculis de Confirmatione tractarunt, quos tanquam apertos Chriſmatis fautores jam & Theologi adverſæ ſententiæ agnoverunt. Solum addo D. Th. teſtimonium, qui hic quæſt. 72. art. 2. ad 1. dicit: „ Apoſtolos Chriſmate uſos in miniſtranda „ Confirmatione “. Patet igitur manifeſte, in Confirmatione ſemper adhibitam Chriſmationem, & habitam hujus Sacramenti eſſentialem partem.

VII. Nec obſtat ſilentium S. Lucæ in Actibus Apoſtolorum, qui Apoſtolos in dando Spiritu Sancto ſola uſos eſſe dicit manuum impoſitione. Nam licet S. Evangeliſta non narret adhibitam, non tamen dicit excluſam: & certe in 2. ad Corinth. & in 1. Joan. innuitur. Sed licet ubique ſilentio prætermiſſa fuiſſet, ex traditione tamen abunde innoteſcit. Multa quippe, ut animadvertit D. Thom. hic q. 73. art. 1. ad 1. „ ſervabant Apo- „ ſtoli in Sacramentorum collatione, quæ in Scri- „ pturis communiter propoſitis non ſunt tradita; „ tamen ex traditione ſcimus implenda “. Hinc & D. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 26. ajebat: *Conſecramus aquam Baptiſmi, & oleum unctionis. Ex quibus ſcriptis? Nonne a tacita, ſecretaque traditione? Ipſam porro olei unctionem quis ſermo ſcriptus proditus docuit?* Hinc non obſtante Scripturæ ſilentio Simon Theſſalonicenſis de Sacramentis dicebat: *A Philippo baptizati, tanquam qui ſolum Joannis baptiſma ſuſcepiſſent, Petro, & Joanne imponentibus manus, Spiritum Sanctum accipiebant; quod ſane hoc Sacramentum eſt, ſiquidem manuum impoſitio unguentum præbebat, ut in Apoſtolis factum eſt, & per ipſos in multis aliis*. Habet enim locum in hujuſmodi rebus celebris illa S. Auguſtini regula lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Nec pariter obſtat D. Thom. doctrina, qui q. 72. art. 2. ad 1. affirmare videtur, datum aliquando Sacramentum Confirmationis ſola manuum impoſitione, immo ſola prædicatione ſine ſenſibili materia. Nam mentem ſuam explicat art. 4. ad 1. ſcribens: „ Sicut ſupra dictum eſt (loc. ſcil. mox cit.) per „ miniſterium Apoſtolorum quandoque dabatur ef- „ fectus hujus Sacramenti, ſcilicet plenitudo Spi- „ ritus Sancti, quibuſdam viſibilibus ſignis mira- „ culoſe a Deo effectis, qui poteſt effectum Sacra- „ menti ſine Sacramento conferre; & tunc non „ erat neceſſaria nec materia nec forma hujus Sa- „ cramenti. Quandoque autem tanquam Miniſtri „ Sacramentorum hoc Sacramentum præbebant, „ & tunc ſicut materia, ita & forma ex mandato „ Chriſti utebantur “.

VIII. Cum itaque, ut diximus, manus impoſitio ſit ad hoc Sacramentum requiſita, tanquam illius materia proxima; tunc videndum ſupereſt, num hæc ſit habenda actio diſtincta ab ipſa unctione; an vero ſit cum ipſa unctione conjuncta, quæ profecto ſine manus impoſitione fieri non poteſt. Et quidem multi recentiores Theologi cenſent, & quidem non contemnendis argumentis, manuum impoſitionem eſſe faciendam per actionem ab ipſa unctione diſtinctam. At probabilior, & communior Theologorum doctrina eſt, manuum impoſitionem ad eſſentialem Confirmationis ritum deſideratam non eſſe actionem a chriſmatione diſtinctam, ſed in hac implicitam, atque comprehenſam; adeoque adæquatam hujus Sacramenti materiam per talem chriſmationem, eo modo, quo in illo adminiſtrando faciendam jubet Eccleſia, intellectam ſufficienter enuntiari. Et revera ita ſentiunt innumeri pene Theologi, præeunte D. Thom. qui hic q. 72. a. 2. non aliam agnoſcit manuum impoſitionem præter illam, quæ ſit chriſmatis unctione. Unde in ſola chriſmatione materiam, tum proximam, tum remotam hujus Sacramenti conſtituit. Confirmant etiam invicta argumenta. Nam hoc pacto conciliantur veterum SS. PP. effata, quorum aliqui virtutem dandi Spiritum Sanctum in Confirmatione ita ſacro Chriſmati tribuunt, ut de manuum impoſitione nec verbum habeant; & alii, chriſmationis ſuppreſſo vocabulo, ſolius manus impoſitionis meminerunt. Hæc enim loquendi diverſitas nullam inducit ſententiarum varietatem, ſi priores de chriſmatione, poſteriores de manuum impoſitione, prout utraque fiebat in Eccleſia, exponantur: talis quippe chriſmatio manuum implicat impoſitionem; & talis impoſitio manuum unctione peragitur; & ſic omnes, diverſis licet verbis, eandem obſignare materiam comperiuntur. Et ita etiam explicantur, quæ S. Lucas narrat in Act. Apoſtolorum de manuum impoſitione per Apoſtolos facta in dando Spiritu Sancto. Nec obſtat, in Latinis Ritualibus præſcribi impoſitionem manuum prævie ad chriſmationem. Nam illa non impoſitio manuum, ſed elevatio eſt, cum

non

non ſit, niſi quædam extenſio, & expanſio manuum ſuper confirmandos, ut eam appellat Sanctus Gregorius M. in Sacramentario; nec ſupra ſingulos replicatur, ſed verſus omnes collectim ſumptos a principio una tantum vice exhibetur; & illos, qui eidem minime interfuerunt in frequentioribus chriſmationibus, Epiſcopi in chriſmationem admittunt. Et certe a Græcis hæc prævia manuum ſive impoſitio, ſive elevatio omnino omittitur, nec præſcribitur in eorum Euchologiis etiam MMSS. & antiquiſſimis, ut teſtatur Goarius noſter; ſolamque chriſmationem, ſtatim ac oratio quædam ſuper Neophytos recitata fuerit, exequendam imponunt; & tamen nemo prudens judicaverit, nullum eſſe apud Græcos Sacramentum Confirmationis. Huic aſſertioni pondus ſuæ auctoritatis adjunxit & Bened. XIV. in ſuo de Synodo Opere lib. 13. cap. 19. n. 13. qui 1. obſervat: ,,quod ,, cum Epiſcopus ſub functionis exordium primam ,, orationem recitat, ſimulque manum protendit ,, ſuper eos, qui præſentes adſunt Sacramentum ,, ſuſcepturi, non amplius eandem Orationem repetit, manuſque protendit ad eos, qui præſentes non aderant, cum primum hæc præſtitit, ,, ſed paulatim ſubingreſſi in locum eorum, qui ,, Chriſmate inuncti receſſerunt: cumque hujuſmodi agendi ratio communiter recepta ſit, & paſſim ſervetur, nemine penitus contendente; propterea nullum, irritumque eſſe Confirmationis ,, Sacramentum iis, qui in locum priorum ſucceſſerunt, ſatis eſt ad evincendam manuum extenſionem, quæ in dicto tempore fit ab Epiſcopo ,, ſuper Confirmandos, neque receptam eſſe, neque cenſeri eam manuum impoſitionem, quæ ad ,, validitatem Sacramenti requiritur". 2. Licet ſententiam non rejiciat illorum, qui tempore peſtis, lue infectis putant poſſe Sacramentum Extremæ Unctionis adminiſtrari ſine contactu, oblonga adhibita virga oleo Sancto intincta; quia in eo Sacramento nulla requiritur manus impoſitio, ſed ſola unctio, quæ etiam inſtrumento perfici poteſt: at nullo pacto aſſentitur, chriſmationem fieri poſſe ab Epiſcopo per penicillum chriſmate intinctum, quia tunc non haberetur manus impoſitio, quæ neceſſario ad Sacramenti validitatem requiritur. Legatur præfatum caput, & lectionis non pertinebit.

IX. Quoad aliam vero partialem materiam duo ſunt perpendenda. Nimirum 1. num eſſe debet Chriſma, ideſt non oleum ſimplex, ſed oleum olivarum cum balſamo mixtum. 2. Num debeat eſſe ab Epiſcopo benedictum. Et quidem Chriſmatis uſum in Confirmatione antiquiſſimum eſſe certo conſtat, licet Juveninus, & Tournelius putent primis Eccleſiæ ſeculis ſolum, ſimplex oleum adhibitum. Nam balſami meminerat ſexto ſæculo S. Greg. M. in Expoſit. in Cant. Cantic. ubi ſic ſcribit: *In Engaddi balſamum gignitur, quod cum oleo pontificali benedictione chriſma efficitur, quo dona Spiritus Sancti exprimuntur.* Immo S. Gregorius Turonenſis ejus meminit, ut in uſu IV. Eccleſiæ ſeculo. Nam in lib. de gloria Martyrum cap. 41. inducit Sacerdotem Idolorum conquerentem cum Juliano Apoſtata, ſe non poſſe incantamenta ab eo poſtulata perficere ob præſentiam alicujus Chriſtiani, in ejus comitatu occulte verſantis, his verbis: *Require, ſacratiſſime Imperator, quis adeſt ablutus, balſamo unctus, & abſcedat.* Et his auditis Imperatorem ſic indignantem repræſentat: *Quis hic numinibus noſtris contrarius, ac Religionis Chriſtianæ ſocius, qui frontem Chriſmatis inſcriptione ſignatam ferat?* Porro hunc uſum profecto nec ſæculo VI. incœpiſſe dicendum eſt, cum de illo uterque Gregorius tanquam de conſuetudine jamdudum recepta, & vigente loquantur. A quo igitur, quando, qua de cauſa cœpit, & invecta eſt hæc mixtio? Profecto, cum hoc deſignare non poſſint, recurrendum ad S. Auguſtini jam laudatam regulam, eſſe ab Apoſtolica traditione repetendam.

X. Eſſe vero Chriſma neceſſariam Confirmationis materiam probabilius pronunciamus. Huic noſtræ aſſertioni adverſantur plures ex recentioribus Theologis etiam Thomiſtis, ſcilicet Cajetanus, Dominicus Soto, Victoria, & Cardinalis Gotti cum aliis, qui ex præcepto tantum Eccleſiaſtico neceſſarium dicunt Chriſma, vel ſi lubet, etiam divino; non ita tamen, ait Soto, ut ejus defectu ſimplex oleum materiæ locum ſupplere non poſſit. At noſtram aſſertionem probabiliorem reddunt 1. auctoritas Florentini Concilii dicentis: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ.* In quibus verbis tam oleum, quam balſamum ad materiam eſſentialem ſpectare clare ſignificat, cum æque de utroque loquatur. Quod ut manifeſtius fiat, notanda eſt diſpar ratio enuntiandi, quæ in eodem Decreto ſervatur, ubi de materia Euchariſtiæ ſermo eſt: dicitur enim ibidem: *Tertium Eccleſiæ Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet:* non hic ait materiam eſſe quidpiam ex aqua, & vino admixtis confectum, ſed vinum, cui aqua admiſcetur; quando vero agitur de Confirmationis materia, Chriſma ex oleo, balſamoque confectum decernit Eugenius, ut indicet utrumque illud miſcibile requiri ad materiæ idoneam conſtitutionem. 2. Accedunt teſtimonio Greg. M. Innoc. I. aliorumque antiquorum Doctorum, immo & Conciliorum, qui omnes Chriſma confirmatorium non tanquam aliquid ſimplex, ſed ut quidpiam compoſitum, & ex pluribus conficiendum exhibent. 3. Accedit antiquiſſimus uſus balſami cum oleo mixti, quem, ut præcedenti numero diximus, ab Apoſtolis deſcendere præſumendum eſt: qui profecto de ejus neceſſitate ad Sacramentum conficiendum validiſſimam inducit præſumptionem. 4. Omnes antiquiores Theologi, & præſertim D. Thom. docuerunt, Chriſma eſſe materiam hujus Sacramenti neceſſariam, quod probat S. D. hic q. 72. toto art. 2. Nec dicas, D. Th. in eo articulo quærere, num Chriſma ſit *neceſſaria* materia Sacramenti Confirmationis; ſed num ſit *conveniens.* Nam cum de materia, & forma Sacramentorum agitur, D. A. in eodem ſenſu uſurpat & neceſſarium, & conveniens; ut videre eſt q. 66. art. 5. ubi inquirit, *num hæc ſit conveniens forma Baptiſmi: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* & tamen quis dixerit S. Th. eam formam non neceſſariam, ſed ſolum convenientem exiſtimaſſe. Immo q. 72. art. 2. ad 2. comparat chriſma, tanquam Sacramenti materiam

in Confirmatione, cum aqua in Baptiſmo, dicendo, *quod in hoc ſufficit materia ſimplex, cujuſmodi eſt aqua; at in Confirmatione requiritur Chriſma, tanquam materia ex pluribus compoſita*. Denique ad noſtræ ſententiæ probabilioritatem confirmandam, hoc mihi efficaciſſimum videtur, ſcilicet antiquiſſimam per plura ſæcula perſuaſionem, de neceſſitate chriſmatis, eſſe præferendam recentiorum aliquorum Theologorum opinationibus. Nec nobis opponat Juveninus Innoc. III. Decretale reſponſum, qui conſultus, an iteranda foret Confirmatio ſolo oleo collata abſque balſamo, reſpondit, *nihil eſſe iterandum, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat omiſſum*: cum tamen balſami defectus irritum reddidiſſet Sacramentum, omnino iterandum fuiſſet; quippe quod valida caruiſſet materia. Nam reſpondemus Pontificem juſſiſſe, totum Confirmationis eſſentialem ritum iterandum; & nihilominus non iterandum dixiſſe, ſed ſupplendum: nam, ut acute ſimul, & juſtiſſime notat Gloſſa in citatum caput, *non dicitur iterari, quod prius factum non fuit*.

XI. Debet autem hoc Chriſma eſſe confectum, ſeu benedictum ab Epiſcopo. Et quidem benedictionem Chriſmatis eſſe neceſſariam ſaltem ex graviſſimo Eccleſiæ præcepto patet ex omnium Græcorum Euchologiorum, & Latinorum Ritualium præſcriptionibus, incipiendo a S. Gregorii M. Sacramentario, & Ordine Romano, & deſcendendo uſque ad recentia Ritualia ab Eccleſia adprobata. Præterea id repetendum ex antiquiſſima traditione teſtatur S. Baſilius lib. de Sacram. cap. 27. dicens: *Benedicimus Baptiſmatis aquam, & Unctionis oleum, ex quibus ſcriptis? Nonne a tacita, ſecretaque traditione?* Hanc autem benedictionem ſolis eſſe Epiſcopis reſervatam patet ex Concilio Carthag. II. qui can. 3. ſtatuit: *Chriſmatis confectio, & puellarum conſecratio a Presbyteris non fiant*; & probant omnia laudata Euchologia, & Rituales libri, qui eam conſecrationem, ſive benedictionem ſolis Epiſcopis reſervant. Adeo ut merito Montanus Archiepiſcopus Toletanus quoſdam ſui temporis redarguens Presbyteros, qui Sede vacante Chriſma conficere auſi fuerant, in epiſtola ad Fratres Therritorii Palentini ſcripſerit: *Novam hanc eſſe præſumptionem deteſtabilem, quæ ab initio fidei Catholicæ nunquam huc uſque ſubrepſiſſe probatur, inauditam rem, & Religioni contrariam*.

XII. Hæc autem benedictio probabiliſſime requiritur, ut ſit Chriſma idonea Confirmationis materia. Huic doctrinæ non conſentiunt plures Theologi, videlicet Gotti, Eſtius, Tournelius. At fulcitur auctoritate S. Cyrilli Hieroſolymitani Catech. 3. ſic loquentis: *Quemadmodum panis Euchariſticus poſt Spiritus S. invocationem non amplius eſt panis communis, ſed eſt Corpus Chriſti; ſic & ſanctum hoc unguentum non amplius eſt unguentum nudum, poſtquam conſecratum eſt, ſed eſt Chriſma Chriſti*. Confirmat Innoc. I. in epiſt. ad Decentium cap. 3. ſcribens: *Balſamum cum oleo Epiſcopali benedictione Chriſma efficitur*. Aſſentitur & S. Thom. qui hic q. 72. a. 3. inquirit, num ſit de neceſſitate hujus Sacramenti (non num ſit conveniens) quod chriſma fuerit prius per Epiſcopum conſecratum. Deinde in corpore articuli oſtendit, longe alia ratione fonti, ſeu aquæ baptiſmali benedictionem, ac Chriſmati confirmatorio adhiberi: quia nimirum aqua, materia Baptiſmi a Chriſto ſuomet uſu conſecrata, non accipit a benedictione Eccleſiæ aptitudinem ad perfectionem Sacramenti; & propterea hæc benedictio non ad neceſſitatem Sacramenti, ſed ad ſolemnitatem adjungitur; licet benedictio aquæ baptiſmalis in ſolemni Baptiſmo, immo & in privato, quando haberi poteſt, ſit neceſſaria neceſſitate præcepti. At aliter de benedictione Chriſmatis ſubinferendum relinquit, nimirum aptitudinem neceſſariam ad valorem Sacramenti ex benedictione redundare. Nec ſolum inferendum relinquit, ſed expreſſe ad 2. docet, „ materiam Confirmationis prævia ad ſuam „ applicationem conſecratione indigere, per quam „ fiat materia propria Sacramenti “. Sibi enim objecerat, ſatis conſecrari Chriſma, quando adhibetur ad Sacramentum conficiendum; quin alia ſit neceſſaria prævia conſecratio. Et reſpondet: „ utraque conſecratio non refertur ad idem. Sic „ ut enim inſtrumentum virtutem inſtrumentalem „ acquirit dupliciter, ſcilicet quando accipit for„ mam inſtrumenti, & quando movetur a prin„ cipali agente ad effectum: ita etiam mate„ ria Sacramenti duplici ſanctificatione indiget, „ *per quarum unam ſit propria materia Sacramen„ ti*, per aliam vero applicatur ad effectum “. Noſtram aſſertionem validiſſime fulcit Decretum Eugenii IV. declarantis in ſua pro Armenis ſæpius memorata, & ſæpius memoranda Inſtructione, materiam Confirmationis eſſe Chriſma confectum ex oleo, & balſamo *per Epiſcopum benedicto*: immo eam ſaltem probabiliſſimam reddunt omnes illi Patres, qui chriſma nonniſi ab Epiſcopo confici aſſerunt, ſeu, ut loquitur D. Greg. in cap. 1. Cant. Cant. *Balſamum cum oleo Chriſma effici Epiſcopali benedictione*. Nam ſi conſecratio eſt neceſſaria, ut adſit chriſma, & chriſma, ut valida fiat Confirmatio; profecto ad hujus veritatem Chriſmatis conſecratio deſideratur.

XIII. Materia proxima Confirmationis eſt applicatio Chriſmatis, delineando crucem in loco unctionis. Veritas hujus propoſitionis eſt de ſe aperta ſatis, & manifeſta. Nam in unoquoque Sacramento, ut ſuo loco diximus, materia proxima conſiſtit in applicatione materiæ remotæ ſubjecto per Sacramentum ſanctificando; ſicut ſit in Baptiſmo corpus aqua abluendo, ita & in Confirmatione ſubjectum inungendo. Hanc autem applicationem eſſe faciendam manu Miniſtri, & non aliquo inſtrumento, oſtendunt, quæ diximus n. 8., cum manuum impoſitionem, quæ eſt altera materia partialis, involvat. Habetur autem hæc unctio, ſive fiat una, vel altera manu, immo vel ſolo digito; quia digiti ſunt partes manus, quas illa præcipue tangendo, & operando exercet: immo digitum pollicem ad applicationem Chriſmatis adhibendum Ordo Romanus injungit, ſic dicens: *Pontifex intincto pollice in Chriſmate faciat crucem* &c. Quod ex Sacramentario S. Gregorii deſumptum eſt, & ex utroque deſcribit Pontificale Romanum. Facienda autem eſt unctio crucem delineando, ut conſtat ex Sacram. S. Gregorii, ex Ordine Romano, ex Pontificali itidem Romano, nec non ex Euchologiis Græcorum, uno verbo ex omnibus Ritualibus monumentis, quæ ſignum crucis in parte inungenda delineari præcipiunt. Et revera ob crucis figuram chriſmate efformatam per Sacramentum

tum hoc fideles ſignari, conſignari, ſignaculum Domini, ejus ſigillum accipere Sancti Patres affirmant. Quapropter tanta debet eſſe unctio, quanta ad illud efformandum ſignum eſt neceſſaria. Hoc autem crucis ſignum eſt in fronte faciendum. Ita enim præſcribunt & mox laudati omnes Rituales libri, & SS. Patres teſtantur, & perpetua traditio, ac uſus confirmat. Tertul. lib. cont. Marcionem cap. 22. *Signaculum frontium* inter Sacramenta recenſet. Et lib. de Præſcript. cap. 40. ait: *Dæmones ex æmulatione Chriſti, per ſuperſtitioſos ritus ſignare in fronte milites ſuos*. Et Græca Euchologia ſic jubent: oratione terminata baptizatos *Sacro unguento inungit Miniſter, crucis ſignum faciens in fronte* &c. Hæc autem ſola in fronte conſignatio ſufficit tum ad valorem, tum ad perfectionem Sacramenti; quia licet Orientalis Eccleſia confirmandos ſignet etiam in oculis, in naribus, & in utraque aure, ac in pedibus, hæ tamen unctiones acceſſoriæ ſunt, & minime ad ejus valorem requiſitæ, cum eas nunquam adhibuerit Romana, & Occidentalis Eccleſia; quam proinde, tanquam Sacramento Confirmationis carentem, vel male adminiſtrantem, accuſare, & reprehendere nunquam Græcis, etiam poſt ſchiſma, in mentem venit. Cur autem in fronte ſignentur confirmandi, rationem reddit S. Thom. hic q. 72. a. 9. nimirum propter duo. „ 1. Ut in manifeſto demonſtrent ſe eſſe Chriſtianos. 2. Ut neque propter timorem, neque propter erubeſcentiam nomen Chriſti profiteri prætermittant “.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Balſami cum oleo mixtio eſt de neceſſitate præcepti.*
II. *Chriſma adhibendum eſſe debet recenter, ideſt eo anno benedictum.*
III. *Quæ benedictio ſolemnis eſſe debet, non privata.*
IV. *Unctio debet fieri digito dexteræ Epiſcopi.*
V. *Peccat Epiſcopus, qui ungendo chriſmate crucem non efformat.*

Conſectarium Primum.

I. BAlſami mixtura cum oleo certe eſt de neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici: ideo graviter peccaret Epiſcopus, qui ſolo oleo Confirmationem conferret. Quapropter, ſi non adſit chriſma, potius eſt a Confirmatione ceſſandum, quam illam ſimplici oleo miniſtrare; cum non ſit Sacramentum neceſſitatis, & ſine debita, etiam ex Eccleſiæ præcepto, materia adminiſtrari non debeat. Num autem etiam ſit de neceſſitate valoris Sacramenti, adeo ut nullum ſit Sacramentum ſimplici oleo miniſtratum, ſunt, qui inficiantur: at probabilius etiam ad valorem Sacramenti requiri, ea omnia evincunt argumenta, quæ attulimus cap. præced. num. 10. & adeo mihi valida videntur, ut ſaltem dubium conſtituant Sacramentum, ſi fuerit ſimplici oleo miniſtratum. Num autem eſſet repetendum, non audeo definire; ſed in tali caſu plane rariſſimo conſilium eſſet exquirendum Epiſcopi, & etiam, ſi opus ſit, Sedis Apoſtolicæ.

Conſectarium Secundum.

II. Chriſma eſſe debet ab Epiſcopo benedictum, & quidem recenter, ideſt eodem anno. Hanc quoque benedictionem neceſſariam eſſe Eccleſiaſtici præcepti neceſſitate nullus eſt, qui inficietur, vel ambigat: quapropter lethale eſſet peccatum in Chriſmate a ſimplici Sacerdote benedicto Confirmationem adminiſtrare. Immo, quæ attulimus argumenta n. 12. præced. cap. neceſſitatem hujus benedictionis oſtendunt ad valorem Sacramenti. Hanc autem Chriſmatis conſecrationem adnumeratam fuiſſe inter propria, & præcipua Epiſcopalis Ordinis munia, & nos loc. cit. indicavimus, & docet quoque Bened. XIV. allatis plurium Conciliorum Decretis, & præſertim Carthaginenſis IV. anni 397. ſtatuentis, ut Presbyter inconſulto Epiſcopo Virgines non conſecret; Chriſma vero nunquam conficiat. Expendit deinde, num ex ſuprema Summi Pontificis auctoritate Presbyteris dari poſſit facultas ſacrum Chriſma benedictione conficiendi, & ſtatuit poſſe, hac efficaciſſima ratione: quia ſi Summus Pontifex ſuprema ſua auctoritate poteſt ſimplici Sacerdoti munus demandare conficiendi Sacramentum Confirmationis, de ſe ceteroquin adnexum Ordini Epiſcopali, eo magis poterit facultatem elargiri præparandi ejuſdem Sacramenti materiam. Addit & non deeſſe hujus conceſſæ poteſtatis exempla, quæ ibidem recenſet. Animadvertit tamen, & ſapientiſſime, raro hanc poteſtatem conceſſam, & rarius concedendam, quam illam adminiſtrandi Confirmationem: quia hujuſmodi extraordinariæ facultates non ſunt concedendæ ſine magna, & urgenti neceſſitate, vel difficultate, quæ certe non occurrit in conſecratione Chriſmatis; cum ſimplex Sacerdos, ad miniſterium Confirmationis a Sede Apoſtolica aſſumptus, facile poſſit habere, & ſecum deferre Chriſma ab Epiſcopo conſecratum. Eſſe autem adhibendum Chriſma recenter, eodem anno ſcilicet, conſecratum, affirmat idem Pontifex n. 2. in præcepto eſſe: proinde graviter peccaret, qui veteri Chriſmate, cum novum haberi poſſet, uteretur. Quod ſi deficeret intra annum, addi poſſet oleum non benedictum, in minori tamen quantitate, quam ſit Chriſma, quod ſupereſt; ita tamen ut hoc modo ſolum uſque ad novi chriſmatis benedictionem, & non ultra duret.

Conſectarium Tertium.

III. Chriſmatis conſecratio non privatim, ſed ſolemnibus cæremoniis perfici debet: adeo ut peccaret graviter Epiſcopus, qui privatim benedicere auderet. Veritas hujus propoſitionis patet ex omnibus Ritualibus Libris, qui modum ſolemnis conſecrationis præſtituerunt; quem profecto ritum violare, cum ſit res graviſſima, & ſummi momenti, graviſſimum eſſet crimen. Præcipuæ vero cæremoniæ hæ ſunt. 1. Preces ad Deum funduntur. 2. Signum Crucis efformatur ſuper oleum, & balſamum. 3. Epiſcopus aliquoties halit ſuper ampullam Chriſmatis. 4. Chriſma jam conſecratum ab Epiſcopo, & Presbyteris ſalutatur his verbis, *Ave Sanctum Chriſma*. Cæremonias iſtas a pluribus ſeculis obſervatas conſtat ex Sacra-

cramentario S. Greg. ex Ordine Romano, ex Amalario lib. 1. de Divinis Offic. cap. 12. A longo etiam tempore invaluit, ut hæc conſecratio ſemel quotannis nonniſi Fer. V. Maj. Hebd. ſive iu Cœna Domini celebretur; quod a Chriſti profectum inſtitutione Auctor Epiſtolæ Decretalis S. Fabiano Papæ ſuppoſitæ prædicat. Sed falſo, cum Tolet. Concil. initio V. ſeculi habitum dixerit: *Epiſcopis ſane certum eſt omni tempore licere Chriſma conficere*. At VII. Seculo id jam in morem tranſiſſe ex laud. Sacrament. S. Greg. & Ordine Romano, & S. Iſidoro Hiſpalenſi colligitur, qui mos eſt ſane cuſtodiendus, nec ſine culpa mutandus.

Conſectarium Quartum.

IV. Unctio fieri debet digito pollice dexteræ Epiſcopi, nec licite alio modo fieri poteſt. Ita enim præſcribit Pontificale, & deſumptum eſt ex Sacram. S. Gregorii: proinde ritus eſt ex præcepto obſervandus; adeoque peccaret Epiſcopus, qui alio digito, vel alia manu, ſive modo ungeret confirmandos: quam culpam levem quidem dicunt Leander, aliique benigniores Theologi ob rei parvitatem; ſed merito gravem declarat Suarez, eo quod ad aptiorem, & decentiorem Sacramenti adminiſtrandi rationem, nec ſine myſticæ ſignificationis intuitu, pollicis uſum ſua præſcriptione Eccleſia determinaſſe videtur, qui finis eſt admodum momentoſus, & ſufficiens ad mortiferam ſui negligentiam, vel eluſionem reddendam. Præterquamquod, ut non ſemel diximus, in Sacramentis conferendis, adminiſtrandiſque nihil eſt leve, ſed præcipue dum de ipſorum agitur materia, & forma. Excuſare fortaſſis poſſet uſus alterius digiti a pollice, vel lævæ manus, ſi Epiſcopus chiragra, vel alio morbo affectus, ab uſu pollicis, vel dexteræ impediretur. At tunc quoque inſpicendum foret, num tanta ſit adminiſtrandæ Confirmationis neceſſitas, vel convenientia, ut differri non poſſet ad tempus melioris valetudinis Epiſcopi, vel alii Epiſcopo committi.

Conſectarium Quintum.

V. Peccaret Epiſcopus, qui frontem inungens Chriſmate, ſignum Crucis non efformaret. Et peccare quidem affirmant omnes. At Recentiores aliqui, ſemper ad Sacramentales ritus extenuandos proclives, non niſi veniale piaculum eſſe arbitrantur. At nobiliores Theologi gravis culpæ redarguunt Miniſtrum, Crucem unctione non ſignantem; & jure meritoque. Nam 1. ritus iſte eſt ſummi momenti, & ad perfectionem Chriſmationis requiſitus; cum Confirmatio ad hoc inſtituta ſit, & ideo conferatur, ut hominem ad Confeſſionem fidei roboret, atque inſtruat, qua potiſſimum ignominia Crucis Chriſti, quæ Judæis eſt ſcandalum, Gentibus vero ſtultitia, concutitur, & impetitur. Unde S. Auguſtinus ſerm. 112. de verbis Apoſtoli dicit: *Hæc eſt doctrina Chriſtiana humilitatis præceptum, humilitatis commendatio, ut non gloriemur, niſi in Cruce Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Nam non eſt magnum in Chriſti ſapientia gloriari; magnum eſt in Cruce Chriſti gloriari: unde inſultat impius, inde gloriatur pius; unde inſultat ſuperbus, inde gloriatur Chriſtianus. Noli erubeſcere de Cruce Domini, ideo in fronte tanquam in ſede pudoris ſignum ipſum accepiſti; recole frontem tuam, ne linguam expaveſcas alienam.* 2. Quia periculo nullitatis exponeret Sacramentum: nam falſam redderet formam, qua dicitur, *Signo te ſigno Crucis &c.* ſi Crucem unctione non exprimeret. Cui doctrinæ favere videtur S. Th. hic q. 72. a. 4. in corp. dicens, tria eſſe in hoc Sacramento neceſſaria: & tertium, ſcribit, *eſt ſignum, quod pugnatori datur... Et quantum ad hoc dicitur, Conſigno te ſigno Crucis, in quo ſcilicet Rex noſter triumphavit.*

CAPUT QUINTUM.

De Confirmationis Forma.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Non eſt improbabilis ſententia, quæ docet, orationem eſſe partialem formam Confirmationis.*
II. *At probabilior ſententia docens, verba Epiſcopi conſignantis formam conſtituere.*
III. *Nonnulla objecta ſolvuntur.*
IV. *Ea ſola verba integram conſtituunt Confirmationis formam.*
V. *Oratio non eſt neceſſaria hujus Sacramenti forma.*
VI. *Forma Sacramenti Confirmationis apud Græcos exponitur.*
VII. *Omnia verba latinæ Formæ ſunt eſſentialia.*
VIII. *Alicujus omiſſione periculo fruſtrationis Sacramentum committitur.*
IX. *Mos aliquorum Epiſcoporum laudatur.*

I. FOrma Sacramenti Confirmationis, ſicut in omnibus aliis Sacramentis, in verbis conſiſtit, quæ in materiæ applicatione proferuntur. Sicut itaque, ut in præcedenti cap. 3. diximus, non deſunt Theologi, qui manuum impoſitionem, ab unctione diſtinctam, partialem ſaltem materiam hujuſce Sacramenti conſtituunt; ita & orationem, quæ ſub tali manuum impoſitione, vel extenſione ab Epiſcopo recitatur, partialem putant hujus Sacramenti formam, quod accedente unctione, & verbis eam comitantibus, tanquam alia partiali materia, & forma perficitur, & completur. Quæ profecto ſententia non omni deſtituitur probabilitate, & defenditur a nobilioribus Theologis, Natali Alex., Juvenino, Druenio, & Gotti his innixis argumentis. 1. Quia magnum habet in Scriptura fundamentum: Apoſtolos enim in manuum impoſitione, qua baptizatos confirmabant, non aliis verbis legimus uſos, quam precatoriis, & Spiritum Sanctum ſuper Neophytos advocantibus: *Cum autem audiſſent* (dicitur Act. 8.) *quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum S. tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum S.* 2. Confirmant traditione. Nam vetuſti Auctores, & Patres deſcribendo Confirmationis ritum, præter impoſitionem manuum, vel Chriſmationem, quæ eſt illius materia, nullius alterius formæ illi adjectæ meminerunt, quam orationis, qua invocatur Spiritus Sanctus. Tertull. lib. 6. de Baptiſ-

ptiſmo inquit: *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum.* S. Cyprianus Epiſt. ad Jubaj. de Petri, & Joannis ad Samaritanos miſſione memorata in Actis verba faciens, ſcribit: *Tantummodo, quod deerat, a Petro, & Joanne factum eſt, ut oratione pro eis habita, & manu impoſita invocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus.* Quibus addunt alia teſtimonia ex S. Ambroſio lib. 3. de Sacram. cap.2. ex S. Hieronymo in Dial. adv. Lucif. & ex S. Auguſtino lib. 15. de Trinit. cap. 26. ſcribente: *Neque aliquis Diſcipulorum ejus* (Chriſti) *dedit Spiritum S. orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant; non eum ipſi dabant: quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.* 3. Addunt perpetuam Eccleſiæ praxim huic ſuæ favere ſententiæ. Oratio enim invocatoria Spiritus Sancti ad Chriſmationem prævia in omnibus tum Latinorum, tum Græcorum vel antiquiſſimis Ritualibus reperitur. Nam in Sacrament. S. Gregorii, unde eam Ordo Romanus, & Pontificale traxeruut, his verbis ab Epiſcopo levata manu ſuper capita Confirmandorum proferri jubetur: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos . . . . emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum Paraclitum de cœlis &c.* Et ex Euchologio Græco ſic redditur a Goario: *Benedictus es Domine Deus . . . . Domine Rex omnium ſignaculum doni ſancti, & omnipotentis, & adorandi tui Spiritus . . . . ei largire &c.* Ex his itaque inferunt laudati Theologi, orationem eſſe ſaltem partialem formam Sacramenti Confirmationis.

II. At probabilius dicendum eſt, apud Latinos in verbis, quæ chriſmando Epiſcopus profert, nempe *ſigno te ſigno Crucis, confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* & non in aliis, formam integram Confirmationis contineri. Hæc aſſertio, quæ eſt D. Th. & omnium ferme Theologorum ſuffragio gaudet, ſic probatur. 1. Quia incipiendo a Sacramentario Greg. & Ordine Romano nullum Latinorum Pontificale, Rituale, Sacramentarium vel antiquiſſimum invenitur, quod Epiſcopo in actuali chriſmatione, quando maxime Sacramenti forma ab eo pronuntianda videtur, aliquid dicendum præſcribat, quod in laudatis verbis, ſaltem quoad ſenſum non comprehendatur. 2. Quia Eugenius IV. in Decreto Florentino eadem verba formam eſſe Confirmationis aſſeverat; & durum eſt dicere, ipſum vel ſolum accidentalem, vel integrantem, vel ſolum partialem formam docuiſſe, nulla facta de oratione mentione, quæ tamen vel eſt eſſentialis, vel ſaltem partialis forma. 3. Quia hæc ipſa verba ad ſignificationem Chriſmatis determinandam, ejuſque declarandam efficaciam (quod eſt officium formæ) maxime accommoda, & idonea comperiuntur. In eis enim, ut obſervat D. Th. (qui totalem Confirmationis formam in ſolis prærecitatis verbis agnoſcit) tria neceſſaria continentur. Primum eſt „ cauſa conferens plenitudinem roboris ſpiritualis, quæ eſt Sancta Trinitas, quæ exprimitur, cum dicitur, *In nomine Patris &c.* Secundum eſt ipſum robur ſpirituale, quod homini confertur per Sacramentum materiæ viſibilis ad ſalutem: quod quidem tangitur, cum dicitur: *Confirmo te Chriſmate ſalutis.* Tertium eſt ſignum, quod pugnaturo datur . . . & quantum ad hoc dicitur: *Conſigno te ſigno Crucis*, in quo ſcilicet Rex noſter triumphavit". Quæ præfata verba eum videntur ſenſum referre, quem Apoſtolus 2. ad Corinth. 1. probabiliter de Chriſmatis Sacramento locutus, poſtulat dicens: *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Et ad eadem alluſiſſe videtur S. Ambroſius de initiandis cap. 7. *Signavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo.*

III. Neque hanc noſtram infirmant aſſertionem, quæ Recentiores opponunt argumenta: nimirum 1. Scripturarum ſilentium, quæ nec horum verborum veſtigium exhibent: 2. immo & ſilentium, quod apparet in omnibus monumentis Sæculo VIII. vetuſtioribus. Nam neque in Sacramentario S. Gregorii reperiuntur, quod in Capite de Sabbato Sancto ritum Confirmationis deſcribens, hæc habet: *Pontifex tincto pollice in Chriſmate facit Crucem in fronte unius, ſimiliter per omnes ſigillatim. Quibus expletis juſſi incipiunt Litaniam tertiam*: ubi nulla de præfatis verbis mentio. Porro dici non poſſunt ad formam eſſentialem Sacramenti pertinere, quæ noviter poſt tot ſecula inducta videntur. Nam reſpondemus, mirum non eſſe, ſi hæc forma in Scripturis non inveniatur, in quibus fruſtra pleraſque Sacramentorum formas requiras, cum neque Chriſmationis ulla ibidem occurrat mentio: ſed quæ omittit Scriptura, non excludit, traditione nobis notificanda relinquens. Neque uſquequaque verum eſt univerſale ſilentium in antiquis Ritualibus: nam Gelaſii Papæ antiquus Sacramentorum liber, a Joſepho Thomaſio editus, æquivalentia huic formæ verba ponit: *Signum Chriſti in vitam æternam Amen.* Præterea hoc etiam admiſſo ſilentio, non propterea præſumendum eſt, verba illa, aut ſimilia pronunciari minime conſuevíſſe; ſed cautum erat, ne Sacramentariæ formæ (iis exceptis quæ ex Evangelio jam notæ erant, ut Euchariſtiæ, & Baptiſmi verba) litteris proderentur: principio quidem, ne Gentibus chriſtianos ritus irridentibus innoteſcerent; deinde ne iis quoque, qui ſacris Myſteriis initiati non erant, vulgatæ in minori reverentia haberentur. Hoc diſcimus ex Innoc. Papæ I. ad Eugubinum Epiſcopum Decentium epiſtola cap. 3. ubi, poſtquam de Unctione in Confirmatione adhibenda diſſeruit, ſubdit de verbis in ea pronunciandis: *Verba autem dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere.* Hoc igitur eſſe potuit in cauſa, cur VI. labente ſeculo, in quo nondum diſciplina arcani penitus in Occidente exoluerat, Confirmationis verba in ſuo Sacramentario reticuerit Gregorius, quæ poſtea in Ordine Romano poſita fuerunt, non primum tum adinventa, vel inſtituta, ſed ex ſecreta traditione ſuſcepta.

IV. Quod vero ea ſola verba integram conſtituant Sacramentalem Confirmationis formam, oſtenditur 1. Quia in Euchologio Græcorum, quod exhibet P. Martenne in lib. de Antiq. Eccl. Ritibus, præſcribitur, ut, ſi puer morti proximus ſit baptizandus, ſtatimque Confirmandus, omittatur Oratio, & adhibeatur Unctio cum conſueta apud

apud Græcos forma: quod profecto indicat, apud Græcos orationem præcedentem unctionem non ad eſſentiam Sacramenti pertinere. 2. Quia, ut vidimus, Eugenius IV. in Decreto Florentino nedum quæ in Chriſmatione profert Epiſcopus, dicit eſſe formam Confirmationis; ſed præterea nullam aliam memorando, indicat in eiſdem totalem, atque integram formam contineri. Præterea Pontificale Romanum juſſu Clementis VIII. editum, ſed tamen ad antiquiora Pontificalia expenſum, & caſtigatum, poſt Orationem Spiritus S. invocatoriam ab Epiſcopo recitatam, de inungendis, & tanquam ex integro confirmandis loquitur; & tunc tandem eos confirmatos pronuntiat, quando ab Epiſcopo dicente, *Signo te Signo Crucis &c.* ſummitate pollicis dexteræ manus Chriſmate intincta unctionem in Crucis modum efformatam recipiunt. *Pontifex*, inquit, *ſedens ſuper faldiſtorium, vel etiam, ſi multitudo Confirmandorum exigit, diſpoſitis illis per ordinem ſuper gradus Presbyterii, vel alibi, ſtans cum Mitra illos confirmat per ordinem genuflexos, & uno ordine confirmato, illi ſurgunt; & alii genuflectunt, & confirmatur, & ſic uſque in finem.* Denique ita communiter ſentiunt Epiſcopi, quippe qui ſolent ad Sacramentum Confirmationis, & ad Chriſmatis unctionem illos admittere, qui nondum venerant, nec aderant, cum orationem illam ſuper confirmandos, qua invocatur Spiritus S., recitarunt: & tamen nullus eſt, qui eos rite confirmatos non cenſeat, qui Sacrum Chriſma ſub verbis ejus impoſitionem comitantibus acceperunt, in quibus proinde totam Confirmationis formam comprehendi proculdubio cenſent.

V. Supereſt nunc, ut oſtendamus argumenta Theologorum, quæ Orationem quoque tanquam partem eſſentialem poſtulant, non omnino eorum intentum evincere. Dicimus igitur Orationem, quæ præmiſſa in Actibus Apoſtolorum memoratur manuum impoſitioni, non fuiſſe partem ullam eſſentialem, adeoque nec materiam, nec formam Sacramenti collati; ſed tantum præparationem quandam, & introductionem ad illud celebrandum. Orabant ſiquidem 1. Apoſtoli, ut Neophytorum corda ad illud fructuoſe recipiendum diſponerentur; poſtea Sacramentum adminiſtrabant. *Oraverunt* (dicitur Act. 8. *pro ipſis* ſcilicet Petrus, & Joannes pro baptizatis Samaritanis) *ut acciperent Spiritum Sanctum*. Quid deinde? *Tunc imponebant manus ſuper illos* (ideſt Oratione expleta illos confirmabant) *& accipiebant Spiritum Sanctum*: ita ut ritus Confirmationis ſolum his poſterioribus verbis ſignificetur; non quidem quoad formam, quæ ſubintelligenda relinquitur, ſed quoad materiam, quæ ſola expreſſe refertur. Dum vero Patres dicunt, oratione, & invocatione in Chriſmatione tum dari Spiritum Sanctum, nomine orationis ipſam formam adhibitam ſignificant, qui omnes formas Sacramentorum, etiam indicativa conceptas phraſi, orationem appellant. Teſtes hujus veritatis ſunt S. Cyrillus, qui Catech. 3. verba, quibus conficitur Euchariſtia, Spiritus Sancti invocationem denominat, dicens: *Quemadmodum panis Euchariſticus poſt S. Spiritus invocationem non amplius eſt panis commmunis, ſed Corpus Chriſti &c.* S. Auguſtinus, qui lib. 5. de Baptiſmo cap. 20. Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ formas vocat indiſcriminatim *deprecationes*, dicens: *Quomodo exaudiat Deus homicidam, deprecantem vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam.* Et non immerito; nam cum formis Sacramentorum effectum Sacramenti Deus alligaverit, atque iſtæ quodammodo ipſum noſtræ ſanctificationis auctorem, ac principalem cauſam ad infundendam gratiam determinent, non quidem per modum imperantis, quod vero inſtrumento competere nequit, ſed efficacitate in genere morali longe inferiori; certe ad inſtar cujuſdam invocationis, & precationis ſe habere videtur, & inde orationis nomen promereri. Nec opponant ex verbis S. Jacobi in epiſt. cap. 1. *Orent ſuper eum, ſcil. inungentes eum oleo in nomine Domini*: omnes fere Theologos inferre, & colligere formam Extremæ Unctionis deprecatoriis verbis conſtare; quod profecto & dicendum de unctione adhibita ab Apoſtolis in danda Confirmatione. Nam non ex verbis Apoſtolorum ſolitarie acceptis, ſed inſuper perpetua praxi Eccleſiæ, & Patrum traditione roboratis eam conſecrationem educunt Theologi; in caſu vero noſtro Eccleſiæ traditio, atque uſus interpretationem ſuggerit ab alio ſcripturæ ſenſu aliquantulum declinantem.

VI. Forma vero hujus Sacramenti apud Græcos in his verbis repoſita eſt: *Signaculum Doni Sancti Spiritus*; quæ cum Latinorum forma ſubſtantialiter concordat. Et revera in actuali Chriſmatione verba prædicta a chriſmante eſſe proferenda in omnibus Græcis Euchologiis præſcribitur, & eadem ab omni retro antiquitate Græcis in confirmando uſitata fuere; ut colligitur ex Concil. Conſtantinopol. I. can. 1. & ex Aſſerio Amaſeæ Epiſcopo in ſerm. de Prodigo apud Photium, & ex Catecheſi 18. S. Cyrilli Hieroſol., aliiſque; nec alia præſcribitur, quando infanti mox morituro eſt poſt Baptiſmum miniſtranda Confirmatio. Convenire autem cum Latina patet, quia illa tria continet, quæ per Chriſmationem, ut ex S. Th. vidimus, ſignificantur; ſcilicet cauſam principalem, ejuſdem effectum, & ſignum chriſtianæ militiæ: hoc ultimum habetur in voce *Signaculum*: primum in *doni*, ſeu *donationis* nomine; medium in actione *Sancti Spiritus*. Quod vero apud Græcos tota Trinitas expreſſe non nominetur, & quod perſona confirmata reticeatur, & quod Chriſmatis mentio non fiat, eſſentialem non inducit diverſitatem; præſertim cum Perſona ipſo opere, & unctionis applicatione demonſtretur, & ſignaculi nomine tum ipſi Chriſmationi, tum Charactéri per eam fronti deſcripto conveniens, Chriſma quoque notificetur, & denique Spiritus S., qui eſt Patris, & Filii Spiritus, totius Trinitatis denotet operationem.

VII. In Latina forma probabiliſſimum eſt omnia verba ad eſſentiam Sacramenti pertinere; proinde non poſſe ſine gravi peccato vel mutari, vel omitti, immo non ſine periculo fruſtrationis Sacramenti. Primæ hujus aſſertionis parti non omnes conſentiunt Theologi. Nam Guilelmus Eſtius, Baſilius, Pontius, putant non eſſe eſſentialia prima verba, *Signo te Signo Crucis*; quia in Ordine Romano non reperiuntur. Diana, & Henriquez non reputant neceſſaria illa verba *Confirmo te*, ſi præceſſerint mox allata verba; quia in Sacramentario Toloſano hæc ſola ponuntur verba, *Si-*

Signo te Signo Crucis. Immo nonnulli putant, ſola Trinitatis invocatione integram haberi formam, ceteris omnibus omiſſis vocibus; quia Alcuinus in lib. de Divinis Offic. cap. de Sabb. S. & Ambroſius lib. itidem de Offic. cap. 27. hæc tantum verba dicunt recitanda, dum fit chriſmatis unctio, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Verum ſummam noſtræ doctrinæ probabilitatem oſtendunt & D. Th. auctoritas hic a. 4. qui omnia præfata verba ad eſſentialem formæ integritatem pertinere, aſſerere videtur, cui adhærent omnes antiquiores Theologi; & Decretum Eugenii, & Pontificale Romanum, immo & Ordo Romanus MS. reliquis exemplaribus vetuſtior, ea omnia verba, tanquam integram, & eſſentialem formam conſtituentia, recitat. Præterea ſingula verba ſignificationem habent diſtinctam, & admodum hujus Sacramenti explicandæ virtuti, atque efficaciæ congruam, ut ſuperius ex D. Th. oſtendimus. Et certe maximi conſentiunt Theologi in affirmanda neceſſitate illarum dictionum, *Confirmo te*, ſine quibus Confirmationis proprius effectus non intelligitur; ſicut & divinarum Perſonarum expreſſam invocationem pro eſſentiali, & neceſſaria habent; quia in Sacramento, quo Chriſtianus ad hujus præſertim Myſterii fidem profitendam roboratur, ejus mentio præteriri non debet, quæ, ſi ad Baptiſmi veritatem requiritur, cur in ritu, quo Baptiſmus perfici perhibetur a Patribus, negligatur? Nec opponant, in Græcorum forma hæc omnia non neceſſario exprimi. Nam in Latino ritu fortaſſis ex parte verborum ad perficiendum Sacramentum aliquid amplius requiritur, quam in Græco idiomate non exprimitur; quoniam probabile eſt, a Chriſto Domino Eccleſiæ relictum verba in Sacramentis conficiendis pronuncianda determinare; Eccleſiam vero hac uſam poteſtate, Græcis quidem permiſiſſe, ut breviore illa formula uterentur, ſed Occidentalibus; & Romanum morem ſecutis, fuſiorem, & magis explicitam præſcripſiſſe, cujus aliquo ſenſu immutato, vel ſuppreſſo irrita foret Confirmationis adminiſtratio.

VIII. Hinc ſequitur verum eſſe, quod ſecundo loco diximus, nimirum periculo fruſtrationis exponi Sacramentum, ſi aliquod præfatorum verborum vel omittatur, vel ſubſtantialiter varietur. Nam cum omnia mox producta argumenta & extrinſece fulciantur Doctorum auctoritate, & non careant intrinſeca probabilitate; palam eſt periculo nullitatis, & fruſtrationis committi Sacram Chriſmationem, ſi aliquod ex conſuetæ formulæ verbis omittatur, vel ſubſtantialiter varietur. Dixi ſubſtantialiter: nam accidentalis mutatio non ſemper ſenſum corrumpit formæ juxta ea, quæ diximus tum 1. Par. de Sacram. in gen. tum in 2. de forma Baptiſmi. Hinc, ſi integra manente ſententia verba aliquantulum vel traſponantur, vel inflectantur, non ſtatim ſequitur irritum eſſe Sacramentum; ut ſi diceretur: *Confirmo te Chriſmate ſalutis, & ſigno te ſigno Crucis in nomine &c.* vel ſi loco *Signatur* modo indicativo, dicatur modo imperativo, *Signetur ſervus Chriſti &c. & confirmetur Chriſmate ſalutis &c.* At quæcumque levis mutatio fiat, profecto grave committitur peccatum, niſi excuſet inadvertentia, vel linguæ involuntarius lapſus: quoniam eſt Eccleſiæ præceptum juſtiſſimum, & graviſſimum de ſervando integre, & illibate ritu, a ſe in Sacramentorum adminiſtratione præſcripto, & maxime qui ad materiam, & formam pertinere dignoſcitur; cum, ut non ſemel diximus, in re tam momentoſa, ſacroſancta, & ſublimi nihil leve dici poſſit.

IX. Sunt nonnulli Epiſcopi, qui ob probabilitatem doctrinæ, aſſerentis impoſitionem manuum diſtinctam ab unctione, & orationem præmiſſam, eſſe partes Sacramenti Confirmationis, hunc ſervant in frequentiſſimis Confirmationibus morem, ut, Confirmandis per ordinem diſpoſitis, Sacram incipiant functionem recitando Orationem ſuper Confirmandos expanſis, ſeu elevatis ſuper eos manibus: deinde ſingulos Chriſmate liniunt, conſuetam formam proferendo; expleto autem uno ordine, & aliis in diſcedentium loco ſubſtitutis, novum ordinem incipientes præfatam Orationem cum manuum extenſione repetunt; ut, ſi forte aliqui primæ non interfuerint, in hac ſecunda comprehendantur. Qui mos laudandus mihi videtur, cum hic modus agendi tutiſſimus ſit in omni ſententia, ab omnibus Theologis adprobandus, ſive dicant totam materiam, & formam in impoſitione manuum cum Oratione conſiſtere; ſive doceant ea ſaltem partialem materiam conſtituere; ſive denique ſolam impoſitionem manuum per unctionem cum adjunctis verbis ſufficere ad integritatem Sacramenti propugnent.

CAPUT SEXTUM.

De Auctore, & Miniſtro Confirmationis.

DOCTRINA.

I. *Auctor Confirmationis Chriſtus Dominus.*
II. *Quando hoc Sacramentum inſtituerit.*
III. *Ordinarius Miniſter hujus Sacramenti Epiſcopus.*
IV. *Simplex Sacerdos eſſe poteſt Miniſter extraordinarius.*
V. *Antiquiſſima eſt apud Orientales extraordinaria poteſtas.*
VI. *A Romanis Pontificibus non improbata.*
VII. *Quibus ſolis competit talem extraordinariam poteſtatem concedere.*
VIII. IX. *Nonnullæ conditiones ad licitam hujus Sacramenti adminiſtrationem.*

I. CONfirmationis Auctor immediatus non alius fuit, nec eſſe potuit, niſi Chriſtus Dominus. Huic noſtræ aſſertioni non adverſantur nonnulli antiquiores Scholaſtici, Alexander Alenſis, D. Bonaventura, aliique, qui aſſerunt inſtitutum hoc Sacramentum vel ab Eccleſia, vel a Conciliis: nam ipſi non de immediata, ſed de mediata inſtitutione ſunt intelligendi. Etenim certum eſt, quod & ipſi fatentur, & verum agnoſcunt, Sacramenta novæ Legis ſola humana, ſive Eccleſiaſtica, ſive Apoſtolica auctoritate inſtitui non potuiſſe; cum efficientia gratiæ nequeat ſenſibilibus ſignis alligari niſi ab eo, qui fons ipſius gratiæ dignoſcitur: & quia poteſtas excellentiæ, quæ ad Sacramenta inſtituenda requiritur, nulli prorſus, ſed ſoli Chriſto Domino conceſſa ab omnibus Theologis affirmatur. Et revera hanc inſtituendi Sacra-

cramenta poteſtatem ſibi, & aliis Apoſtolis datam negat D. Paulus in 1. ad Corinth. cap. 4. ſcribens: *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei:* quibus verbis apparet, nudum miniſterium, ſolamque Sacramentorum diſpenſationem Apoſtolis concreditam fuiſſe, non inſtituendi facultatem. Multo minus hanc ſibi vendicat poteſtatem Eccleſia; cum nihil circa Sacramentorum ſubſtantiam ſibi licere in Concilio Trident. ſeſſ. 21. cap. 2. aperte declaraverit. Firmum igitur manet, Confirmationis Sacramentum immediate a Chriſto fuiſſe inſtitutum: quod licet in Evangelio non legatur; tamen ex illis omnibus ſacris documentis colligitur, quæ pro ejus Sacramentali dignitate aſſerenda cap. 1. nu. 3. attulimus.

II. Quando autem Chriſtus illud inſtituerit, incertum eſt: probabilius tamen ad tempus, quod inter Reſurrectionem Domini, & Aſcenſionem interfluxit, ejus inſtitutio refertur. Nam neque ex Scriptura, neque ex traditione quidpiam certi ad præfatum tempus deſignandum erui poteſt. In ceteris autem Auctoribus ſumma eſt hac de re opinionum diverſitas. Quidam enim tunc iſtud Sacramentum conditum credunt, quando Chriſtus Matth. 18. oblatis ſibi ad benedicendum pueris manus impoſuit. Quidam in ultima Cœna legem de eo latam arbitrantur. Aliqui quando poſt Reſurrectionem Redemptor Jo. 20. Spiritum S. Apoſtolis dedit, confirmandi quoque ritum, & poteſtatem dediſſe opinantur. Denique ſunt, qui die Pentecoſtes & confirmatos Apoſtolos viſibili Spiritus S. miſſione, & de Sacramento, quo alios confirmarent, edoctos contendunt. In tanta igitur opinionum varietate, quarum nulla ſolido innititur fundamento, quod probabilius affirmari poteſt, hoc unum eſt, eo tempore fuiſſe inſtitutum, quando Dominus poſt Reſurrectionem ſuam cum Apoſtolis per quadraginta dies converſatus eſt. Nam eo tempore multa Chriſtus ad Eccleſiæ ſuæ firmamentum, atque utilitatem ſpectantia Diſcipulis tradidit; ſiquidem per quadraginta illos dies eum cum illis locutum *de Regno Dei*, ideſt Eccleſia, ut interpretantur Patres, Actuum Apoſtolorum Scriptor S. Lucas enarrat. In his igitur & ea, quæ de quibuſdam Sacramentis in Evangeliis minime expreſſa, traditione Apoſtolica ad nos pervenerunt, locum habuiſſe dicendum eſt; & tunc quoque Confirmationis ritum conſtitutum, & deſignatum. Favet S. Leo M. ſerm. 10. de Aſcenſ. ſic dicens hac de re: *Hi dies, qui inter Reſurrectionem, Aſcenſionemque fluxere, non otioſo tranſiere decurſu, ſed magna in eis confirmata Sacramenta, magna revelata myſteria.* Nec noſtræ doctrinæ adverſatur D. Thom. cum hic art. 1. dicit, a Chriſto hoc Sacramentum inſtitutum „ non exhibendo, ſed pro„ mittendo, ſecundum illud Jo. 16. *Si non abiero,* „ *Paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero,* „ *mittam eum ad vos.* Et hoc ideo, quia in hoc „ Sacramento datur plenitudo Spiritus S. quæ non „ erat danda ante Chriſti Reſurrectionem, & „ Aſcenſionem, ſecundum illud Jo. 7. *Non erat* „ *Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorifi*„ *catus* “. Nam dicimus verba S. Thom. non eſſe accipienda de inſtitutione proprie dicta; hæc enim non ſolam promiſſionem effectus importat, ſed exterioris ſigni deſignationem, ritumque, ſin ad uſum præſentem, ſaltem ad præſcriptionem impoſterum: ſed largius accepiſſe inſtitutionis vocabulum, prout quamlibet vel remotam rei faciendæ denotat indicationem. Uno verbo, S. Doctoris conſilium eſt, aſſerere Sacramentum Confirmationis aliquo modo, ſcilicet in ſuo effectu, promiſſum a Chiſto, dum adhuc in mortali vita degeret; non autem abſolute inſtitutum eo tempore definire: immo oppoſitum inſinuat hoc ipſo, quod negat ante Reſurrectionem illud nunquam fuiſſe exhibitum.

III. Ordinarius Miniſter hujus Sacramenti eſt ſolus Epiſcopus, non humana deſtinatione, ſed jure Divino, & Chriſti Domini inſtitutione. Hæc noſtra aſſertio catholicum dogma complectitur, quod oppugnant, poſt Photium, ei adhærentes Græci Schiſmatici, nec non Wiclephus, Jo. Hus, Lutherus, & Calvinus, contendentes non magis Epiſcopis, quam reliquis Sacerdotibus confirmandi facultatem competere, & reſervationem hujus functionis prioribus factam, ſolum ex humana ambitione, & lucri cupiditate inductam. Contra quos catholicam veritatem definivit Conc. Tridentinum ſeſſ. 7. can. 3. de Confirmatione his verbis: *Si quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem; anathema ſit.* Et ſeſſ. 23. can. 7. eos anathemate ferit, qui dicunt. *Epiſcopos vel non habere poteſtatem confirmandi, vel eam, quam habent, eſſe illis cum Presbyteris communem.* Hoc idem & ante Tridentinum in Florentina Synodo, Decreto pro Armenis docuerat Eugenius ſic ſtatuens: *Ordinarius Confirmationis Miniſter eſt Epiſcopus; &, cum ceteras unctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonniſi Epiſcopus debet conferre.* Præfatum dogma ex Scripturis eruitur, videlicet ex cap. 8. Actor. ubi ad confirmandos baptizatos a Philippo Diacono Samaritanos, leguntur miſſi ab Apoſtolis duo ex proprio Collegio, nempe Petrus, & Joannes, non jam ex inferioribus diſcipulis aliqui: *Cum audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quod Samaria recepiſſet verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem, qui, cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Jeſu: tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Ex quo loco nedum Florentinum Concilium, ſed longe ante SS. PP. ſolis Epiſcopis, qui in Eccleſia Apoſtolorum vices gerunt, confirmandi munus ceu ordinariis Miniſtris incumbere luculentiſſime collegerunt. Ex Græcis S. Jo. Chryſoſt. hom. 18. in Acta ſic loquitur: *Ideo baptizans* (Philippus) *Spiritum Sanctum non dabat, hoc enim ſolorum Apoſtolorum erat, hoc erat in Apoſtolis ſingulare: unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.* S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 450. *Baptizabat dumtaxat Philippus, ut diſcipulus; Apoſtoli autem gratiam explebant, & perficiebant.* Ex Latinis vero S. Cyprianus epiſt. 70. ad Jubaj. *Quia legitimum eccleſiaſticum Baptiſmum conſecuti fuerant* (Samaritani) *baptizari eos ultra non oportebat, ſed tantummodo, quod deerat, a Petro, & Joanne factum eſt, ut oratione pro eis habita, & manu impoſita invocaretur, & infunderetur Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos ge-*

ri-

ritur, *ut qui in Eccleſia baptizantur*, *per Præpoſitos Eccleſiæ offerantur*, *& per noſtram orationem*, *& manus impoſitionem Spiritum S. conſequantur*, *& ſignaculo Dominico conſummentur*. Innoc. Papa I. in epiſt. ad Decentium ſcribit: *De conſignandis infantibus manifeſtum eſt*, *non ab alio*, *quam ab Epiſcopo*, *fieri licere*. *Nam Presbyteri*, *licet ſint Sacerdotes*, *Pontificatus tamen apicem non habent*. *Hæc autem Pontificibus ſolis deberi*, *ut vel conſignent*, *vel Paraclitum Spiritum tradant*, *non ſolum conſuetudo Eccleſiæ demonſtrat*, *verum & illa lectio Actuum Apoſtolorum*, *quæ aſſerit*, *Petrum*, *& Joannem eſſe directos*, *qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum*. Paria habent S. Cornelius Papa in epiſt. ad Fabianum Antiochenum apud Euſebium lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 43. S. Hieronym. Dial. adv. Lucif. Quamobrem in Eccleſia Occidentali ſemper cautum fuit, ne Presbyteri Confirmationis adminiſtrationi ſe immiſcerent. Quapropter V. ſæculo illam ſibi vindicantes ſimplices nonnullos Presbyteros Eccleſiæ Eugubinæ, Innoc. I. in memorata ad Decent. epiſtola repreſſit: quod & præſtitit S. Greg. M. in epiſt. ad Januarium Epiſcopum, quæ eſt 9. libri 3. contra alios Sacerdotes Calaritanos; quod & pluries ſubſequentibus ſæculis & a Conciliis, & a Romanis Pontificibus factum eſt, quotieſcumque Presbyteri hoc ſibi munus aſſumere veriti non ſunt. Congruentem autem Theologicam rationem aſſignat A. P. hic art. 11. his verbis: „ In quolibet opere „ ultima conſummatio ſupremæ arti, aut virtuti „ reſervatur: ſicut præparatio materiæ pertinet ad „ inferiores artifices, ſuperior autem dat formam ... „ Fideles autem Chriſti ſunt quoddam divinum „ opus, ſecundum illud 1. Corint. 3. *Dei ædificatio* „ *eſtis*. Hoc autem Confirmationis Sacramentum „ eſt quaſi ultima conſummatio Sacramenti Baptiſ„ mi: ita ſcilicet quod per Baptiſmum ædificatur „ homo in domum ſpiritualem ... Sed per Sacra„ mentum Confirmationis, quaſi domus ædifica„ ta, dedicatur in templum Spiritus S.... Et ideo „ collatio hujus Sacramenti Epiſcopis reſervatur, „ qui obtinent ſummam poteſtatem in Eccleſia „ &c. “

IV. Simplex Sacerdos per muneris delegationem aſſumi poteſt in extraordinarium Confirmationis Miniſtrum. Veritas hujus propoſitionis, quam olim oppugnarunt Robertus Cardinalis Pullus, Hugo Victorinus, Adrianus, Durandus, & recenter etiam rejiciunt Sambovius, Duhamel, & Hermenier, aliique, ex pluribus eccleſiaſticis documentis etiam antiquiſſimis eruitur. Nam 1. illuſtriores Theologi etiam antiquiores, cujuſmodi ſunt Jacobus a Vitriaco, & D. Thom. cujus verba mox dabimus, & poſtea ex recentibus, Eſtius, Petrus Aurelius, Navarrus, Gotti, Juvenin, Tournelius, Druen, Boucat, aliique bene plurimi noſtram tuentur aſſertionem. S. Thom. hic q. 72. a. 11. ad 1. dicit: „ Papa in Eccleſia habet ple„ nitudinem poteſtatis, e qua poteſt quædam, quæ „ ſunt ſuperioris ordinis committere quibuſdam „ inferioribus .... Et ex hac plenitudine pote„ ſtatis B. Gregorius Papa conceſſit, quod ſimpli„ ces Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, „ quamdiu ſcandalum tolleretur “. Et hoc quidem non gratuito, ſed ſolidis innixi fundamentis. Nam 1. non leviter inſinuatur a Tridentino Concil. Epiſcopis ſolum *ordinarium* Confirmationis miniſterium appropriante, non vero extraordinarium Presbyteris denegante; ſed multo apertius a Florentino dicente, Confirmationis ordinarium Miniſtrum eſſe Epiſcopum, & quibuſdam interjectis ſubdit, *legitur tamen aliquando per Sedis Apoſtolicæ diſpenſationem*, *ex rationabili*, *& urgente admodum cauſa*, *ſimplicem Sacerdotem*, *Chriſmate per Epiſcopum confecto*, *hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*. 2. Suadet auctoritas S. Greg. M. a D. Thom. l. l. citata, qui Calaritanis in Sardinia Presbyteris confirmandi facultatem fecit anno 594. Nam cum anno præcedente eis prohibuiſſet lib. 4. epiſt. 9. ne baptizatos infantes ſignare in fronte chriſmate præſumerent, ſed eos ungerent in pectore, ut Epiſcopis poſtmodum ungerent in fronte; poſtea vero intellexiſſet ea ſua prohibitione multos offenſos, & ſcandalum paſſos, horum ſedaturus perturbationem, ita in epiſt. 26. ejuſdem libri ſuum temperat interdictum ſcribens: *Nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus: ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur*, *ubi Epiſcopi deſunt*, *ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate ungere debeant*, *concedimus*. Id igitur concedit Pontifex Sanctiſſimus, quod antea prohibuerat, & non licitum eſſe dicebat Presbyteris. At hæc non alia poteſt eſſe cæremonia, quam Confirmatio; cum non alia unctio ſupra baptizatos, vel baptizandos facienda, ſit interdicta Presbyteris præter illam, quæ in fronte ab Epiſcopo exhibetur. Dicere autem cum aliquibus ſententiæ oppoſitæ defenſoribus, S. Gregorium erraſſe in ea diſpenſatione, aut œconomiæ, & ſcandali vitandi gratia permiſiſſe abuſum a Calaritanis Presbyteris introductum, nec refutationem meretur, cum tanti Pontificis ſapientiæ, & ſanctitati ſit injurioſum. Hinc plures Summi Pontifices, Gregorii M. exemplum ſecuti, facultatem confirmandi extraordinariam ſimplicibus Sacerdotibus delegarunt, quemadmodum in Decreto Florentino Eugenii IV. ut vidimus, memoratur, & Scriptores fide digni teſtificantur. Plura hujus privilegiatæ conceſſionis exempla recenſet Bened. XIV. de Synodo lib. 7. cap. 7. n. 6. tum antiquiora, tum recentia l. l. legenda. Hinc cum prædictos Pontifices in hujuſmodi diſpenſationibus concedendis aut erraſſe, aut minus probabili opinioni inhæſiſſe, vix queat ſine aliqua temeritate affirmari; jam quiſque perſpicit, quantam veritatis præſumptionem ſuis illi ſuffragiis ſententiæ noſtræ concilient. His omnibus accedit, tanquam validiſſimum argumentum, Græcorum Sacerdotum praxis, qui Sacramentum Confirmationis miniſtrant, de quo ſtatim ſumus dicturi.

V. Antiquiſſima eſt conſuetudo apud Græcos, alioſque Orientales, qua ſimplices apud eos Sacerdotes Confirmationis Sacramentum adminiſtrant. Hæc veritas, quæ in facto conſiſtit, probatur evidenter 1. ex Euchologiis, quibus Eccleſia Conſtantinopolitana a pluribus ſeculis utitur, Sacerdoti, qui baptizat infantem, chriſmationem, & conſignationem confirmatoriam imponentibus. 2. Ex Rituali Severi Patriarchæ Antiocheni a Syris obſervato, qui Baptiſmatis, & Confirmationis officium uno tenore abſque Miniſtri variatione a baptizante peragendum proponit. 3. Ex Photii expoſtu-

ſtulatione in epiſtola Encyclica ad omnes Orientis Patriarchas de Legatorum Nicolai Romani Pontificis præſumpto facinore, qui confirmatos a Presbyteris Græcis in Bulgaria, quaſi inutiliter confirmatos, denuo auſi fuerint inungere: quæ expoſtulatio, licet injuſta fuerit & iniqua, tamen conſuetudinem probat jam apud Græcos communem, ut eorum Presbyteri ſimul cum Baptiſmo & Confirmationem adminiſtrarent. 4. Ex Ratramni Corbejenſis Monachi teſtimonio, qui Nicolai I., & Gallorum Præſulum juſſu Photianas de Latinis obtrectationes opere ſcripto confutavit, & nihilominus prædictam Græcorum conſuetudinem non inficiatur, ſed ſcribit: *Ad illud venimus, quod objicitur, quia penes Romanos baptizatorum frontes Presbyteri non liniunt: quod objectum, ſicut & reliqua, magis levitate, quam ratione propoſitum eſt; ſiquidem Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ſequentes, iſta proponunt, non aliquam divinæ legis auctoritatem.* Antiquiſſimam tamen dixi hanc Græcorum conſuetudinem, non perpetuam, & a primis uſque ſeculis derivatam. Nam ſolum poſt D. Jo. Chryſoſt. tempora incepiſſe non obſcure colligitur ex illius hom. 18. in Apoſt. Acta, IV. deſinente ſeculo ſcripta, ubi cum dixiſſet de Diſcipulis, qui erant Apoſtolis inferiores, *virtutem quidem acceperant faciendi ſigna, non autem dandi aliis Spiritum Sanctum: igitur hoc erat Apoſtolis ſingulare*, ſtatim ſubdit: *Unde & præcipuos, aut coryphæos, & non alios videmus hoc facere.* Quos autem ille *præcipuos*, aut *coryphæos*, præter Epiſcopos, vocet, nulla poteſt veriſimilitudine deſignari.

VI. Hæc Græcorum conſuetudo nunquam fuit a Romanis Pontificibus reprobata, ſed permiſſa, & tolerata. Probatur poſita aſſertio 1. Quia ante Photianum Schiſma nullus Romanorum Pontificum negotium faceſſivit Græcis ob eam, quæ ſibi non poterat non eſſe comperta, conſuetudinem. 2. Poſt ſchiſma, licet Græci redarguerent Latinos, quia confirmationis miniſterium non permitterent Presbyteris, Latini proprium morem tueri contenti, vicem nequaquam reddiderunt, neque Græcos increparunt, quod Presbyteris confirmare concederent. 3. Neque in Lateranenſi IV. Concilio, nec in Lugdunenſi II. ubi de Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis concordia actum eſt, quidpiam a Romanis pro dictæ conſuetudinis abolitione propoſitum fuit; neque ulla cenſura de eadem lata invenitur. 4. Græcos ſchiſmaticos ad unitatem redeuntes, & ante reditum a ſuis chriſmatos, iterum chriſmari nuſpiam, & nunquam præcepit Romana Eccleſia. Denique in Concilio Florentino, in quo facta eſt Græcæ cum Latina Eccleſia conjunctio, nulla circa Miniſtrum Confirmationis excogitata fuit innovatio, nec poſt unionem præſcripta: ſed Melitenſis Græci Epiſcopi auditis rationibus, conſuetudo permiſſa, ut Gregorius Protoſyncellus, in Synodo Florentina Patriarchæ Antiocheni vicesgerens, teſtatur in Epiſtola, qua Marci Epheſini calumnias confutavit. Ex hac igitur praxi Græcorum ab Eccleſia Romana tolerata, & permiſſa validum exurgit argumentum pro aſſertione noſtra num. IV. poſita de aſſumptione ſimplicis Sacerdotis ad miniſterium confirmationis. Nam, ſi hoc nullo modo liceret, profecto Romani Pontifices nunquam Græcorum morem toleraſſent; ſed omni prorſus ſtudio eliminandum contendiſſent; etenim ageretur de nullitate, & fruſtratione Sacramenti, quod in animarum vergeret detrimentum, & ordinis a Chriſto inſtituti perverſionem induceret.

VII. Aſſumptio ſimplicis Presbyteri in Miniſtrum extraordinarium Confirmationis ſoli Romano Pontifici convenit, illique reſervata eſt. Nam ſi ſimplex Sacerdos ad hoc ſublime munus delegari poteſt, profecto a nullo melius, & plenius, quam a Papa, qui, ut ait S. Th. cit. a. 11. ad 1. „ habet „ in Eccleſia plenitudinem poteſtatis, qua poteſt „ quædam, quæ ſunt ſuperiorum Ordinum, com„ mittere quibuſdam inferioribus, ſicut quibuſ„ dam Presbyteris concedit conferre minores ordi„ nes, quod pertinet ad poteſtatem Epiſcopalem." Id etiam conſtat ex facto S. Gregorii Magni, & ex aliis ſimilium diſpenſationum exemplis, quæ in Decreto Eugenii, & a Scriptoribus fide dignis afferuntur. Ad neminem autem alterum præter Pontificem in Latina Eccleſia ſic valide delegandi auctoritatem ſpectare, ex diſciplina ejuſdem Eccleſiæ Occidentalis ab immemorabili, & per plura ſecula cuſtodita intelligitur, juxta quam nemo Papa inferior hujuſmodi diſpenſationem concedere unquam præſumſit. Unde Clemens VI. Patriarchæ Armeno anno 1350. inter alia propoſuit: *Si credis, quod per ſolum Romanum Pontificem, plenitudinem poteſtatis habentem, poſſit diſpenſatio Confirmationis Presbyteris, qui non ſunt Epiſcopi, committi &c.* Quamobrem improbabilis omnino, ſaltem quoad praxim, & uſum, habenda eſt ſententia aliquorum Theologorum, ſcilicet Chriſtiani Lupi, Thomaſini, Van-Eſpenii, Juvenini, Vanroy, & Laymani, putantium etiam Epiſcopos poſſe ſimplici Sacerdoti poteſtatem adminiſtrandæ Confirmationis impertiri. Legatur Bened. XIV. de Synodo lib. 7. cap. 8. n. 7. & ſeq. ubi hanc quæſtionem diſerte, & erudite pertractat.

VIII. Hactenus de requiſitis ad validam ex parte Miniſtri Sacramenti diſpenſationem, modo eſt de requiſitis ad licitam dicendum. Et primo quidem oportet Miniſtrum Sacramenti eſſe in gratia: qui enim lethali inquinatus peccato illud miniſtrare auderet, novo pollueretur ſacrilegio; quippe quia ſancta indigne tractaret. Quamobrem in tali caſu præmittenda eſt Confeſſio Sacramentalis, & raro, ac vix unquam accidere poſſe puto, ut ſufficiat Contritionis perfectæ actus, cum Sacramentum non ſit tantæ neceſſitatis, ut aliquantulum differri non poſſit, &, cum Epiſcopi ſint, qui illud miniſtrant, vix contingere poteſt, ut copiam non habeant Confeſſarii; cum ipſi in ſua Diœceſi quemlibet Sacerdotem poſſint ſibi in Confeſſarium aſſumere. 2. Oportet, ut a Suſpenſione, aliave cenſura, executionem ſui Ordinis impediente, ſit immunis, ne contra inhibitionem Eccleſiæ, ejus contempta auctoritate, Sacramentum adminiſtraret. 3. Ut ipſe ſit confirmatus: nam licet Confirmationis defectus valorem non impediat Sacramenti, cum hæc poteſtas non a charactere Confirmationis, ſed Ordinis progrediatur; tamen indecens valde foret, ut alios confirmaret, qui non eſſet confirmatus; proinde lethalis culpæ reus eſſe habendus Epiſcopus, qui non confirmatus confirmaret; hoc enim in ipſo oſtenderet craſſam, & ſupinam deſidiam, & negligentiam in hoc Sacramento re-

recipiendo, & ſummam irreverentiam in miniſtrando. Ita docent Tannerus, aliique Theologi, licet Buſembaum cum aliis benignioribus Theologis nonniſi venialem culpam arbitrentur. 4. Olim nonniſi a jejuno Sacramentum iſtud conferri licebat, ut plures Canones a Gratiano diſt. 5. cap. 6. & 7. relati demonſtrant, quorum obſervantiam & Magiſter Sententiarum inculpat. At hæc obſervantia a ſeculo XIII. in deſuetudinem abiit; & colligitur ex S. Th. hic q. 72. a. 12. ubi adducto Decreto Concilii Meldenſis, jubentis, ut *Epiſcopi nonniſi jejuni per impoſitionem manuum Spiritum Sanctum tradant*, ſic reſpondet ad 2. „ Quod „ ab illa prohibitione excipiuntur infirmi, & morte periclitantes, ſicut in ſtatuto Meldenſi legitur ". Deinde ſubdit: „ Et ideo propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia ſuſtinetur, ut hoc Sacramentum, quod „ nonniſi ab Epiſcopis dari poteſt, etiam a non „ jejunis detur, & accipiatur; quia unus Epiſcopus, præcipue in magna Diœceſi, non ſufficeret ad tot homines confirmandos, ſi eis tempus „ arctaretur ". Agnoſcunt tamen, & commendant jejunii convenientiam etiam modo, ſaltem in adminiſtratione antemeridiana. Et ideo S. D. ibidem ſubdit: „ Ubi tamen congruæ obſervari „ poteſt, convenientius eſt, ut a jejunis detur, „ & accipiatur ". Et plura Concilia Gallicana XVI. Seculi, ut Rothomagenſe, Aquenſe, Remenſe &c. a Natali Alexandro citata commendant.

IX. Ad licitam etiam Confirmationem requiritur juriſdictio. Quamobrem ſpectato jure communi attendere debet Epiſcopus, ne alienum ſubditum in propria Diœceſi, vel proprium in aliena confirmet ſine expreſſa illius, qui Ordinarius exiſtit aut perſonæ, aut loci, licentia, mortaliter peccaturus, & ſuſpenſionem ab exercitio Pontificalium incurſurus ex lege Tridentini Seſſ. 6. de Reform. cap. 5. & ſecundum declarationem Cardinalium interpretum Concilii, quibus propoſito dubio, *An liceat Epiſcopo perſonis ſibi non ſubjectis Sacramentum conferre, abſque conſenſu proprii Epiſcopi confirmandi*, & omnium conſenſu reſponſum fuit die 28. Novembris 1612. *non licere*. Et ſic docent etiam plures juris Canonici Doctores, & Theologi, inter quos S. Antoninus in Sum. P. III. tit. 15. Sylveſter V. Confirmatio, Suarez, Toletus, aliique bene multi citati a Cardinale Petra. Verum, ubi eſt conſuetudo, ut Epiſcopus confirmet omnes ad ſe venientes, nec illis vetitum eſt a proprio Epiſcopo ad alium accedere pro Confirmatione, nec peccat, nec ſuſpenſionem incurrit ex præſumpta alterius Epiſcopi voluntate, cui gratum accidit, ut nullo ſuo incommodo, immo cum aliquo ſuo levamine, ovibus ſuis commiſſis alieno ſit labore conſultum; maxime quando ipſe non attendit actu locorum viſitationi, ad quæ facile poſſet accedere confirmandus. Hinc a fortiori permiſſum intelligitur cuilibet Epiſcopo confirmare alienum Clericum, qui cum litteris dimiſſoriis proprii Ordinarii ab ipſo poſtulat ordinari. Nam cum ex Decreto Tridentini præcedere debeat Ordines Confirmatio, cui hos conferre conceditur, & hanc adminiſtrare, ſine qua ad illos licite, & convenienter non pervenitur, indultum non dubitatur.

CAPUT SEPTIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Confirmatio ab Hæreticis, & Schiſmaticis data valida eſt, & ſemper fuit.*

II. *Quando Orientalibus Presbyteris vetitum ſit confirmare.*

III. *Quando Abbatibus liceat Confirmationem miniſtrare.*

IV. *Ad licitam adminiſtrationem ſunt ritus, & cæremoniæ ſervandæ.*

V. *Peccant Epiſcopi Confirmationis adminiſtrationem diu differentes.*

Conſectarium Primum.

I. Confirmatio ab Hæreticis, & Schiſmaticis Epiſcopis data, licet illicita, valida tamen eſt, & habita ſemper fuit in Eccleſia. Adverſantur veriſſimæ huic doctrinæ & Maldonatus Tom. 1. de Sacramentis Diſq. de Confirm. q. 2. & Morinus de Pœnit. lib. 9. cap. 9. quorum prior docet Confirmationem ab Epiſcopis hereticis datam a tota veteri Eccleſia pro invalida, & nulla habitam fuiſſe, alter per mille, & amplius annos non valuiſſe propugnat. At noſtra ſententia perſpicuis fulcitur argumentis. Nam 1. Eccleſia primorum temporum (exceptis illis paucis, qui cum Sancto Cypriano, & Firmiliano a communi receſſerant traditione, quorum non diu ſtetit diſcors opinio) Baptiſmum ab Hæreticis, & Schiſmaticis legitimo Chriſti ritu collatum, ut verum, validumque agnovit, atque recepit. Ergo & Confirmatio: quandoquidem ea ætate ſub Baptiſmi nomine comprehendebatur etiam adjuncta Confirmatio, quæ in antiquis Ritualibus, & Euchologiis ob continentem adminiſtrationem eodem cum Baptiſmo ritus ordine collocatur. Præterea, ſi probato hæreticorum Baptiſmo, illorum Confirmationem rejeciſſet Eccleſia, invictum, & inſuperabile præbuiſſet argumentum rebaptizantibus, quo prioris quoque Sacramenti apud Hæreticos vanitatem oſtenderent. Confirmatur 1. Decretum, quo Stephanus Papa I. vetuit hæreticos, & Schiſmaticos in ſecta ſua chriſtiano ritu baptizatos, iterum in Catholica tingi, his generalibus verbis, quæ Confirmationem quoque ab illis datam valere ſignificant, conſtructum eſt. Sic enim habet, prout a S. Cypriano Epiſt. 4. ad Pompejum refertur. *Si quis a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*; quæ ultima verba de impoſitione manuum reconciliatoria, non confirmatoria, intelligenda eſſe probat illa clauſula *in pœnitentiam*. Confirmatur 2. Confirmationem a Donatiſtis datam ratam habuerunt Patres orthodoxi Africani, ut perſpicue colligitur ex Optato Milevitano, qui lib. 7. de Schiſm. Parmenianum, qui dixerat, Catholicos eſſe muſcas morientes, *quæ perdunt*, ut dicit Scriptura, *ſuavitatem unguenti*, his verbis refellit: *Numquid nos exterminamus oleum veſtrum, ut merito nos muſcas morientes appelletis? Quod apud vos eſt, veſtrum eſt, & ſi a vobis ad nos aliquis tranſitum fecerit, ſic a vobis ſervatur, quomodo a vo-*

vobis dimittitur. Quomodo dicetis, quod nos ſumus muſcæ morituræ ſuavitatem olei corrumpentes, cum poſt vos nihil tale facimus? ... Si nos exterminaremus a vobis confectum oleum, merito nos muſcas morientes appellare poſſetis; ſed dum, quod a vobis actum eſt, tale ſervamus, quale ſuſcipimus, muſcæ morituræ eſſe non poſſumus. Deinde hoc dicterium in illos retorquet ſubdens: *Vos exterminatis in rebaptizatione ſuavitatem olei illius, quod in nomine Chriſti confectum eſt ... ſeduxiſtis homines, rebaptizaſtis, iterum unxiſtis.* Qua profecto retorſione uſus ille minime fuiſſet, ſi & in Catholica Eccleſia invalida habita fuiſſet Donatiſtarum Confirmatio. Hoc argumento preſſus Morinus fatetur, a Donatiſtis collatam Confirmationem pro valida ab Eccleſia Catholica agnitam fuiſſe; ſed ideo quia Donatiſtæ Schiſmatici forent, non Hæretici. At hæc reſponſio 1. Schiſmaticorum Confirmationem immunem facit a nullitate; adeoque aſſertionem noſtram ſaltem ex parte admittit. Sed præterea immerito Donatiſtas ab hæreſi liberat, quos S. Auguſtinus lib. de Hæreſ. cap. 69. inter hæreticos connumeravit ſcribens de illis, *pertinaci diſſenſione firmata, in hæreſim ſchiſma verterunt.* Et revera in fide errabant, & quidem hæretica pertinacia, qui veram Chriſti Eccleſiam in ſola propria ſecta ſuperſtitem reputabant, & Sacramenta in toto orbe catholico diſpenſata, ceu profana, & immunda ſuperbiſſime contemnebant. Demum SS. Patres nedum generaliter Sacramenta ab hæreticis data, ſi nihil aliud obſtet, hoc eſt, ſi ritu a Chriſto præſtituto fuerint adminiſtrata, pro veris eſſe recipienda docuere, ſicut & quæ a malis hominibus adminiſtrantur; ſed & ſpeciatim nonnullos de Confirmatione idem ſenſiſſe, teſtis eſt S. Auguſt. lib. 5. de Baptiſmo cap. 20. ſcribens: *Cur ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, poſſit tamen Deus oleum ſanctificare, & in Altari, quod hæretici poſuerunt, non poſſit, neſcio,* ideſt diſparitatem non invenio. Sed hæc indigitaſſe ſufficiat, plura enim dicere ad Polemicos ſpectat Theologos.

Conſectarium Secundum.

II. Presbyteri Græci, aliique Orientales, Romanæ communioni conjuncti, in locis, ubi illis vetitum eſt Confirmationis Sacramentum adminiſtrare, nedum illicite, ſed & invalide miniſtrant: ubi vero hæc conſuetudo a S. Sede tolerata viget, & licite, & valide miniſtrant. Ita docuit, & ſtatuit Bened. XIV. & in Conſtit. pro Cophtis catholicis, quæ incipit *Anno vertente*, & fuſius de Synodo lib. 7. cap. 9. n. 4. ubi hæc habet: „ In „ noſtra Conſtit. 57. §. 3. hæc ad rem ediximus. „ Epiſcopi Latini infantes, ſeu alios in ſuis Diœceſibus baptizatos, a Presbyteris Græcis abſolute „ Chriſmate in fronte conſignatos, confirment: „ cum neque per Prædeceſſores noſtros, neque per „ Nos Græcis Presbyteris in Italia, & Inſulis adjacentibus, ut infantibus baptizatis Sacramentum Confirmationis conferant, facultas conceſſa „ ſit, aut concedatur; quin immo uſque ab anno „ 1595. a fel. record. Clemente VIII. Prædeceſſore noſtro fuerit Presbyteris Italo-Græcis expreſſe interdictum, ne baptizatos chriſmate conſignent. Secus ſub conditione, & cum cautela „ eos confirmare debent, de quibus veroſimiliter „ dubitare poteſt, utrum ab Epiſcopis Græcis ordinem Baptiſmi, juxta eorum Euchologium ſervantibus, fuerint baptizati. In alia pariter noſtra Conſtitutione 129. §. 4. illata mentione ejuſdem Græcorum conſuetudinis, hæc addidimus. „ Quemadmodum etiam Græcis Incolis Italiæ expreſſe vetita eſt adminiſtratio utriuſque Sacramenti, ab eodem Miniſtro contemporanee faciendi; ita patientia quadam, & facilitate Sedis Apoſtolicæ factum eſt, ut unum, & alterum „ Sacramentum ab eodem Sacerdote in Oriente „ Græcis conferretur. Et §. 5. permittendum duximus Cophtis perſeverare in eodem ritu, jamdiu ab ipſis recepto, atque ab Apoſtolica Sede „ tolerato “.

Conſectarium Tertium.

III. Abbas invalide Confirmationem miniſtrat, innixus privilegiis ante Tridentinum Concilium conceſſis, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii die 23. Julii anni 1635. Quod ſi Epiſcopus Abbas ſit Commendatarius Abbatiæ *nullius*, licet nec illius ſubditos poſſe ordinare, vel Synodum, ſive Concurſum facere, poteſt quidem Confirmationem licite miniſtrare, ſicut & Altaria, & Capellas conſecrare, & alia Pontificalia exercere, ut declaravit S. Congregatio Epiſcoporum, & Reg. 27. Septembris 1602. Quod ſi Epiſcopus non ſit, & in Commendam habeat Abbatiam *nullius*, habentem territorium ſeparatum, licet illi vocare, quem maluerit, Catholicum Antiſtitem ad Confirmationem ſuis ſubditis miniſtrandam, ut a pluribus Congregationibus declaratum fuit, ſcilicet in Diraclienſi 21. Auguſti 1627. & in Iſarn. 1. Martii 1687. Epiſcopus autem, Diœceſim ſuam luſtrans miniſtrandæ Confirmationis gratia, neminem cogere poteſt ad ſibi ſuppeditandas expenſas, nec pro equis, nec pro victualibus: neque in hoc juvatur contraria conſuetudine, licet aliquando admiſſa. Nam, ut obſervat Cardinalis Petra, modo hæc conſuetudo omnino ablata eſt per Taxam Innocentianam, quæ Taxa fuit edita de Mandato Innocentii XI. die 1. Octobr. 1678. in qua ſummus, & ſanctiſſimus Pontifex juſtiſſime reprobat, & illicitam declarat contrariam omnem conſuetudinem; ad cujus normam plures poſtea datæ ſunt ſacrarum Congregationum, & Concilii, & Epiſcoporum, ac Regularium Declarationes. Immo in una Amalphitana ſub die 28. Julii 1699. declaratum fuit, Epiſcopos non ſolum occaſione miniſtrationis Sacramenti Confirmationis nihil recipere poſſe, ſed, ſi quid acceperint, teneri reſtituere, ut refert Ferrar. V. Confirmatio a. 2. n. 29.

Conſectarium Quartum.

IV. Ad licitam Confirmationis adminiſtrationem plura obſervare debet Miniſter. Nimirum primo Ritus ab Eccleſia inſtitutos, ſcilicet cæremonias, & ſolemnitates, quas Rituales Libri præſcribunt: in quarum prætermiſſione, mutatione, alteratione vix leve peccatum occurrit; & raro admodum excuſat vel ignorantia, vel inadvertentia: nam præfati ritus, cæremoniæ, & ſolemnitates, cum de Sacramento agatur, nec leves ſunt dicendæ,

dæ, nec exigui ponderis, ſed momentoſæ, & ſumma in veneratione habendæ: & alioquin ignorantia locum habere non poteſt in Miniſtro, qui ſupremum gradum obtinet in Eccleſia, & quem oportere eſſe doctorem monet Apoſtolus; inadvertentia autem eſt præcavenda, cum ſummo ſtudio, diligentia, attentione, & devotione tam ſanctum munus ſit peragendum. Inter hos tamen ritus præcipuum eſt, & maximum, ut chriſmate novo utatur Miniſter, ideſt quod in proxime præterita Fer. 5. in cœna Domini fuerit conſecratum: quod ſervandum eſt tam a Miniſtro ordinario, quam ab extraordinario, niſi ex neceſſitate huic poſteriori conceſſum ſit, ut etiam veteri Chriſmate utatur, ſi novum habere non poſſit. Tempus quoque congruum eſt ſeligendum. Hoc quidem olim erat ſtatim poſt datum Baptiſma, ut conſtat ex Tertull. lib. de Baptiſmo cap. 7. & 8. & S. Cypriano ep. 70. & 73. ad Januarium, & Jubajanum, pluribuſque aliis monumentis, quæ apud Scriptores de antiquis ritibus videri poſſunt: qui mos, ut iidem fatentur, & modo perſeverat penes Græcos, Maronitas, & Jacobitas etiam Catholicos. At cum XIII. ſæculo in pleriſque Provinciis Occidentis Confirmatio ſeorſum a Baptiſmo dari conſueverit (quamvis fortaſſis in aliquibus antiqua conſuetudo adhuc retineatur) uſus ſenſim invaluit, ut quacumque die, ſive feſto, ſive feriali, quacumque hora, ſive ante, ſive poſt meridiem, Epiſcopo liceat hoc Sacramentum conferre. Quoad locum vero eligere debet ſacrum, & aptum tam ſacræ functioni; proinde non alius eſſe poſſe videtur quam Eccleſia, vel Oratorium, vel ſacrarium: quamvis & in Palatio Epiſcopali fas eſſe illud adminiſtrare plures concedant Theologi.

Conſectarium Quintum.

V. A graviſſimo crimine excuſari non poſſunt Epiſcopi, qui vel per ſe, vel ſaltem per alium, per longum tempus a miniſtranda Confirmatione ceſſant; & petentibus ſe moroſos, difficileſque exhibent, præſertim in articulo mortis petentibus, ſive pueris, ſive adultis. Vix eget probatione hæc noſtra doctrina, cum de ſe ſatis ſit manifeſta: nam & officio ſuo graviſſimo, & principali deſunt, & oves ſuas maximo privant ſpirituali beneficio, & emolumento.

CAPUT OCTAVUM.

De Subjecto, & neceſſitate hujus Sacramenti.

DOCTRINA.

I. *Omnes homines Baptizati ſunt Confirmationis capaces.*
II. *Quando amentibus danda, & morituris.*
III. *Nulli petenti unquam denegavit Eccleſia.*
IV. *In Occidentali Eccleſia adultis reſervatur Confirmatio.*
V. *Non eſt neceſſaria neceſſitate medii, ſed præcepti.*
VI. *D. Thomæ doctrina explicatur.*
VII. *Eccleſiæ præceptum argumentis probatur.*
VIII. *Quando urgeat præceptum Confirmationis ſuſcipiendæ.*
IX. *Quinam ſpeciatim teneantur Confirmationem ſuſcipere.*

I. OMnes homines, ſacro abluti Baptiſmate, ſunt Confirmationis capaces. Et quidem ſolos baptizatos poſſe confirmari patet, quia Baptiſmus eſt omnium Sacramentorum janua, & ſuo charactere aptitudinem confert ad cetera valide ſuſcipienda. Præterea cum Chriſmatio ordinetur ad roborandum hominem, & perficiendum in vita chriſtiana, ejus in Chriſto regenerationem ſubſequi debet; non enim adoleſcere poteſt, qui nondum eſt per Baptiſmum in Chriſto renatus. Omnes autem ſic renati ſtatim adoleſcendi quoque in Chriſti vita per gratiam hujus Sacramenti propriam ſtatim capaces exiſtunt. Quamobrem & ipſi infantes recenter nati valide, & fructuoſe confirmantur: quia ut inquit Sanctus Thomas hic quæſt. 72. art. 8. „ Anima, ad quam pertinet & ſpiri„ tualis nativitas, & ſpiritualis ætatis perfectio, „ immortalis eſt; & poteſt ſicut tempore ſenectu„ tis ſpiritualem nativitatem conſequi, ita tem„ pore juventutis, vel pueritiæ conſequi perfe„ ctam ætatem: quia hujuſmodi corporales ætates „ animæ non præjudicant. „ Et in reſp. ad 2. ſubdit: „ Unde eſt, quod multi in puerili ætate „ propter robur Spiritus Sancti perceptum, uſque „ ad ſanguinem fortiter certaverunt pro Chriſto“. Et ideo in veteri Eccleſiæ praxi infantes, & quidem ſtatim poſt Baptiſmum, confirmari conſueverunt, ut diximus cap. præced. conſect. 4. immo hæc diſciplina adhuc in Orientali Eccleſia perſeverat, in qua cum Baptiſmo & Sacrum Chriſma infantibus miniſtratur.

II. Hinc & amentibus dari poteſt hoc Sacramentum utiliter, dummodo in amentiam non inciderint poſt aliquod grave peccatum, &, dum rationis uſu fruerentur, intentione ſuſcipiendi Confirmationem non caruerint, quæ præſumi poteſt, & debet in iis, qui contrariam voluntatem non oſtenderunt. Quod ſi ad ſanam mentem aliquando redituri ſperantur, illorum Confirmatio ad id temporis eſt differenda, ut cum majori devotione, & profectu Sacramentum ſuſcipiant: illud enim de iſtorum capacitate judicium ferendum cognoſcitur, quod de infantibus, quibus æquiparantur. Quapropter illi, qui ab infantia inſanabili amentia laborant, nedum confirmari poſſunt, ſed & confirmandi ſunt, ne tanto beneficio, cujus capaces ſunt, defraudentur. Dari etiam poteſt mox morituris, ſive adulti ſint, ſive infantes, & valide, & licite; immo hoc Sacramento, ſi chriſmari commode poſſunt, non ſunt fraudandi: licet enim non eo egeant ad Mundi, unde mox diſceſſuri ſunt, ferenda certamina; ſalubriter tamen illo inſigniuntur, ne decedant ſine charactere perfecti Chriſtiani, atque militis Chriſti: & quia, inquit S. Th. hic a. 8. „ Morituris hoc Sacramentum dandum „ eſt, ut in reſurrectione perfecti appareant . . . . „ proinde & . . . . pueri confirmati decedentes ma„ jorem gloriam conſequuntur, ſicut & hic majo„ rem obtinent gratiam “.

III. Nulli petenti olim conſuevit Eccleſia Sacramentum Confirmationis denegare. De illis petentibus loquimur, qui publici peccatores non forent, aut iniquæ alicujus artis, puta Hiſtrionicæ, profeſſores; & de illis qui legitime petebant. Sic

 ta-

tamen explicata aſſertio noſtra aliquibus Theologis, eruditiſque viris non probatur, nimirum Juvenino, Albaſpinæo, Tournelio, & Gotti, quibus noviſſime adhæret & Concina. Sed communis eſt penes alios omnes Theologos, & Eruditos. Unicum, quo innituntur, fundamentum adverſarii Theologi deſumunt ex can. 39. Concilii Illiberitani, ubi dicitur: *Gentiles, ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manus imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte honeſta vita, placuit ei manus imponi, & fieri Chriſtianos.* Ex quo canone inducuntur ad credendum, Gentilibus non probatæ alioquin vitæ, quibus in periculo mortis petentibus dabatur Baptiſmus, denegatam tamen alicubi, & aliquando Confirmationem. Sed mihi perſuadere nequaquam poſſum eos, quibus non obſtante vitæ præteritæ improbitate concedendus videbatur Baptiſmus, putatos unquam fuiſſe indignos Confirmatione; & præſertim iis temporibus, quibus Confirmatio, ſi fieri poterat a Baptiſmo non disjungebatur. Quid ergo dicendum de intelligentia canonis Illiberitani? Mihi hæc arridet explicatio, nimirum ibi ſermonum non eſſe nec de Baptiſmo, nec de Confirmatione, ſed de manuum impoſitione, qua ſolebant ii, qui volebant Chriſtianam fidem ſuſcipere, in Catechumenos inaugurari. De qua S. Greg. M. in Sacramentario ſub titulo ad *Catechumenum ex Pagano faciendum* ſic præſcribit: *Gentilem hominem eum ſuſceperis, 1. catechizas eum divinis ſermonibus, & exſufflas in faciem ejus, & facies ei Crucem in fronte, & impones manus ſuper caput ejus his verbis, Accipe ſignum Crucis.* Favet huic expoſitioni 1. titulus canonis his verbis conceptus, *De Gentilibus, ſi in diſcrimine baptizari expediat:* quamobrem non de Confirmatione, ſed de Baptiſmo ſermo eſt. 2. Quia canon agit de Gentilibus, quod nomen nec baptizatis, nec Catechumenis, ſed ſolum hactenus inter Ethnicos profeſſis convenire videtur. 3. Quia agit de Gentilibus in infirmitate deſiderantibus ſibi manus imponi: qui loquendi modus non lethalem infirmitatem deſignat, quæ accelerandi Baptiſmi neceſſitatem importat; ideo intelligitur commode de iis, qui cupiunt Catechumenis accenſeri. Nec obſtat, jubere Canonem eos fieri chriſtianos. Nam chriſtiani dicebantur & Catechumeni; ut patet ex ejuſdem Concilii can. 45. dicente: *Qui aliquando fuerat Catechumenus . . . ſi cum de Clero quiſpiam cognoverit eſſe chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles, placuit ei Baptiſmum non denegari.* Congruit etiam huic explicationi Canon 1. Arelatenſis Concilii ſtatuentis: *De his, qui in infirmitate credere volunt, placuit debere his manus imponi.*

IV. In Eccleſia Occidentali inolevit diſciplina, ut Confirmatio nonniſi adultis conferatur; licet ipſe, qui baptizat, Epiſcopus ſit. Porro hæc diſciplina, ſeu conſuetudo non inducta eſt aliqua generali lege, quæ prohibeat citius fieri, ſed pluribus Synodorum ſtatutis hanc dilationem opportuniorem cenſentibus, quæ dilatio compenſatur uberiore fructu: quia hoc Sacramentum percipitur ab iis, qui ſui compotes ejus excellentiam, atque virtutem agnoſcunt; ideoque cum actuali devotione, & reverentia ad illud accedunt: quæ utilitas magni fieri meretur, dum agitur de Sacramentis, quorum tanta non eſt neceſſitas, ut illi cedere debeat major Sacramenti reverentia, & ſuſcipientium devotio. Harum autem Synodorum varia eſt diſciplina: nam ab aliquibus pueri, ſtatim ac ſeptennium expleverint, maturi Confirmationi ſuſcipiendæ exiſtimantur: aliquibus duodecimus annus expectandus videtur: fortaſſe quibuſdam in locis provectior ætas deſideratur. In his unuſquiſque Diœceſis ſuæ morem ſectari debet. Sunt enim ejus generis, de quibus S. Auguſtinus in epiſt. ad Januarium dicebat: *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt.* Videtur tamen, ſuppoſita ſufficienti inſtructione, rationabiliter conſuetudo, quæ ultra ſeptennium non differt, ut pueri nondum lethalibus contaminati peccatis, fructuoſius gratiam Confirmationis accipiant, qua contra graves provectioris ætatis tentationes muniantur, & a lapſibus præſerventur. Et revera ita ſtatuunt plura Concilia, tum Provincialia, tum Diœceſana a Bened. XIV. laudata lib. 7. cap. 10. n. 3. Et probatur in Catechiſmo Romano Par. II. de Confirm. n. 18. *Illud obſervandum, omnibus quidem poſt Baptiſmum Confirmationis Sacramentum poſſe adminiſtrari, ſed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis uſum habuerint. Quare, ſi duodecimus annus non expectandus videatur, uſque ad ſeptimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit.*

V. Sacramentum Confirmationis neceſſarium non eſt neceſſitate medii ad ſalutem; bene quidem neceſſitate præcepti, tum divini, tum eccleſiaſtici. Et quidem medii neceſſitatem omnes Theologi excludunt, qui hanc tam arctam neceſſitatem ſolum in iis Sacramentis agnoſcunt, quæ dicuntur mortuorum, & ad primam gratiam conferendam ordinantur. Quamobrem & Catechiſmus Romanus loc. mox cit. ſubdit: *Neque enim Confirmatio ad ſalutis neceſſitatem inſtituta eſt, ſed ut ejus virtute optime inſtructi, & parati inveniremur, cum nobis pro Chriſti fide pugnandum eſt.* At benigniores Theologi nec neceſſitatem præcepti, ſive divini, ſive eccleſiaſtici agnoſcunt; adeo ut hoc Sacramentum citra contemptum negligere nec peccatum veniale ſit. Ita docent Viva in Cur. Theolog. P. III. quæſt. 3. art. 2. n. 6. ſcribens: *Reſpondeo cum communi apud Dianam . . . . non eſſe mortale illud* (Confirmationis Sacramentum) *nolle ſuſcipere, præciſo contemptu, & ſcandalo. Immo ex Trull. & Henr. contra Navarrum apud Coninck, nec veniale quidem, cum nullibi extet præceptum de illo ſuſcipiendo.* Sunt, qui olim hoc viguiſſe præceptum non diffitentur; at illud per deſuetudinem deſiiſſe contendunt. Sic ſentit La Croix lib. 6. par. 1. dub. 3. n. 395. q. 72. Verum de hac doctrina æquiſſime ſcripſit Druenius lib. 2. pag. 348. *Non ita ſane Chriſtus, non ita ſane Apoſtoli, non ita Pontifices Maximi, non ita Patres, & Concilia præſcripſerunt, non de fonte traditionis, ſed de ſentina probabilitatis opinio portentoſa effluxit.* Quamobrem merito eam rejiciunt ſanioris doctrinæ Theologi, & neceſſitatem præcepti tum divini, tum Eccleſiaſtici agnoſcunt, & oſtendunt. 1. Quia licet præfata divina juſſio in ſacra Scriptura non appareat expreſſe, magna tamen veriſimilitudine infertur, tum ex præcepto Chriſti Domini in Cælum aſcenſuri Apoſtolis denuntiato, quod &

ce-

ceteri tunc utriuſque ſexus in eum credentes, unanimi conſenſione ad ſe pertinere oſtenderunt, *Ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris*, ideſt adventum Spiritus Sancti, ut legitur Lucæ 24. & Act. 1. qui extraordinario quidem modo ad illos in die Pentecoſtes deſcendit; verum aliis poſtea fidelibus per Confirmationis Sacramentum ad idem fidei robur, & alios, quos prodigioſa illa apparitione cauſavit, effectus inviſibiliter edendos, debebat infundi; tum ex vigilantia, & ſollicitudine Apoſtolorum, quæ Act. 8. & 10. repræſentatur, ne quiſquam ex baptizatis eo ſpirituali ſubſidio careret. 2. Idem divinum mandatum evincitur ex perpetua cura, ſtudio, & ſollicitudine, queis exarſit Eccleſia hujus Sacramenti cuique baptizato impendendi, adeo ut ipſis quoque parvulis per plura ſecula ſtatim poſt Baptiſmum, ſi fieri poterat, adminiſtraretur; & Epiſcopi, teſte S. Hieronymo in Dial. adv. Lucif. ad eos, qui in minoribns ordinibus per Diaconos, & Presbyteros baptizati erant, ad invocationem Spiritus S. manus impoſituri accurrerent. 3. Neceſſitas Confirmationis ita abſolute a Conciliis, & Patribus decantatur, ut ex divinæ legis præſcriptione ejus ſit origo deducenda. *Ungi quoque neceſſe eſt* (ajebat S. Cypr. epiſt. 70.) *ut accepto chriſmate, id eſt unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit*. Patres Illiberitani Concilii de Neophyto baptizato in mortis diſcrimine ab eo, qui confirmandi poteſtate carebat, antequam aliquid neceſſarium præcipiunt, cap. 38. *Si ſupervixerit, ad Epiſcopum eum perducat, ut per manuum impoſitionem perfici poſſit*. Et Concil. Laod. can. 48. *Oportet eos, qui illuminantur poſt Baptiſmum inungi ſupercæleſti chriſmate, & eſſe Regni Chriſti particeps*. S. Greg. M. epiſt. 6. lib. 12. *Sacramentum Confirmationis miniſtrari iis, quos accepiſſe non conſtiterit, jubet*, ne talis dubitatio *ruinoſa fidelibus fiat*. Eandem veritatem confirmant theologicæ rationes, quarum primam ſuggerit D. Th. hic q. 72. a. 8. unde & ſimul S. Doctoris auctoritas, & favor ipſi conciliatur: quia jure divino conſtitutum apparet, ut quilibet in Chriſto renatus perfectam ætatem, & robur chriſtianæ vitæ ſtudeat acquirere. Porro ,, per hoc Sacramentum, ,, *ait S. D.*, promovetur homo ſpiritualiter ad æ- ,, tatem perfectam. Hoc autem eſt de intentione ,, naturæ, ut omnis, qui corporaliter naſcitur, ,, ad perfectam ætatem perveniat; multo autem ,, magis (ſubdit) de intentione Dei eſſe omnia ad ,, perfectionem perducere, ex cujus imitatione hoc ,, natura participat ". Altera vero ex Sacramenti utilitate deſumitur: quia cum tantam gratiam conferat ad fidem, & Religionem chriſtianam inter tot Mundi pericula, & tentamenta interius, exteriuſque ſervandam, vero ſimillimum eſt, Dei voluntatem, & imperium, ne hoc ſaluberrimum medium a fidelibus negligatur, conſtituiſſe, ad quos eſt & illud ad Epheſios 4. Apoſtoli monitum; *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli*, cui *reſiſtendum fortiter in fide* S. Petrus quoque epiſt. 1. cap. 5. obteſtatur. Poſtrema inde ſcaturit ratio: quoniam prorſus incredibile videtur, ea Sacramenta, quæ ſingulorum ſalutem ſpectant (ſingulorum dico, ut Ordinem excipiam, & Matrimonium) a Chriſto fuiſſe inſtituta ſine obligatione ea ſuſcipiendi.

VI. Nec noſtræ adverſatur doctrina D. Th. ut jactant Adverſarii, quippe qui hic art. 8. ad 4. ſcribit: ,, Omnino periculoſum eſſet, ſecundum ,, Hugonem Victorinum, ſi Neophytum ex hac ,, vita ſine Confirmatione migrare contingeret: ,, non quia damnaretur, niſi forte per contem- ,, tum; ſed quia detrimentum perfectionis pate- ,, retur ". Unde inferunt, remoto contemptu, per omiſſionem Confirmationis, ex mente S. Th. nullum ſaltem mortale peccatum incurri, adeoque nec ullum divinum violari præceptum. Reſpondemus ſiquidem, ibi S. D. contemptus nomine & culpabilem negligentiam comprehendere, quæ licet non ſit formalis contemptus, & proprie dictus (quem D. Th. q. 65. a. 4. non agnoſcit in non curante recipere Sacramentum non neceſſarium ad ſalutem) eſt tamen quidam contemptus late ſumptus, &, ut dici ſolet, *interpretativus*, ex eo reſultans, quod quis ita remiſſe, & incurioſe ſe erga rem aliquam gereret, ac ſi eam parvi penderet. Uno verbo, excludere vult S. Th. a ſententiæ Victorinæ intellectu ſolam medii neceſſitatem; quæ vero eſt præcepti, illam ſatis indicat, detrimentum perfectionis in non confirmato admittendo. Immo S. D. adeo neceſſarium, ideoque præceptum agnoſcit hoc Sacramentum, ut doceat in eo, qui ſine culpa ſuſcipere Sacramentum non potuit, quod ſpecialia auxilia ad fidem fortiter profitendam, non aliunde, nec ex oratione, nec ex Sacramenti Euchariſtiæ perceptione ſibi poſſit acceſſere, niſi ſaltem de eo ſuſcipiendo explicitum votum concipiat. Sic enim ſcribit hic q. 72. art. 6. ,, Sicut nullus conſequitur effectum Baptiſmi ,, ſine Baptiſmi voto; ita nullus conſequitur ef- ,, fectum Confirmationis ſine voto ipſius ". Et art. 8. inculcat ,, eſſe omnibus, qui ſunt in Ec- ,, cleſia, exhibendum ".

VII. Non deeſſe & Eccleſiæ præceptum hæc evincunt efficaciſſima argumenta. 1. Ad hoc deſerviunt eædem auctoritates, quas ad divinam de Confirmatione legem attulimus: illæ enim ſimul Eccleſiæ voluntatem, atque præceptionem de præfatæ legis obſervantia demonſtrant. 2. Quia Eccleſia pœnis canonicis ſemper ulta eſt illorum negligentiam, qui aut Confirmationem non acceperunt, aut illis, quos habebant ſuæ poteſtati ſubjectos, procurare omiſerunt; quod indicat eos Eccleſiaſticarum functionum habitos violatores. Ita Concilium Mediolan. IV. ab Apoſtolica Sede adprobatum ſtatuit, *Ut ſi quis neglexerit Confirmationem, ſubjaceat diſciplinis*. In Rituali Eboracenſi anni 1409. prohibetur *admitti ad Communionem non confirmatum, niſi rationabiliter fuerit impeditus*; quæ prohibitio ex veteri diſciplina deſumpta fuit. Et Canones Pœnitentiales trium annorum pœnitentiæ ſubjiciunt parentes, quorum incuria filius ſine Sacramento Confirmationis deceſſerit. Proinde utrique noſtræ doctrinæ de præcepto, tum divino, tum eccleſiaſtico adhærent innumeri Theologi, tum antiquiores, inter quos S. Antoninas III. P. tit. 14. cap. 14. dicens: ,, Etſi nunquam ,, occurrat infeſtatio perſecutionis, tenetur homo ,, ſemel in vita confirmari, &, ſi poſſit, & negli- ,, gat, licet ſacramentum aliter non contemnat, ,, peccat mortaliter, & damnatur moriens, niſi ,, tunc confirmetur, vel niſi pœniteat, & confitea- ,, tur ": tum Recentiores Richardus, Durandus,

Gerſonius, Eſtius, Merbeſius, Natalis Alexander, Juveninus in utroque opere & Dogmatico, & Morali de Sacramentis, Contenſonius, Bellarminus, Vanroy, Berti, Antoine, aliique. Quapropter & ſpectata extrinſeca auctoritate longius ſuperat noſtra doctrina oppoſitam Probabiliſtarum opinionem, quæ proinde nec vera, nec probabilis eſt dicenda. Nec objiciant, quod ſi Eccleſia Confirmationem rigido præcepto injunxiſſet, tempus quoque determinaſſet, quo illud dandum foret executioni; cum tamen nihil de hoc ſtatuiſſe inveniatur. Reſpondemus enim tempus Confirmationis ſuſcipiendæ communi Diœceſana praxi, & conſuetudine, licet ſub quadam latitudine determinatum præſumi, ſcilicet ſtatim ac quis ad annos diſcretionis pervenerit, vel circa ſeptimum, aut duodecimum annum verſetur; niſi alias aliquo juſto impedimento, vel occaſionis defectu ulterius differre compellatur.

VIII. Sunt & aliqua tempora, & quædam determinatæ perſonæ, quæ arctius præcepto urgentur Confirmationis ſuſcipiendæ, & gravius peccant, ſi omittant. Et primo quidem ratione temporis urget præceptum hocce, quando fidelem premit vel imminens infidelium perſecutio, vel graves contra fidem ſollicitant tentationes: quod agnoſcunt, & confitentur iidem ipſi Probabiliſtæ, qui generale, vel divinum, vel Eccleſiaſticum præceptum non admittunt. Quod ſic evincitur: quoniam tunc maxime præceptum divinum, ſaltem per accidens, de aliquo Sacramento ſuſcipiendo urgere perſpicuum eſt, quando ejus effectus eſt admodum neceſſarius: at ingruentibus perſecutionibus, & tentationibus adverſus fidem chriſtianam, eo ſpeciali robore, quod per Confirmationem præſtatur fideles valde indigent: ergo tunc potiſſimum ad ſe hoc Sacramento muniendos, ſi nondum ſuſceperint, obligantur: quemadmodum tunc Cives ad arma induenda debent accurrere, quando Patria ab hoſtibus obſidetur, & oppugnatur. 2. Obligat etiam ratione temporis, quando opportuna ſe ſe offert hujus Sacramenti ſuſcipiendi occaſio, non facile reditura. Hujus quoque veritatem doctrinæ agnoſcunt prudentiores Probabiliſtæ, & ſic evincitur. Nam Facultas Pariſienſis ob nimiam laxitatem hanc propoſitionem aliquorum Theologorum damnavit, affirmantem: *Omnes Theologi docent, Confirmationem non præcipi, niſi cum commode haberi poteſt, vel, ut alii dicunt, commodiſſime, quando ſine ullo, vel minimo prorſus incommodo*; hac prolata cenſura: *Iſta propoſitio eſt ſcandaloſa, in maximum Sacramentum Confirmationis contemptum, maligno animo propoſita*. Et revera, ſi aliquando obligatio divini juris ad ſuſcipiendam Confirmationem occurrit, profecto tunc eſt, quando adeſt opportuna occaſio reſpectu hominis plane adulti eam aſſequendi, fortaſſe non amplius reditura; quia ſine juſta excuſatione non uti, ſummam præfert tanti Sacramenti negligentiam, ne dicam contemptum. Audiatur Hugo Victorinus lib. 2. de Sacr. P. III. cap. 3. ita in rem noſtram loquens: *Timendum eſt iis, qui per negligentiam amittunt Epiſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitionem, ne forte propterea damnentur, qui feſtinare debuerunt, dum poterant*. Et Concil. Senonenſe in Gallia anno 1524. celebratum, in eandem ſententiam hæc habet: *Confirmatio fortiorem reddit ad reſiſtendum tentationibus, promptiorem ad Deum ſerviendum, & ad Dei præcepta implenda, in fidei confeſſione confirmatum conſtantiorem efficit, quam omnes Chriſtiani, tam viri, quam mulieres uſum rationis habentes obligantur ſuſcipere, aut ſaltem non contemnere; contemni autem dicitur, quando Epiſcopus eſt præſens, paratus dare, & Perſona hoc ſciens negligit, aut deſpicit ſuſcipere.* Et Benedictus XIV. in ſua Conſtit. de Ritu Græcorum §. 3. ait: *Eos gravis peccati reatu teneri, ſi cum poſſunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt*. Ex quibus verbis patet, quam falſa ſit La-Croixii doctrina, aſſerentis præceptum ſuſcipiendæ Confirmationis per deſuetudinem deſiiſſe.

IX. Ratione vero perſonæ tenentur præcepto Eccleſiaſtico Confirmationem accipere, qui prima Tonſura initiari volunt. Ita quidem docent graviſſimi Auctores, licet alii contrarium ſentiant. At noſtræ doctrinæ probabilitatem ſuadent hæc argumenta. 1. Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de Reform. cap. 4. expreſſe jubet: *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non acceperint*. Franciſcus Suarez, Salmanticenſes, aliique in allegatis verbis rigoroſum non agnoſcunt præceptum, ſtrictum, & graviter obligans, ſed ſimplex monitum ad Epiſcopos de re digna obſervatu. At plane gratuita hæc eſt interpretatio, & ſolum ex animo, & libito ſanctiſſima præcepta extenuandi, & pro nihilo habendi. Unde enim colligunt non contineri in præfatis verbis rigoroſum præceptum? Num quia nulla eſt appoſita pœna, nulla cenſura? Sed unde habent, quod ad denotandum verum præceptum, ſit neceſſarium, ut pœna apponatur, vel cenſura? Nonne in eadem ſeſſ. 23. cap. 12. de Reform. ſtatuitur: *Nullus in poſterum ad ſubdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur*, quin tamen ulla ſit hujus ſtatuti tranſgreſſoribus impoſita pœna, vel cenſura? Proinde quis dicet, in illo ſtatuto non rigoroſum contineri præceptum, & ſolo peccato veniali maculari, qui ante præfatam ætatem illos ſacros Ordines ſuſcipiat? Sed præterea verum præceptum impoſitum eſſe ex eo patet, quia per illud voluit S. Synodus innovare, quod & antiquæ Eccleſiæ leges exigebant, nimirum nonniſi Confirmatos in Clerum aſſumi. Unde & S. Cornelius Papa in epiſt. ad Fabium Antiochenum Novatiani nondum confirmati ordinationem, ceu Eccleſiæ regulis contrarium, accuſat. Et Concil. Nicænum cum ea conditione Novatianis ad Eccleſiam redeuntibus permanere in Clero conceſſit, *Si Confirmationis reciperent Sacramentum*, quod in ſua ſecta neglexere. Immo ſunt, qui cenſent, eum, qui ante habitam Confirmationem clericali Tonſura initiari ſe ſinit, irregularitatem incurrere. Hoc tamen a pleriſque non improbabiliter rejicitur: nam eſto forte antiquitus obtinuerit, attamen a pluribus ſæculis in deſuetudinem abiit; cum neque in Decreto Gratiani, neque in ſummorum Pontificum Conſtitutionibus talis irregularitas memoretur. Sed noſtræ doctrinæ veritatem ulterius confirmat ipſius ſtatus clericalis conditio, quæ perfectos adultos in chriſtiana vita profeſſores ſuomet proprio jure depoſcit; cum in eo conſtituti debeant

beant

beant aliis, tanquam ſpiritualis vitæ duces, præminere. Perfecti vero chriſtiani in ſenſu Patrum ii minime reputantur, qui Confirmationem non acceperunt. Unde ſacra Pariſienſis Facultas Theologica hanc cujuſdam Pſeudonymi Auctoris propoſitionem proſcripſit: *Chriſmate uncti in Baptiſmo, licet ab Epiſcopo non confirmentur, perfecti ſunt chriſtiani in ſenſu Patrum.*

CAPUT NONUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Ex juſta cauſa licet etiam ſeptennium prævenire pro Confirmatione ſuſcipienda.*
II. *Peccant Parentes, Parochi, Tutores &c. qui negligunt ſibi ſubjectorum Confirmationem.*

Conſectarium Primum.

I. UBi mos eſt differendi Confirmationem ad ſeptennium, vel ultra, licitum tamen eſt tempus illud prævenire ex juſta cauſa. Ita declaravit S. Carolus in ſuo IV. Mediolanenſi Concilio ſic ſtatuens: *Si Epiſcopus, aliquam juſtam cauſam, atque adeo neceſſariam parvulo, ac infanti, qui non modo eam ætatem* (ſeptennium) *expleat, ſed ne attingat quidem, miniſtrandi aliquando cenſuerit, ne ſit vetitum.* Has vero juſtas, atque adeo neceſſarias præveniendi cauſas ſapientiſſime exponit Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 10. nimirum 1. periculum mortis, ne puer ſine Confirmatione decedat. 2. Si prævidetur futura diutius abſentia Epiſcopi. 3. Si facilis ad aliqua loca non ſit futurus Epiſcopi acceſſus, vel propter ingraveſcentem ejus ætatem, vel propter diſtantiam a Civitate, aut propter itineris difficultates, prudenter monere poterit ſuos ſubditos, ut ſibi in hoc, vel illo loco ſuæ diœceſis Sacramentum Confirmationis miniſtraturo pueri, & infantes exhibeantur. Immo laudatus Pontifex commendat illos Epiſcopos, qui vel in Synodali Conſtitutione, vel publico Edicto denuntiant, ſe paratos eſſe ad Sacramentum Confirmationis pueris mox deceſſuris conferendum; dummodo tamen non libenter accurrant ſolum ad nobiliores, ſibique bene viſos, & ire detrectent ad pauperes, alioſque de infima plebe: hoc ſiquidem fieret cum acceptatione perſonarum, & multorum ſcandalo.

Conſectarium Secundum.

II. Peccant graviter Parentes, Tutores, Parochi, aliique, qui filios, & pupillos, cum opportune poſſint, Confirmatione perficere negligunt. Nam primo ratione muneris, quod obtinent, curare debent, ut tanto bono non careant, qui eorum curæ commiſſi ſunt. Quamobrem S. Carolus in ſuo IV. Mediolanenſi Concilio ita ſtatuit: *Parochi videant, ne quis eorum, qui ſibi in curam traditi ſunt, illud* (Sacramentum Confirmationis) *ſuſcipere negligat; ſi vero neglexerit, canonicis ſubjaceat diſciplinis.* Hinc in Canonibus Pœnitentialibus trium annorum pœnitentia imponitur Parentibus, ſi forte filii, ex eorum negligentia, ſine Confirmatione moriantur. Sic enim loquitur Canon: *Cum filius ſine Confirmationis Sacramento moritur, parentes, quorum negligentia id factum eſt, pœnitentiam agent annos tres.* 2. Quia hac negligentia illud interpretative contemnere videntur. Nam, ut optime explicat Synodus Senonenſis an. 1524. *Contemni dicitur, quando Epiſcopus eſt præſens, paratus dare, & perſona hoc ſciens aut negligit, aut deſpicit ſuſcipere*, vel cui debet, procurare.

CAPUT DECIMUM.

De Sacramenti Confirmationis Effectibus.

Doctrina.

I. *In Confirmatione datur gratia ſanctificans.*
II. *Non tamen prima, ſed ſecunda.*
III. *Datur etiam gratia ſpiritualis roboris, & firmitatis.*
IV. *In quo conſiſtat.*
V. *Confirmatio imprimit characterem in anima.*
VI. *Quid præſtet character Confirmationis.*
VII. *Confirmationem ſemel valide ſuſceptam iterari non poſſe ſcripturis oſtenditur.*
VIII. *Confirmatur traditione Patrum.*

I. IN Sacramento Confirmationis, fidelibus ſine obice ſuſcipientibus datur ex opere operato gratia ſanctificans. Hæc noſtra propoſitio catholicam continet doctrinam, quam omnes Theologi admittunt, & ſoli oppugnant Hæretici. Sed adverſus illos adeo certa eſt, ſicut certum eſt, Confirmationem eſſe novæ Legis Sacramentum: & illa omnia confirmant teſtimonia Scripturarum, quæ dicunt, per Confirmationem dari Spiritum Sanctum illis, qui rite, & ſancte eam ſuſcipiunt. Nam nomine Spiritus Sancti, ut alias diximus, non ſunt intelligenda principaliter dona gratuita linguarum, prophetiæ, miraculorum &c. licet & iſta in primitiva Eccleſia adjicerentur Confirmatis, ut fidei celerius dilatandæ inſervirent; ſed maxime gratiæ ſanctificantis infuſio, quæ animam reddit Spiritus Sancti habitaculum, ejus ſcilicet Spiritus, quem Chriſtus ſuis promiſit, quando dixit: *Rogabo Patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem Mundus non poteſt accipere.* Hinc eſt, quod ceſſantibus illis donis exterioribus, quæ ad manuum Apoſtolorum impoſitionem conſequebantur, eadem cæremonia in Eccleſia retenta fuit ob indeſinentem principaliorem internæ ſanctificationis effectum.

II. Hæc tamen gratia ſanctificans, quæ in hoc Sacramento confertur, non eſt illa gratia, quæ dicitur prima, & directe, & per ſe datur, ut ex impio, & peccatore juſtum efficiat; ſed quæ a Theologis ſecunda dicitur, quia juſtitiæ jam in homine exiſtentis affert incrementum. Nam Confirmatio eſt Sacramentum vivorum, non mortuorum; adeoque ad dandam primam gratiam directe non ordinatur. Hinc olim ſtatim poſt Baptiſmum regeneratis, & proinde jam gratiam ſanctificantem adeptis, antequam illam ullo peccato amitterent, conferebatur. Hoc etiam ipſo nomine Confirmationis inſinuatur, quod ejus gratiæ, quæ jam adeſſe præſumitur, majorem importet firmitatem. Hinc a S. Ambroſio lib. 3. de Sacramentis cap. 2.

Sacramentum iſtud vocatur *perfectio*; & a S. Cypriano epiſt. 73. *conſummatio*: ab aliis vero Patribus paſſim *plenitudo*, *& robur* dicitur, ut ſic ſignificent gratiæ, & ſanctitatis in Baptiſmo acceptæ per Confirmationem ſtabile, ac fixum incrementum præſtari. Quæ omnia egregie complectitur D. Thom. hic q. 72. art. 7. ſcribens: „ In „ hoc Sacramento datur baptizato Spiritus Sanctus „ ad robur ..... Miſſio vero, ſeu datio Spiritus „ Sancti non eſt niſi cum gratia gratum facien„ te .... cujus primus effectus eſt remiſſio culpæ. „ Habet tamen alios effectus: quia ſufficit ad hoc, „ quod promoveat hominem per omnes gradus uſ„ que ad vitam æternam .... Et ideo gratia gra„ tum faciens non ſolum datur ad remiſſionem „ culpæ, ſed etiam ad augmentum, & firmita„ tem juſtitiæ. Et ſic confertur in hoc Sacra„ mento “.

III. Gratia in Confirmatione collata illius peculiaris eſt & propria; & dicitur gratia roboris ſpiritualis, vel plenitudo Spiritus Sancti ad robur. In 1. Par. diſſ. 2. de Sacram. in genere cap. 5. n. 20. jam oſtendimus, & probavimus, præter gratiam habitualem, vel primam, vel ſecundam, ſingula ſacramenta gratiam aliquam peculiarem, ſibique propriam afferre, quæ ab ipſis ſuam accipit denominationem. Hinc ſequitur, gratiam Confirmationis eſſe illi propriam, & peculiarem, & talem, ut nonniſi per Confirmationem poſſit obtineri. Ita docet S. Th. IV. Diſt. 7. q. 2. art. 2. q. 2. ad 2. dicens: „ Sacramentum Confirmationis „ non eſt Sacramentum neceſſitatis: unde ejus gra„ tia ad aliquem ſpecialem effectum ordinatur; „ & propter hoc gratia Confirmationis poteſt ad„ di ad gratiam, quæ perficit in communi ſtatu „ vitæ “. Porro, quod hæc peculiaris gratia ſita ſit in robore ſpirituali, affirmat idem D. A. hic q. 72. a. 2. ſcribens: „ In hoc Sacramento „ datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur ſpecia„ le, quod competit perfectæ ætati “. Et ipſo Confirmationis nomine indicatur, quod firmitatem, & conſtantiam denotat. Et magis eluceſcit ex materiæ, & formæ, quibus Sacramentum conſtat, analogia: nam oleum ad roboranda membra conducit, unde Athletæ antiquitus eo ſe inungere, & ad certamina præparare non omittebant; balſamum vero in odoris fragrantia, quæ ad alios redundat, bonum exemplum, quod ex adulti, & ſtrenui Confirmati virtute ad proximos eſt emanaturum, deſignat. Item quid ſignum Crucis in fronte, niſi impavidum Chriſti militem ſui ducis armis, ad vincendum mundum, inſtructum oſtendit? Quid verba Chriſmationi adjecta, niſi roboris, & virium incrementum inditum confirmato denuntiant? Quæ omnia confirmat S. Th. art. 4. ſcribens: „ In hoc Sacramento datur Spiritus San„ ctus ad robur ſpecialis pugnæ. Et ideo in hoc „ Sacramento tria ſunt neceſſaria, quæ continen„ tur in forma prædicta. Quarum primum eſt „ cauſa conferens plenitudinem roboris ſpiritualis, „ quæ eſt S. Trinitas ..... ſecundum eſt ipſum „ robur ſpirituale, quod homini confertur per ſa„ cramnntum materiæ viſibilis: quod quidem tan„ gitur, cum dicitur: *Confirmo te chriſmate ſalu„ tis*. Tertium eſt ſignum pugnatori datum .... „ & quantum ad hoc dicitur, *conſigno te ſigno „ crucis* “.

IV. Porro iſtud ſpeciale robur ſitum eſt tum in permanenti propenſione, tum in jure ad ſpecialia auxilia divina opportuno tempore conſequenda pro vitæ chriſtianæ officiis fortiter, & intrepide obeundis, victo humano metu, & præſertim pro fidei confeſſione, & propagatione adverſus Eccleſiæ perſecutores. Ita paſſim docent Patres. Tertull. lib. de Reſurr. Car. cap. 8. ſcribit: *Caro ſignatur, & anima munitur*. Et lib. de Præſcript. cap. 26. alludens ad illa verba Lucæ 24. *Sedete in civitate, quoaduſque induamini virtute ex alto*, tria ſacramenta continenter data Neophytis, Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam, paucis verbis complexus, dicit: *Eccleſia fideles aqua ſignat, Spiritu Sancto veſtit, Euchariſtia paſcit*. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 3. Myſtagog. ait: *Ut enim Salvator poſt Baptiſmum, & illum Spiritus Sancti adventum egreſſus in prœlium, devicit adverſarium; ſic & vos poſt ſacrum Baptiſma, & Chriſma myſticum induti armis Spiritus Sancti, adverſus vobis oppoſitam poteſtatem prœlium committitis*. Idem intendunt Patres, qui per Confirmationem Chriſtianum perfici, & conſummari aſſeverant; ut Sanctus Cyprianus epiſt. 73. Illiberit. Concil. can. 38. & 77. Sanctus Ambroſius lib. de Sacram. 3. cap. 2. Nam ſicut perficitur homo, quando pueritiæ evadens imbecillitatem, in adulta ætate vires ſuæ naturæ convenientes nanciſcitur; ita Chriſtianus perficitur, quando per Confirmationem robur acquirit ad ea, quæ chriſtianam fortitudinem, virilitatemque deſiderant. Quod vero præter hanc propenſionem, & firmitatem jus quoque tribuat Confirmatio ad auxilia opportune obtinenda, ea probant, quæ diximus lo. mox cit. ex P. I. Differt. 3. ubi gratiæ ſacramentalis proprietates explicavimus, hic recolenda, & materiæ aptanda. Porro his opportunis auxiliis tunc maxime indigemus, & ea ſperare debemus, quando perſiſtendum eſt contra exteriores oppugnationes inimicorum Chriſti, quos inter non ii ſolum ſunt reputandi, qui chriſtianam fidem eradicare conantur, ſed omnes Mundi amatores, qui potentia, & opibus præcellentes præbent ſe inferioribus formidandos: ad his enim reſiſtendum, quoties illicita a nobis petunt, & ad chriſtianæ vitæ officia ob illorum metum non deſerenda, robore ſpirituali opus eſt, quod per auxilia opportuna præſtatur, ad quæ obtinenda jus confert Confirmatio. Quod oſtendit Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus in Hom. de Pentecoſte ſcribens: *Forte cogitat ſibi aliquis, quid mihi prodeſt, poſt Myſterium Baptiſmatis, myſterium Confirmationis? ... Sic exigit militaris ordo, ut, cum Imperator quemcumque in militiam receperit, non ſolum ſignet receptum, ſed & armis competentibus inſtruat pugnaturum; ita in baptizatis benedictio illa munitio eſt ... Et Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas baptiſmatis ſalutifero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam. In Baptiſmo regeneramur ad vitam; poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam. In Baptiſmo naſcimur; poſt Baptiſmum roboramur, ac ſic continuo tranſituris ſufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem neceſſariæ ſunt Confirmationis auxilia*. Quod ſi & in Confirmatis infirmitas, occurrente pugnandi occaſione, deprehenditur, non ex eo provenit, quod vires opportunas Sacramen-

tum

tum ab ipſis perceptum non præbeat; ſed quod aut ſine diſpoſitione debita illud ſuſceperint, vel quod donis ſibi ab illo collatis, affectuum ſuorum perverſitate, uti noluerint. Sed, ad quod præcipue ordinantur gratia Confirmationis, & auxilia per eam obtinenda, illud eſt, quod ultimo loco diximus, ſcilicet robur ad fidei defenſionem, & propugnationem adverſus perſecutores. Hunc enim præcipuum effectum tribuit Confirmationi Eugenius IV. in Decreto pro Armenis, dicens: *Effectus hujus Sacramenti eſt, quia datur Spiritus S. ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen: ideoque in fronte, ubi ſedes eſt verecundiæ, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipue Crucem ejus, quæ Judæis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia*. Idipſum jam docuerat S. Th. hic q. 72. a. 9. Et ad hunc finem fidei profitendæ, & propugnandæ ſpiritum in Confirmatione inditum repræſentabant SS. Patres, qui nonniſi per illam perfectos Chriſtianos effici, qui Baptiſmum ſuſceperant, aſſerebant. Nam ſicut Chriſtianus quis efficitur fidem Chriſti confitendo; ita perfectus Chriſtianus evadit, ſi hanc nedum in corde retineat, ſed voce, & opere profiteatur exterius, & nulla adverſariorum formidine ſinat ſe ab hac profeſſione deturbari.

V. Alter Confirmationis effectus eſt ſpiritualis character in anima impreſſus. Et quidem characterem imprimi in Confirmatione certum eſt ex doctrina Eccleſiæ, quam & Decretum Eugenii in Synodo Florentina comprehendit, & Concilium Tridentinum anathemate in contradicentes vibrato confirmavit: utrobique enim Confirmatio unum ex tribus Sacramentis eſſe dicitur, quæ characterem ſpiritualem, atque indelebilem imprimunt animæ. Quod & Patres ſemper prædicavere, qui propterea illud ab hoc effectu appellarunt modo *ſigillum dominicum*, ut Cornelius Papa apud Euſebium, & S. Cyprian. epiſt. 73. modo *ſigillum regium*, ut Theodoret. lib. 4. in Cant. modo *ſignaculum vitæ æternæ*, ut S. Leo Papa. Tertull. lib. de Præſcript. ſtudium dæmonis in Sacramentis Dei per ſacrilegos ritus imitandis deſcribens, characteris in Confirmatione inditi ipſum æmulatorem inducit his verbis: *Signat ille in fronte milites ſuos*. S. Auguſtinus in ſerm. de Catechumeno expreſſe characterem eumdem memorat, ſic locutus: *Baptizatus es, ſignatus es regio charactere, accepiſti annonam de menſa Regis tui*. Paucis his verbis tria Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet, Confirmationem, & Euchariſtiam recenſet. Sed nullo validiori argumento Eccleſiæ de Confirmationis charactere traditio probatur, quam ex illius ſemper valide adminiſtratæ nunquam conceſſa iteratione, de qua poſt pauca. Nam non alia cauſa ſubeſſe poteſt, cur nefas ſit tam ſalubre Sacramentum repetere, niſi quod ſemel tantum ſuſceptum, indelebile ſui veſtigium relinquat. Recolantur, quæ diximus de charactere I. P. Diſſ. II. cap. 7. n. 2.

VI. Per characterem homo baptizatus ad edenda chriſtianæ virilitatis ſpecimina in pugna ſpirituali cum inviſibilibus hoſtibus ſpiritualiter inſtruitur, & addicitur. Hæc doctrina traditur a D. Th. hic q. 72. a. 5. his verbis: „ Dicendum, quod character „ eſt quædam ſpiritualis poteſtas ad aliquas ſacras „ actiones ordinata. Dictum eſt autem ſupra, „ quod ſicut Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis re„ generatio in vitam chriſtianam, ita & Confir„ matio eſt quoddam ſpirituale augmentum pro„ movens hominem in ſpiritualem ætatem perfe„ ctam. Manifeſtum eſt autem ex ſimilitudine cor„ poralis vitæ, quod alia eſt actio hominis ſtatim „ nati, & alia actio, quæ competit ei, cum ad „ perfectam ætatem pervenerit. Et ideo per Sa„ cramentum Confirmationis datur homini ſpiritua„ lis poteſtas ad quaſdam alias actiones ſacras, præ„ ter illas, ad quas datur ei poteſtas in Baptiſmo. „ Nam in Baptiſmo recipit homo poteſtatem ad „ ea agenda, quæ ad propriam pertinent ſalutem, „ prout ſcilicet ſecundum ſe vivit: ſed in Confir„ matione accipit homo poteſtatem ad ea agenda, „ quæ pertinent ad pugnam ſpiritualem contra ho„ ſtes Fidei. “

VII. Confirmationis ſacramentum ſemel valide ſuſceptum, eſt initerabile. Hanc Eccleſiæ doctrinam certiſſimam definivit Triden. Synod. can. 9. Seſſ. 7. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſint, anathema ſit*. Et jure meritoque; ſic enim docent & Scriptura, & perpetua traditione Patres. In Scriptura quidem eſt textus inſignis ex cap. 6. epiſt. ad Hebræos, ubi Apoſtolus ait: *Non rurſus jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum*. Quæ verba de Baptiſmo, & Confirmatione non repetendis plures Patres, & Interpretes Græci, nimirum S. Joan. Chryſ. Theodoretus, Œcumenius, Theophylactus, & alii apud Arcudium lib. 2. de Confirm. intelligunt; & eo tendunt, ut chriſtianos, qui hæc Sacramenta receperunt, admoneant, ad illa ſibi non patere recurſum, ſi ipſorum fructum amiſerint. Qui ſenſus manifeſtus redditur ex ſequentibus. Pergit enim Apoſtolus: *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel illuminati ſunt, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, rurſum renovari ad pœnitentiam*; ideſt, fieri non poteſt, ut homo per Baptiſmum illuminatus, & per manus impoſitionem, ac ſacram Chriſmationem particeps effectus Spiritus Sancti, ſi poſtea in lethalia peccata labatur, ob quæ gratiam his Sacramentis acceptam amittat, eam recuperet iterata eorum ſuſceptione, ad quam ſe diſponat per Pœnitentiam. Loquitur ſiquidem hic Apoſtolus non de Pœnitentia ſacramentali, quæ eſt ſecunda poſt naufragium tabula, ſed de illa, quæ ab initiandis, & adultis exigebatur, ut ſe dignos tanto beneficio præberent.

VIII. Eandem veritatem confirmat traditio Patrum, quæ in illis eorum dictis elucet, quibus initerabilem teſtantur eſſe Confirmationem. Quod procul dubio indicarunt, qui Confirmationem charactéri militari, aut ſigillo compararunt, quo Chriſtiani in Chriſti milites conſignantur, ut Tertull. de Præſcript., Cornelius Papa in epiſt. ad Fabium, S. Cypria. ad Jubaja., Innoc. I. ad Decent. S. Leo Papa ſer. 4. de Nativitate: ea ſiquidem ſimilitudine declarare voluerunt, iterari non poſſe, quod ſemel impreſſum, nunquam deletur, ſed & in transfugis, ac deſertoribus conſervatur. Idem ſignificant Patres Africani, diſputantes cum Donatiſtis, & dicterium illud, quo catholicos voca-

cabant *muſcas morientes*, *quæ perdunt ſuavitatem unguenti*, repellentes, aſſeverabant a catholica Eccleſia ratam haberi Chriſmationem ab hæreticis, & ſchiſmaticis datam: vix enim id perſuadere potuiſſent, niſi oſtendendo nunquam iteratam fuiſſe in iis, quos conſtaret eam valide aliquando accepiſſe. Sed diſerte id alii Patres teſtantur. S. Gregor. M. epiſt. 17. lib. 17. dicit: *Hoc vos rite tenere debetis, ut quoties de Baptiſmo aliquorum, vel Confirmatione dubitatio habetur .... ut baptizentur tales, & confirmentur ..... ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtendatur ante peractum*. Concil. Tolet. VIII. cap. 7. *Sanctum Chriſma collatum, & Altaris honor avelli nequeunt*. Gregor. II. ad Bonifacium epiſt. 13. ſcribit: *De homine, qui a Pontifice confirmatus fuit, denuo illius iteratio probibenda eſt*. Concil. Cabilon. II. can. 27. decernit: *Dictum eſt nobis, quod quidam de plebe bis, aut ter ab Epiſcopis ignorantibus iiſdem Epiſcopis, confirmentur: unde nobis viſum eſt, tandem Confirmationem, ſicut & Baptiſmum iterari minime debere*. Hanc denique traditionem ante Concilium Trident. Florentina quoque Synodus in Decreto pro Armenis tanquam indubitatam amplexa eſt, dicens §. 5. *Confirmationem non reiterari in eadem perſona*. Rationem quoque congruam hujus initerabilitatis aſſignat S. Th. hic quæſt. 72. artic. 5. ſcribens: „Sicut Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio in vitam chriſtianam; ita & Confirmatio eſt quoddam ſpirituale augmentum promovens hominem in ſpiritualem ætatem perfectam." Ergo utrumque Sacramentum initerabile eſſe oportebat: nam ſicut homo ſemel naſcitur; ita ſemel virili gaudet ætate: quapropter analogia corporalis vitæ etiam in ordine ſpirituali has proveſtiones ſemel tantum fieri expoſtulat. Sed cauſa efficacior ejus initerabilitatis petenda ex indelebili charactere, quem Sacramentum Confirmationis valide acceptum relinquit in anima, deſumi debet, ut mox oſtendimus.

CAPUT UNDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Aliquando per accidens Confirmatio tribuit primam gratiam.*

II. *Grave perpetrat ſacrilegium, Confirmationem cum peccato lethali accipiens.*

III. *Diſpoſitiones ad hoc Sacramentum fructuoſe ſuſcipiendum recenſentur.*

Conſectarium Primum.

I. SAcramentum Confirmationis licet per ſe, & directe non detur ad obtinendam primam gratiam peccata delentem; eam tamen per accidens aliquando producit. Quando id contingat, explicat Sanctus Thomas hic quæſt. 72. a. 7. ad 2. ſcilicet, ſi quis ſine peccati conſcientia, & cum ſupernaturali contritione ad illud accedat: „Nam tunc (ſcribit A. P.) per hoc Sacramentum perficitur Pœnitentiæ effectus, ſicut & Baptiſmi: quia per gratiam collatam in hoc Sacramento conſequitur Pœnitens pleniorem remiſſionem peccati. Et ſi aliquis adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet, vel etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, conſequetur remiſſionem peccatorum". Recolantur, quæ diximus I. Par. Diſſert. 2. cap. 6. conſ. 7.

Conſectarium Secundum.

II. Qui indigne ſuſcipit Confirmationem, ideſt in peccato lethali exiſtens, gravi polluitur ſacrilegio: pœnitens tamen gratiam recuperat Sacramenti. Et quidem graviter illum peccare nemo eſt, qui ambigat, cum Confirmatio ſit vivorum Sacramentum, quod nonniſi a juſtis, & gratia ſanctificante donatis accipi licite poteſt; & qui gratia carens ad illud accedit, Sacramentum profanat. Unde egregie docet S. Th. hic art. 7. ad 2. „Sicut ex ipſo nomine apparet, hoc Sacramentum datur ad confirmandum, quod prius invenerit: & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam. Et propter hoc ſicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, niſi per pœnitentiam reparatis. Unde dicitur in Aurelianenſi Concilio (habetur inter capitula Herardi Turonenſis can. 75. & cap. 6. de conſecrat. diſt. 5.) ut jejuni ad Confirmationem veniant, ut moneantur Confeſſionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere". Et merito deducit ex hoc Concilio S. Thom. eſſe confeſſionem præmittendam, nec ſufficere contritionem, ut nonnulli benigniores Theologi concedere videntur hac ratione, quia nullum extat præceptum de Confeſſione præmittenda. At ipſa indoles Sacramenti id poſtulare videtur, cum munditiam poſtulet conſcientiæ, quæ ſine Pœnitentiæ Sacramento difficile obtinetur. Præterea Natalis Alex. multarum Synodorum affert Decreta, jubentium Confeſſionem præmittendam ab adultis. Quibus & Martene plures alios adjungit canones. Quamobrem oppoſita ſententia ut falſa rejicienda eſt, prout rejicitur a Bened. XIV. in ſua Inſtitut. 6. n. 11. allata Conſtitutione Odonis Epiſcopi Pariſienſis, ſtatuentis: *Si adultus fuerit, confiteatur, & poſtea confirmetur*; cui & aliorum Conciliorum, & canonum ſtatuta adjungit. Multoque magis cavere debent ab hujus Sacramenti acceptione, qui aliqua ligantur Eccleſiaſtica cenſura: ſi tamen acceperint, nullam incurrunt irregularitatem; ſicut nec qui bis confirmationis Sacramentum vel reciperet, vel miniſtraret, quia talis irregularitas in jure poſita non habetur. Qui vero indigne Sacramentum confirmationis accipit, ſi poſtea pœniteat, & per Sacramentum Pœnitentiæ ſuum crimen expiet, gratiam recuperat, juxta ea, quæ diximus I. Par. Diſſert. 2. cap. 6. conſect. 3. de Sacramentorum characterem imprimentium reviviſcentia.

Conſectarium Tertium.

III. In ſuſcipientibus Confirmationem nonnullæ requiruntur præviæ diſpoſitiones. Et certe primo requiritur intentio, quæ ſatis eſt, ſi ſit habitualis in homine etiam adulto; in pueris autem non requiritur, quam ſupplet Eccleſia, ſicut in Baptiſmo. 2. Ut recitare ſciant Apoſtolicum Symbolum, & Orationem Dominicam, cum agatur de Sacramen-

mento ſuſcipiendo, quod robur elargitur ad Chriſti fidem publice profitendam, quam quomodo profiteri poterunt, ſi ignorent? Quamobrem merito ſtatuit Bened. XIV. in ſua Conſtitut. 42. quæ incipit, *Etſi minime*, ne pueris parum in doctrina Chriſtiana inſtructis conferatur hoc Sacramentum. 3. Requiritur, ut juxta eorum capacitatem de dignitate, ac effectibus hujus Sacramenti imbuti ſint, & ſciant, quod recipiunt. Sunt etiam monendi, ut prævie ſe ad hoc Sacramentum diſponant piis precationibus, & virtutum actibus, exemplum imitantes Apoſtolorum, qui, dum adventum Sancti Spiritus præſtolarentur, erant unanimiter in oratione perſeverantes. Hoc autem munus præſertim Parochis incumbit, qui, ſicut vigilare tenentur, ut pueri in competenti ætate conſtituti hoc Sacramentum non negligant, ita eos inſtruere debent, ut urgente ſuſcipiendæ Confirmationis tempore, digne, & fructuoſe ad hoc Sacramentum accedant.

CAPUT DUODECIMUM.

De Cæremoniis ad Confirmationem rite ſumendam, & miniſtrandam requiſitis.

DOCTRINA.

I. *Cæremoniæ Græcæ Eccleſiæ exponuntur.*
II. *Cæremoniæ, quæ in Latina Eccleſia Confirmationem præcedunt, explicantur,*
III. *Officia Patrini.*
IV. *Nonniſi unus eſſe poteſt in Confirmatione.*
V. *Quinam ex officio Patrini repellantur.*
VI. *Obligationes Patrini explicantur.*
VII. *Mundities, & cultus modeſtus a confirmando ſervanda.*
VIII. *Cæremoniæ, quæ Confirmationem comitantur, exponuntur.*

I. QUam venerabiles ſint ſacræ, ab Eccleſia inſtitutæ in adminiſtratione Sacramentorum, quam ſancte cuſtodiendæ cæremoniæ, jam diximus, & oſtendimus in I. Par. Diſſ. 2. cap. ult. Solum igitur hic eas exponemus, quæ Confirmationis Sacramentum reſpiciunt, & in tres partiemur claſſes: aliæ ſiquidem Confirmationem præcedunt, aliæ comitantur, nonnullæ denique ſubſequuntur. Et quidem Græca Eccleſia magna brevitate, & ſimplicitate totum Ordinem Confirmationis abſolvit, ut videre eſt in eorum Euchologiis: nihil enim præmittit niſi Orationem incipientem, *Benedictus es Domine Deus omniponens* &c. qua Spiritum Sanctum invocant. Sequitur unctio, de qua ſuo loco diximus. Demum nonnullis ex Epiſtola ad Romanos, & ex Evangelio ſecundum Mathæum recitatis, aliam ſubjicit orationem, qua Deum precatur, ut gratiam per Baptiſmum, & Confirmationem collatam, (nam hæc duo Sacramenta, ut diximus, continenter adminiſtrant) in Neophyto conſervare dignetur.

II. At ampliores, & ſolemniores habentur in Latinis Ritibus cæremoniæ, & inter eas, quæ præcedunt, potiorem ſibi vendicat conſiderationem Sponſorum, ſive Patrinorum aſſiſtentia. In quibus primo conſiderandum eſt officium. Oportet itaque ut confirmandus a Patrino Epiſcopo offeratur ex antiquiſſima praxi, quæ in Sacramentario S. Gregorii, & in Ordine Romano commemoratur, & multis Conciliorum canonibus inculcatur; atque ita univerſalis, & ſolemnis eſt, ut ejus omiſſio ex communiſſima Doctorum ſententia mortali crimine non vacaret. Hujus ritus convenientiam explicat S. Thom. hic q. 72. a. 10. ſcribens: „ Sicut aliquis de novo natus indiget inſtructore in his, quæ pertinent ad converſationem vitæ . . . ita illi qui aſſumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus inſtruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus conſtituuntur Duces, & Centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc Sacramentum, ab alio tenetur, quaſi per alium in pugna ſpirituali erudiendum “. Aliam addit congruam rationem S. Carolus Par. IV. Act. Eccleſiæ Mediolanenſis, videlicet: „ Idcirco Patrinum confirmando aſſignari, ut hic ita ſe Spiritus S. gratiam perfectiorem in Confirmatione aſſecuturum animadvertat, ut tamen nunquam ſibi fidere debeat, ſed aliorum, qui vel ætate, vel diſciplina provectiores ſunt, monita, conſiliaque libenter audire, atque amplecti “.

III. Ex officio ſuo itaque debet Patrinus confirmandum, membrum quidem Eccleſiæ per Baptiſmum effectum, nondum tamen militiæ adſcriptum, Epiſcopo, tamquam Duci exercitus, militari charactere inſigniendum offerre, veluti ſpondendo ſtrenue militaturum, eumdem, ſi infans eſt, dextera tenendo, dum ſiſtitur, &, ſi adultæ ſit ætatis, pedem ſuum ſupra dexterum pedem patrini offerentis ponere debet, ex antiquo ritu in Sacramentario S. Gregorii, & Ordine Romano notato, & indicato etiam in Romano Pontificali. At ex conſuetudine inductum videtur, ſatis eſſe; ſi Patrinus dexteram ſuam ſupra dexterum confirmandi humerum teneat: quam conſuetudinem a ſe toleratam dicit Bened. XIV. in Inſtit. 6. num. 17. ad perturbationes, & moleſtias vitandas.

IV. Unus tantum, ſive vir, ſive mulier debet eſſe in Confirmatione Patrinus. Sic enim in capite *non plures*, & in cap. *in Catechiſmo* diſt. 4. decernitur. Quamvis enim pro Baptiſmo unum, & unam adhiberi Concilium Tridentinum permittat; at pro Confirmatione nihil innovavit; proinde non licet plures in hoc Sacramento adhibere, licet oppoſitum Toletus, aliique ſentiant. Extra neceſſitatem alius ſit, oportet, ab eo, qui in Baptiſmo ſuſcepit; quamvis olim, & nunc apud Græcos idem in Baptiſmo, & Confirmatione teneat, quia ea bina Sacramenta continenter conferebantur. Debet inſuper, qui Patrinum agit, eſſe confirmatus, ex Capite *In Baptiſmate* ſub eodem titulo, & diſtinctione ſtatuente: *In Baptiſmate, vel Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus*: adeo ut probabilius juxta plures Theologos, quos inter Tournelius, iſtud officium non confirmatus aſſumens graviter peccet. Sanctus Carolus, & recentius Eminentiſs. Paulucius Cardinalis, Summi Pontificis Vicarius in Urbe, ſua pro confirmandis Inſtructione edita die 22. Maji 1722. exigunt in Patri-

trinis, ut ſint confirmandis ætate provectiores, adeo ut ad minus quartum decimum annum attingant. Vetant, ne mares fœminis, nec maribus fœminæ, nec ſenioribus adoleſcentes in Sacramento Confirmationis adhibeantur, niſi aliter neceſſitas poſtulet, ob ſexus, & ætatis diſconvenientiam.

V. Ab hoc munere excluduntur 1. Parentes confirmandi etiam in neceſſitatis caſu, ne cognationem ſpiritualem, de qua in conſectariis, contrahentes petere ſibi invicem conjugale debitum impediantur. 2. Omnes excommunicati, & interdicti. 3. Qui publici ſunt peccatores, uſurarii, concubinarii, hiſtriones, aleatores, & qui aliis ſcandalo ſunt. In præfato Edicto Cardinalis Vicarii repelluntur & illi, qui in Paſchate ſacra non fuerunt communione refecti, & qui fidei Chriſtianæ rudimenta, Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, & Decalogi præcepta ignorant. 4. Omnes, qui in Baptiſmo ſuſceptores aſſumi non poſſunt, & a gerendo in Confirmatione hoc officio repelluntur: unde & Monachis illud interdictum cenſetur, & etiam ceteris Regularibus, & Monialibus. Nemo tamen arbitretur, ſi Religioſus aliquis, vel Monialis ſint confirmandi, eis non licere, immo non expedire altero Religioſo, vel Moniali uti in ſuſceptorem; cum immo reſpectu iſtorum melius patrini officia exercere poſſint, quam laicus, vel extraneus Eccleſiaſticus. Seculares Eccleſiaſtici jure communi non repelluntur; ſuæ tamen Diœceſis Decreta, ſi qua ſint, vel Synodalia, vel Epiſcopalia hoc illis officium vetantia, ſervare debent, & cuſtodire. A conſanguineo vero, & germano fratre (licet neget Toletus) licite confirmandum, ſaltem in neceſſitate, teneri, non eſt, unde prohibitum oſtendatur: immo melius fortaſſis cenſent nonnulli, qui ex propinquis, & affinibus malunt aſſumi, ne matrimonii impedimenta ad majorem perſonarum numerum dilatentur.

VI. Obligationes, & munia Patrini S. Carolus in laudatis Actis Eccleſiæ Mediolanenſis Par. IV. tit. de Sacram. Confirmationis ita recenſet: „ Patrini munus eſt, filiolum, quem in Confirmatione tenuit, monere, eique tanquam ducem ſe præbere, ut in quotidiano ſpirituali certamine adverſarium vincat; ſed & ſi rudem illum viderit, non ſolum rudimentis fidei chriſtianæ illum inſtruere, verum etiam ad viam ſalutis, virtutumque chriſtianarum doctrinam erudire cohortationibus, & exemplis, ut in ſancto Baptiſmate traditum eſt. Quamobrem patrinus is deligatur, qui non ſolum doctrinæ chriſtianæ inſtituta, præceptaque teneat, ſed etiam qui vitæ piæ exemplo ita ſe inſtituit, ut Magiſter, vereque patrinus ac dux aliis eſſe poſſit ad bene agendum, progrediendumque in via Dei “. Fatendum tamen cum plurimis Auctoribus, debitum hæc præſtandi potius in quadam decentia, quam in rigido præcepto, quod in legibus canonicis non invenitur, & ſolum in chriſtiana caritate fundatur, conſiſtere; & ſolum in defectu patrini, qui tenuit ad ſacrum Fontem, cui certius præfata onera incumbunt, Confirmationis compatrem ad ejus vices ſupplendas in filioli ſpiritualis inſtructione obligari credendum eſt.

VII. Sunt & nonnulla circa nomen, munditiam corporis, veſtis, & jejuniorum ad decentiam ex recentium Conciliorum notatis obſervanda. 1. Circa nomen ſuggerit S. Carolus in Concil. V. Mediolan. „ Curet autem Epiſcopus, ac Parochus, ut qui turpe, ridiculumque nomen habet, neque plene conveniens homini chriſtiano, illud mutet, ſumatque in Sacramento Confirmationis nomen alicujus, qui veræ pietatis, ſanctæ Religionis laude floruerit, ut qui hactenus non ad normam Chriſti Domini vitam inſtituit, jam abjecto hujuſmodi nomine, depoſitoque vetere homine, & antiqua ſocordia, rurſumque novo ac ſancto ſuſcepto nomine, virilem in ſancte agendo conſtantiam perpetuo deinceps præſtet “. Idem conſulunt plura Concilia Gallica ſeculi XVI. ut Carnotenſe, Aquenſe, Toloſanum &c. quamvis & olim non ſolum ob allegatam cauſam, ſed ex pio aliquo motivo mutare nomen cuicumque permiſſum erat, ut ex Conſtitutionibus Odonis Pariſienſis, & Decretis Synodalibus Eccleſiæ Rhemenſis colligitur. 2. Quoad corporis munditiam id confirmando cavendum & Sacramenti reverentia, & Synodalia ſtatuta commendant, ne fronte ſordida, aut capillis (ut aliquando contingit ex nimia accedentium incuria) indecenter contextis ſe Epiſcopo ſiſtant. 3. Albis veſtibus induti antiquitus fideles Confirmationem recipiebant: nec mirum, cum ſtatim poſt Baptiſmum, ad quem candidatos oportebat accedere (ut ex Sacramentario S. Gregor., Ordine Romano, S. Cyrillo Hieroſolym. catech. 4. S. Ambroſio de initiandis cap. 7. S. Jo. Chryſoſt. hom. 118. aliiſque pluribus compertum eſt) ſacro in fronte Chriſmate inungerentur. Sed apud Latinos poſtea disjuncta horum Sacramentorum adminiſtratione, nullus peculiaris indumentornm color invenitur confirmandis præſtitutus; quæ tamen munda, & ad modeſtiæ formam compoſita, functionis religioſitas poſtulat. Quamobrem in ſuo Edicto opportune monet Cardinalis Paulucius, ut fœminæ tam chriſmandæ, quam commatres non accedant vanis, immodicis, & profanis veſtibus, & ornamentis, multoque minus immodeſtis, minuſque pudicis; & patrini ſine armis, vel gladio, quem deponere prius debent, niſi forte ſint alicui Religioſo Ordini Equeſtri, vel militari addicti. Quoad jejunium vero ea recolantur, quæ diximus ſuperius de Miniſtro confirmante.

VIII. Plures ſunt cæremoniæ, quæ hujus Sacramenti comitantur adminiſtrationem: at de pluribus, manuum ſcilicet impoſitione, oratione, invocatione S. Spiritus, chriſmatione frontis in modum crucis, nec non verbis ab Epiſcopo confirmante proferendis, utpote pertinentibus aliquo modo ad eſſentialem ritum Sacramenti, ſatis diximus in ſuperioribus capitibus, agendo de materia, & forma hujus Sacramenti. Sicut & locum, & tempus conſideravimus, vel decentia, vel opportuna ad illud ſuſcipiendum. Nonnulla itaque ſolum ſuperſunt conſideranda. Et primum quidem ſunt ſitus, & ordo, & de hoc poſteriori, Rituale Romanum præſcribit, ut prius mares, poſtea fœminæ baptizentur, & confirmentur. Quoad ſitum vero S. Carolus in Conc. Mediol. decentiſſime ſtatuit, ut mares in Eccleſia in dextera parte collocentur, in ſiniſtra vero fœminæ; & ſic ſeparatim diſtincti, genibus flexis, manibus ante pectus junctis,

ſuo

ſuo quiſque ordine pie, & religioſe orent; in primiſque ab omni vociferatione, & inani confabulatione abſtineant, ſed ſancto, & modeſto ſilentio utantur. Succedit ſecundo loco alapa ab Epiſcopo in illius, qui confirmatur, maxilla ſtatim poſt chriſmationem inflicta, quæ & notabilis eſt, quamvis non admodum vetuſta; de illa quippe nulla apud antiquos Patres, nulla in Sacramentario Gregorii, aut in veteri Ordine Romano, nulla in iis Auctoribus, qui ante decimum ſæculum de Eccleſiaſticis Officiis ſcripſere, mentio occurrit. Verum hujus cæremoniæ multiplex ratio, finiſque refertur. Synodus Senonenſis in Gallia anni 1524. hanc reddit cauſam, ut ea percuſſione infantium memoriæ infigatur, ipſos fuiſſe confirmatos, ne per oblivionem iterum ſe confirmari faciant. Catechiſmus Romanus, & S. Carolus myſticam ſignificationem, tropologicamque ſubjiciunt, ut ſcilicet confirmati admoneantur, ſe tanquam Athletas paratos eſſe oportere ad omnia, etiam ludibria, pro nomine Chriſti ferenda. Alii conjectant eandem alapam in ſignum caritatis oſculo, quo ſe invicem Chriſtiani in ſynaxibus excipiebant, ſubſtitutam: nam Superiorum mos eſt blanda manus attrectatione ſuam erga inferiores benevolentiam teſtari. Quicumque tamen hujus praxis credatur ſcopus, non eſt certe vel contemnenda, vel negligenter omittenda; cum vix ſine ſcandalo negligi poſſit. Quapropter nimium ſacros Ritus extenuant benigniores illi Theologi, qui hujus cæremoniæ voluntariam omiſſionem nec levis culpæ arguunt. Succedit oblatio cerei Epiſcopo facienda, quæ non ubique ſervatur, & cujus omiſſio, præſertim in pauperibus, omni culpa carere poteſt, cum ſit religioſus actus ſupererogatorius, non præceptus, nec in Pontificali præſtitutus. Sequitur pacis denuntiatio, quæ cæremonia antiquiſſima eſt, & jam a ſeculo VII. in Ordine Romano præſcripta, qua *confirmatos* ſignificatur, ut explicat Romanus Catechiſmus, *gratiæ cæleſtis plenitudinem, & pacem, quæ exſuperat omnem ſenſum, eſſe conſecutos.*

IX. Poſt Confirmationem unum eſt, quod aliquam ſibi poſtulat conſiderationem, vittæ, ſeu faſciolæ lineæ, qua frons chriſmati legari ſolet, antiquiſſimus uſus, in Ordine quoque Romano notatus. Hic ob duplicem cauſam videtur inductus. 1. Sacri Chriſmatis reverentiam concernit, ne ſcilicet ab illinita fronte ad alias partes facile diffluat. Altera in myſtica ſignificatione ſita eſt, ut videlicet idem chriſma in loco unctionis diutius ſervatum, acceptam gratiam diligenter cuſtodiendam eſſe commoneat. Vitta ad XII. uſque ſeculum per ſeptem a Confirmatione dies deportari ſolebat: inquit enim Ordo Romanus, *quanto tempore generaliter ab Eccleſia celebratur Adventus Spiritus S. ſuper Apoſtolos, tanto tempore debet ſervari unctio chriſmatis.* Hunc morem tanquam convenientem laudat Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacrmentis Part. 7. cap. 7. Cœpit deinde ad triduum coarctari lationis ſpatium, alicubi ad biduum, immo & ad unum diem naturalem, ſive ad 24. horas, prout ex variis XVI. ſeculi Conciliis colligitur, præſertim ex Senonenſi 1524. & Mediolanenſi 1579. Eandem poſt dictum terminum ad Eccleſiam deferri a Confirmato quibuſdam in locis præcipiebatur: & tunc frons confirmati ſale, & aqua lavabatur, in locum mundum projecta aqua, ubi nequiret pedibus conculcari. Ita Synodus Trecenſis an. 1400. celebrata diſponebat. Certe vittam ipſam, chriſmatis contactu quodammodo ſanctificatam, ad profanos uſus in poſterum adhiberi reverentia prohibet, ſed vel comburendam, vel ad ſimile, pro aliis officium aſſervandam, nobiliores Theologi monent. Multis in locis frons illico abſtergitur a Sacerdotibus: unde bendallis, vel faſciolis, vel vitta opus non eſt; quæ nec in Romano Pontificali adhibenda indicitur.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Ex officio Patrini in Confirmatione cognatio ſpiritualis exoritur.*
II. *Num ſi plures adhibeantur Patrini, omnes contrahant eam cognationem.*
III. *Num Patrinus non confirmatus eandem contrahat cognationem.*
IV. *Num liceat ad Eucbariſtiam ante Confirmationem accedere.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. Sicut in Baptiſmo, ita & in Confirmatione juxta Concil. Tridentini ſeſſ. 24. cap. 2. de Reform. Matrim. ſtatutum, ex Patrini officio vinculum oritur ſpiritualis cognationis, quod impedimentum objicit Matrimonio contrahendo. Hoc impedimentum olim latius protendebatur: ſed præfato Tridentini Decreto ita eſt coarctatum, ut ſolum locum habeat inter Patrinum, & Confirmatum, & inter Patrinum atque utrumque Confirmati parentem. Oritur etiam inter Confirmantem & Confirmatum, Confirmatique parentes: ſed de hoc ſupervacaneum eſt dicere, cum aliis nominibus matrimonium contrahi ab ipſis non poſſit. Decretum Tridentini his verbis concipitur: *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur; omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.* Ad hoc impedimentum contrahendum neceſſe eſt, ut patrinus ſit vel a parentibus confirmati, vel a Miniſtro confirmationis deſignatus, & confirmandum reipſa tangat, & teneat; ita ut ſine hac cæremonia munus patrini non exercuiſſe præſumatur. In Pontificali Romano indicitur, ut unus patrinus non offerat in Chriſmatione niſi unum, vel duos eodem die: at neceſſitas, ubi deſint plures patrini, excuſat. Si ex conſenſu Epiſcopi confirmantis unus plures teneat, & offerat, cum omnibus tamen cognationem contrahit.

Conſectarium Secundum.

II. In Confirmatione nonniſi unus eſſe poteſt Patrinus, ut diximus cap. præc. n. 4. Nam licet pro Baptiſmo Tridentinum Concilium conceſſerit, ut duo, unus, & una munus poſſint obire patrini; cum tamen pro Confirmatione nihil ſtatuerit, ad

ad hoc Sacramentum non eſt extendenda conceſſio pro Baptiſmo facta, quippe cum ſit juris antiqui derogatoria, non debet extendi, nec ultra præſtitutos terminos dilatari, ut obſervat Clericatus Deciſ. 116. & confirmatur etiam quotidiana conſuetudine, per quam in Confirmatione non niſi unus admittitur patrinus. At ſi contra hoc ſtatutum, & conſuetudinem plures ad patrini munus admitterentur, illos omnes cognationem contracturos puto. Nam licet veteres Canones, ne plures, immo ne duo aſſumantur, vetent, ut proinde peccet graviter, qui hoc ſalutare Decretum, & in re gravi non ſervat, non tamen factum irritant; quod patet in Baptiſmate, in quo licet ſtatutum ſit, ne niſi duo, unus & una ad ſummum aſſumantur, tamen ſic in Jure declaratum legitur cap. *Quamvis* 3. de cognatione ſpirituali in 6. his verbis: *Quamvis non plures, quam unus vir, aut una mulier accedere debeant ad ſuſcipiendum in Baptiſmo infantem, juxta ſacrorum Canonum inſtituta; ſi tamen plures acceſſerint, ſpiritualis inde cognatio contrahitur, Matrimonia contrahenda impediens, & etiam poſt contracta diſſolvens*. Et propter idem dicendum videtur & de Confirmatione; cum Tridentinum Concilium, iis exceptis, quæ mutata voluit, antiquos Canones in ſuo robore permanere declaraverit, dum dixit ſeſe ordinare omnia *juxta ſacrorum Canonum inſtituta*. Ita ſentiunt Ferrarius V. Baptiſmus art. 7. n. 12. qui & Deciſionem citat Congregationis Concilii, & Sanchez de Matrimonio diſq. 57. n. 14. aliique.

Conſectarium Tertium.

III. Qui confirmatus non eſt, munus patrini in Confirmatione obire non poteſt, & quidem ſub gravi culpa, ut docet Tournelius Tract. de Confirm. cap. 9. n. 4. & fatentur etiam benigniſſimi Theologi, Buſembaum, & La-Croixius, qui hanc doctrinam communem eſſe teſtantur; licet Eſcobarius eum a gravi culpa excuſet. Et confirmari poteſt auctoritate S. Th. hic q. 72. art. 10. ad 2. dicentis: *Non debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondum eſt confirmatus*. Num autem, qui non confirmatus munus agit patrini, ſpiritualem contrahat cognationem, dubitant & certant Theologi. Quidam putant illum revera hoc impedimento ligari: immo Concina dicit ſe pro certo habere, ſpiritualem cognationem ab hoc ſuſceptore contrahi. At alii, & quidem magni nominis, meo videri probabilius cenſent, in patrino non confirmato cognationem ſpiritualem locum habere non poſſe. Ita ſentiunt Anacletus Reiffenſtuel Tom. 4. Juris Canonici pag. 91. n. 27. Immo Ferrarius cum hanc & ipſe doctrinam tradidiſſet V. Confirmatio art. 3. n. 19. ideoque reprehenſus a Romano Theologo in Notis ad Bibliothecam, in Supplemento 8. Tomi eam ſtrenue propugnavit his argumentis ex Clericato, Barboſa, aliiſque deſcriptis. 1. Quia ſicut non baptizatus cognationem non contrahit ſpiritualem ſi patrinum in Baptiſmo agat, ita nec non confirmatus, ſi confirmandum teneat, cum in Jure Canonico æquali tenore utrumque prohibeatur. Sic enim legitur cap. 102. diſt. 4. de Conſecr. *In Baptiſmate, vel Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus, vel confirmatus*. 2. In Pontificali Romano expreſſe dicitur: *Nullus, qui non ſit confirmatus, poteſt eſſe in confirmatione patrinus*: ubi to *non poteſt* nedum actus prohibitionem, ſed & facti irritationem deſignat. 3. Cardinalis de Laurea de *Imped. Matrimonii* diſp. 28. n. 102. & ſeq. propoſito dubio, *Titius non confirmatus tenuit ad Confirmationem puerum, cujus deinde matrem viduam vult in uxorem ducere: quæritur, an poſſit*: abſolute & intrepide reſolvit, poſſe, & quidem in cit. cap. Juris Canon. *In Baptiſmate, & Chriſmate* &c. & hac adducta ratione: „ Sicut ideo in Baptiſmate ſuſcipiens non baptizatus non contrahit, quia non poteſt dare vitam ſpiritualem, quam non habet; ita cum non confirmatus non habeat robur hujus Sacramenti, non poteſt alium roborare “. 4. Auctoritatem allegat plurium Theologorum, & Canoniſtarum, inter quos plures magni nominis enumerat, Barboſam, Jordanum, Mattheucium, Marcantium, Sanchezium, Pignatelli, aliosque. 5. Denique affert Declarationem Sacræ Congregationis Concilii in una Licienſi die 13. Julii anni 1654. quam etiam citat Reiffenſtuel, in qua declaratum legitur, *non confirmatum non contrahere cognationem ſpiritualem*. Quæ profecto, ſi authentica eſt, & vera, maximam huic ſententiæ conciliat probabilitatem. Quamobrem doctrinam hanc admodum probabilem cenſeo. Attamen, ut in pari caſu de Baptiſmo dixi, nullus prudens, & cordatus Parochus hos in matrimonium conjunget inconſulto Epiſcopo; &, ſi opus fuerit, & tempus patiatur, Sedes Apoſtolica erit conſulenda, ne loco matrimonii inceſtuoſus concubitus fortaſſis inducatur.

Conſectarium Quartum.

IV. Quamvis conveniens ſit, ut nonniſi confirmatus ad ſacram Euchariſtiam accedat, non tamen grave peccatum eſt hanc Confirmationi præponere, præſertim quando non adeſt copia Epiſcopi confirmantis. Olim poſt Confirmationem, maxime continenter Baptiſmo adjunctam, initiati Sacra Euchariſtia reficiebantur. Ordo in his tribus Sacramentis tradendis olim ſancte ſervatus, occaſionem dedit inquirendi, num hoc tempore, quo a Baptiſmo ſejungitur Confirmatio, licitum ſit ante hanc acceptam ad Sacramentum Altaris accedere. Nec deſunt Theologi, qui hunc Sacramentorum ordinem tanti faciunt, ut ejus inverſionem gravis culpæ accuſent. Et certe, ſi commode quis poſſit ante Euchariſtiam Confirmationem recipere, peccati venialis reus foret, ſaltem ob magnam in hoc ordine convenientiam. Verum cum hic ordo nec ulla lege, ſive divina, ſive eccleſiaſtica, ſit præſtitutus, & non ſemper Epiſcopus adſit, præcipue in villis, & minoribus civitatibus, qui Confirmationem petentibus dare poſſit; per ſe loquendo, Euchariſtiam Confirmationi præmittere omni culpa vacare ſolet: & revera etiam pii, & docti Miniſtri, & Parochi abſque difficultate pueros bene inſtructos ad Communionem vel mittunt, vel admittunt, licet nondum ſacra Confirmatione roboratos.

RE-

REFLEXIO.

I. Non amplius quidem in Chriſtianam Religionem ſæviunt Tyranni. Non amplius ſanguine chriſtiana eſt ſancienda diſciplina. At non deſunt chriſtianarum virtutum hoſtes, & perſecutores, blande quidem, ſed non minus crudeliter ſauciantes. Hi ſunt mundi amatores, Religionis contemptores, pietatis irriſores. Vibrant ſua jacula, dum de ſuis vanitatibus gloriantur; mucrone crudeliſſimo ſæviunt, dum Religionis contemnunt officia; & dira infligunt vulnera, dum pietatem irrident, dum Deum timentes ſubſannant, dum a bono animas avocare pertentant. Adverſus iſtos nos roborat Confirmationis Sacramentum. Mundi amatores, ſæculi & pompæ ſectatores vincere debemus, de Crucis nobis in fronte chriſmate impreſſæ paupertate, ignominia, paſſione gloriantes. *Abſit*, dicere debemus hoſtibus iſtis cum D. Paulo, *abſit mihi gloriari niſi in Cruce Domini Noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Sic nos hortatur Tertullianus ad certamen contra delicias ſeculi, contra vanitates, & pompas mundi ineundum: „ Vocati ſumus ad militiam Dei jam tunc, cum in Sacramento verba „ reſpondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, „ ſed de papilionibus expeditis, & ſubſtrictis, ubi „ omnis duritia, & imbonitas, & inſuavitas conſiſtit. Etiam in pace, labore, & incommodis „ bellum pati addiſcunt, in armis deambulando, „ campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinem denſando. Sudore omnia conſtant, nec corpora, atque animi expaveſcunt de umbra ad ſolem, de ſole ad cælum, de tunica ad loricam, „ de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Perinde vos benedicti, quoadcumque hoc „ durum eſt, ad exercitationem virtutum corporis & animi deputare. Bonum agonem ſubituri „ eſtis, in quo Agonothetes Deus vivus eſt, Xyſtarches Spiritus Sanctus, corona æternitas, bravium Angelicæ ſubſtantiæ politia in cælis, gloria in ſæcula ſæculorum “.

II. Contra vero Religionis oppugnatores, contemptoreſque, quorum ingens pene, modo ex palude vitiorum, fœtidarum inſtar ranarum, & rabidarum locuſtarum, ebullit examen, omnia dogmata vel canino dente commordens, vel fœtidis, vel inſanis irriſionibus commaculans, divino Spiritus Sancti robore muniti pugnare, & certare debemus, tum aures, & oculos ab eorum verbis vel ſcriptis avertentes, tum intrepide Symbolum fidei proferentes, illius nos fidei inhærere conſtanter, ſpe lactari, doctrina erudiri gloriantes. Ita nos roborat, & confirmat S. Auguſtinus Enarr. in Pſ. 30. illa explicans verba: *Perfeciſti eos, qui ſperant in te in conſpectu filiorum hominum*; & ita ſcribens: „ *Eis perfeciſti dulcedinem tuam, qui* „ *ſperant in te in conſpectu filiorum hominum*. „ Quomodo dicit Dominus, *qui me negaverit coram hominibus, negabo & illum coram Patre meo*. „ Ergo ſi ſperas in Domino, coram hominibus „ ſpera: ne forte abſcondas ipſe ſpem tuam in „ corde tuo, & timeas confiteri, cum tibi objiciatur, quia Chriſtianus es. Cui autem modo objicitur, quia Chriſtianus es? Tam pauci non „ Chriſtiani remanſerunt, ut eis magis objiciatur, „ quia Chriſtiani non ſunt, quam ipſi audeant aliquibus objicere, quia Chriſtiani ſunt. Tamen „ dico vobis, Fratres mei. Incipe, quicumque me „ audis, vivere, quomodo Chriſtianus; & vide, „ ſi non tibi objiciatur & a Chriſtianis, ſed nomine, non vita, non moribus. Nemo ſentit, „ niſi qui expertus eſt. Vis vivere ut Chriſtianus? „ Vis ſequi veſtigia Domini tui? Objiciatur tibi, „ erubeſcis, & erubeſcendo dimittis. Viam perdidiſti. Videris tibi ore *crediddiſſe ad juſtitiam*, „ ſed perdidiſti, *ore confeſſio fit ad ſalutem*. Si „ ergo vis ambulare viam Domini, etiam in conſpectu hominum ſpera in Deum, ideſt noli erubeſcere de ſpe tua. Quomodo vivit in corde „ tuo, ſic habitet in ore tuo; quia non ſine „ cauſa ſignum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi „ voluit, tanquam in ſede pudoris, ne Chriſti opprobria Chriſtianus erubeſcat “.

III. Contra vero pietatis irriſores, & bonorum operum contemptores, *ſtate in galeis*, nos monet Jerem. 46. v. 4. *polite lanceas, induite vos loricis*; iſti enim ſunt ſæviores hoſtes, & pernicioſiores, quippe quia irriſionibus, ſarcaſmis, ignominioſis verbis a pietate, a Religionis ſtudio, a piis exercitationibus pios fideles avocare totis viribus conantur. Pietatem hypocriſiam vocant, Pœnitentiam crudelitatem, Orationes inanes blaterationes, Sacramentorum frequentiam ſimulationem, ſacrorum librorum lectionem vanam appellant occupationem. Verum Chriſtianus in Confirmatione dono fortitudinis per Spiritum Sanctum roboratus, optime tenens ceu verum, & ratum, quod dixit Apoſtolus: *Omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur*, Mundum cum omnibus ſuis erroribus, moribus, terroribus, irriſionibus aſpernantur, odit, fugit, vincit, vaniloquia mundana contemnit, amicorum blanditiis non emollitur, oppugnationibus adverſantium non frangitur, adulatione non flectitur, favore non delinitur, nullius potentiæ frangitur metu; ſed pro conſervatione pietatis, pro perſeverantia in bonis operibus ardua quæque aggreditur, & dura firmiter ſuſtinet, ac patienter tolerat. Hos itaque & laudat, & confirmat S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 144. explicans illa verba: *In via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi*, ſcribens: „ In via Chriſti, & hinc laquei, & hinc laquei: laquei a dextris, laquei a ſiniſtris; laquei „ a dextris, proſperitas ſeculi; laquei a ſiniſtris, „ adverſitas ſeculi: laquei a dextris, promiſſiones; laquei a ſiniſtris, terrores. Tu in medio „ laqueorum ingredere, a via noli recedere; nec „ promiſſio te capiat, nec error elidat. *Conſiderabam ad dexteram, & videbam*; in ſiniſtram „ qui conſiderat, excæcatur. Quid eſt in dexteram conſiderare? Ubi erunt illi, quibus dicetur, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete Regnum*? ... Frememte ergo toto mundo, & minante in perſecutionibus, crebreſcentibus undique inſultationibus hominum, atque terroribus, „ ille contemnens præterita, reſpiciebat in futura, attendebat ad dexteram, ubi futurus eſt, „ ibi eſſe meditabatur, illuc attendebat, & videbat, & ideo omnia ferebat “.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS

PARS QUARTA,

QUÆ EST DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

EUchariſtia ſublime myſterium, eximium erga nos divini flagrantiſſimi amoris ſignum, pignus æternæ gloriæ, cujus ineffabiles laudes juvat potius venerabundo ſilentio continere, quam exili, & impari oratione celebrare, & Sacramenti munus exercet, & Sacrificii. Sub utroque itaque aſpectu de ipſa tractandum eſt. Quapropter hanc tractationem in duas partiemur Diſſertationes: prior omnia, quæ ad Sacramenti rationem pertinent; altera, quæ ad Sacrificii rationem ſpectant, complectetur. Tractandorum copia non ſinit nos longa præfatione Lectores detinere: quamobrem ſtatim operi manus admovemus.

DISSERTATIO I.

DE EUCHARISTIA, QUATENUS EST SACRAMENTUM.

NOtum, compertumque eſt in Chriſtiana Eccleſia, qua longe lateque patet, hunc celeberrimum, ſanctiſſimumque uſum vigere, ut panis & vinum definito quodam ritu conſecrentur, reſque ſic conſecrata, quæ Euchariſtiæ appellatur Sacramentum, & quam Chriſti Corpus, & Sanguinem vere, & realiter continere a Catholica creditur, & traditur Eccleſia, identidem ejuſdem Religionis hominibus diſtribuatur. De hoc itaque ritu, & Sacramento ea omnia, quæ ad ejus eſſentiam, exiſtentiam, compoſitionem, ſumptionem, effectuſque pertinent, ordinatim in tota Diſſertatione exponemus: quod diſtinctis, quæ ſequuntur, Capitibus abſolvemus.

CAPUT PRIMUM.

Euchariſtiæ varia nomina, definitio, veri Sacramenti illi conveniens ratio. explicantur.

DOCTRINA.

I. *Varia Euchariſtiæ nomina recenſentur.*
II. *Nonnulla fuſius explicantur, & primum Euchariſtiæ.*
III. *Cur Communio appelletur, exponitur.*
IV. *Cur Viaticum dicatur.*
V. *Euchariſtiæ definitio traditur.*
VI. *Verum eſſe Sacramentum;*
VII. *Et quidem ab aliis diſtinctum evincitur.*
VIII. *Continere vere, & realiter Corpus Chriſti oſtenditur ex Chriſti promiſſionibus.*
IX. *Et ex verbis Inſtitutionis hujus Sacramenti.*
X. *Ex Traditione argumento præſcriptionis,*
XI. *Et argumento diſcuſſionis.*

I. CUm Euchariſtia ceteris Novæ Legis Sacramentis præcellat, mirum non eſt, ſi ad ejus dignitatem indicandam a SS. Patribus, aliiſque Scriptoribus, pluribus fuerit inſignita nominibus. Horum aliqua a re, quam continet, nonnulla a fine, ad quem fuit inſtituta, alia denique ab effectibus ex ipſa progredientibus, nec non ab actione, loco, tempore, materia deſumpta ſunt. Nam 1. ob rem, quam continet, *Corpus Dominicum*, *Corporis & Sanguinis Chriſti Sacramentum*, *Sanctum*, *Auguſtiſſimum*, *Divinum*, *Vivificum*, *adorandum*, a Patribus paſſim etiam *Myſterium*, *Donum*, *Sancta Dona* appellatur. 2. Ratione finis, ad quem ordinatur, & a circumſtantiis inſtitutionis, nec non ab effectibus *Cibus animæ*, *ſpiritualis refectio*, *gratia ſalutaris*, *Sacramentum gratiæ*, *Communio*, *Euchariſtia*, *Viaticum*, *Menſa Domini*, *Cœna Domini*, *Novum Paſcha* denominata invenitur. 3. Ab actione, qua celebratur, & adminiſtratur, ejuſque adjunctis dicitur *Eulogia*, ſive *benedictio*, *Sacramentum Altaris*, *Collecta*, *Sacramentum fidelium*, *fractio panis*, & *Azyma*. 4. Demum a materia, ex qua conficitur, frequentius appellatur *Panis ſanctus*, *Panis vitæ æternæ*, *Panis Dominicus*, *Panis Chriſti*, *Panis Angelorum*, *cœleſtis*, & *ſuperſubſtantialis*; & quoad alteram ſpeciem *Calix Domini*, *Calix benedictionis*, *Calix ſalutis perpetuæ* &c. Ex his omnibus tamen tria ſunt vocabula apud Latinos uſitata, quæ & a D. Thom. hic quæſt. 73. artic. 4. memorantur, nempe *Euchariſtia*, *Communio*, *Viaticum*, quæ uberiorem poſtulant explicationem.

II. Dicitur ergo Græco vocabulo *Euchariſtia*, cui Latina phraſis reſpondet *Bona gratia*, ſeu *gratiarum actio*. Licet hoc nomen in nullo N. T. li-

libro uſurpatum ad Euchariſtiam denotandam legatur; antiquiſſimum tamen eſt, & ab Eccleſiæ incunabulis adhibitum, ut videre eſt apud S. Ignatium Martyrem epiſt. ad Philadelphios, Sanctum Juſtinum M. Apolog. 2., S. Irenæum lib. 4. cap. 34., S. Cyprianum epiſt. 10. & 11. A Græcis ad Latinos propagatum, aliis vulgatius, ac familiarius evaſit. Et merito, quia hujus nominis binæ ſignificationes maxime Sacramento noſtro conveniunt. Nam bonæ gratiæ appellationem ſibi vendicat ratione eximii boni, quod continet, quod largitur, quod pollicetur: continet ſiquidem Auctorem gratiæ, gratiæ munus profundit, gloriæ præmium, ſeu conſummatum fructum pollicetur. Unde inquit S. Thom. hic a. 4. „ Dicitur Euchariſtia, ideſt bona gratia, quia *gratia Dei vita „ æterna*; vel quia realiter continet Chriſtum, qui „ eſt plenus gratia “. Merito etiam gratiarum actio nuncupatur; ſive modus, quo inſtituta eſt Euchariſtia, ſpectetur; nam *gratias agens* (dicitur Corinth. 1.) *fregit, & dixit, accipite, & manducate*; ſive finis, ad quem ejus ſumptio egregie deſervit, attendatur. *Nam hæc reverenda, & ſalutaria myſteria* (verba ſunt S. Jo. Chryſoſt. hom. 26. in cap. 8. Matth.) *nos faciunt debitas Deo gratias ſemper exſolvere*.

III. *Communio* quoque vocatur Latino vocabulo, *Synaxis* vero Græca voce idem ſonante, duplici ex cauſa, prima, quia, ut inquit S. Thom. hic art. 4. *communicamus per ipſam Chriſto*, & quia *participamus ejus carne, & divinitate*. Secunda, quia ejuſdem eſu *fideles comunicant invicem*, & ejuſdem corporis ſe eſſe membra oſtendunt: unde ſubdit l. D. & *quia communicamus, & unimur ad invicem per ipſam*. Eſt itaque Euchariſtia chriſtianæ ſocietatis vinculum, atque ſymbolum; quemadmodum enim ad eandem familiam pertinere, vel ſaltem arctiſſimo amicitiæ fœdere copulari ii dignoſcuntur, qui una communi perfruuntur menſa, & de eadem appoſita pari jure veſcuntur eſca; ita inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. *Unum corpus multi ſumus, qui de uno pane, & de uno calice participamus*.

IV. *Viatici* etiam nomine donatur, eo quod præſertim in vitæ diſcrimine verſantibus ob corporis infirmitatem in ſubſidium, & cibum traditur, quo roborati, & confortati ad vitam æternam perveniant. Unde ſcribit S. Thom. l. l. „ Tertiam „ ſignificationem habet reſpectu futuri, inquan„ tum ſcilicet hoc Sacramentum eſt præfigurati„ vum fruitionis Dei, quæ erit in Patria, & ſe„ cundum hoc dicitur *Viaticum*, quia hic præbet „ nobis viam illuc perveniendi “. Dici poteſt merito Viaticum, etiam cum in vita a ſanis ſumitur, quia per illum cibum ſalutarem in hujus vitæ peregrinatione reficiuntur fideles, & ex hoc ad vitam alteram profecturi contra inviſibiles ſalutis hoſtes muniuntur, & roborantur. Nec contra hæc nomina quis objiciat, & cætera Sacramenta ſimilibus poſſe donari nominibus, & ea illis convenire: nam & alia Sacramenta ſunt validiſſima hujus vitæ ſubſidia, & contra hoſtes munimenta, unde & Baptiſmum Viaticum vocarunt SS. Baſilius, & Gregorius Nazianzenus; & cætera bonam gratiam conferunt, & ad agendas Deo gratias aptiſſime adhibentur; & per illa & cum Chriſto capite noſtro communicamus, & cum aliis Religionis noſtræ conſortibus in unam conjungimur ſocietatem. Non, inquam, hæc quis objiciat. Nam D. Th. & hæc objecta prævenit, & egregie ſolvit, dicens l. l. ad 4. „ Dicendum, quod id, quod eſt „ commune omnibus Sacramentis, attribuitur anto„ nomaſtice Euchariſtiæ propter ejus excellentiam“.

V. A nominibus ad naturam, ſive eſſentiam hujus Sacramenti gradum moventes, ſic illud ex communi Theologorum ſententia definimus: *Euchariſtia eſt novæ Legis Sacramentum, in quo ſub ſpeciebus panis, & vini continentur verum Chriſti Corpus, & Sanguis, ad alimoniam ſpiritualem vitæ per Baptiſmum acceptæ*. Dicitur 1. Sacramentum; quia ea omnia complectitur, quæ aliis Sacramentis ſunt communia, &, ut mox videbimus requiruntur ad verum Sacramentum, nimirum ſenſibile ſignum, Chriſti inſtitutio, gratiæ promiſſio. Additur *Novæ Legis*, quippe quia Euchariſtia non ſolum gratiam adumbrat, ut Manna in veteri Teſtamento, ſed vere confert, quod proprium eſt Sacramentorum Novæ Legis, & antiquis Sacramentis tribui non poteſt, ut ſuo loco oſtendimus. Hinc dicebat Chriſtus Joan. 6. *Patres veſtri manducaverat Manna in deſerto, & mortui ſunt . . . Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Quæ ſequuntur verba & realem indicant tranſubſtantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti, vere, & realiter in Euchariſtia præſentis, ut mox oſtendemus. Concluditur definitio *ad alimoniam ſpiritualem*, quæ effectum indicat hujus Sacramenti, ſcilicet ſpiritualem nutritionem, augmentum, & pinguedinem, per analogiam ad corporales terreni cibi effectus. Additur *per Baptiſmum acceptæ*, ut indicetur, hoc Sacramentum non ad primam dandam gratiam eſſe inſtitutum, ſed ad ſecundam; & non niſi fidelibus jam Chriſti fidem profeſſis, & ſacro lavacro ablutis eſſe miniſtrandum.

VI. Eſſe autem Euchariſtiam verum Sacramentum Novæ Legis dogma eſt Catholicum, neque ab ipſis hæreticis in dubium vocatum, ſaltem a recentioribus, qui ex Lutheri, & Calvini ſchola prodiere, licet in aliis turpiſſime errent. Evincitur autem. Nam Euchariſtia a Chriſtianis celebrata ea omnia habet, quæ ad veri nominis Sacramenti eſſentiam, & ſubſtantiam pertinent: eſt enim res ſenſibilis, ex inſtitutione Chriſti ad ſanctitatem, & juſtitiam tum ſignificandam, tum efficiendam ordinata. Et primo quidem ſenſibilitas ex ipſo ſenſuum teſtimonio innoteſcit; Euchariſtia ſiquidem panis, & vini externam exhibet ſpeciem. 2. Divina Inſtitutio ex Evangelica pateſcit hiſtoria Matth. 26. *Cœnantibus eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait, accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meum*: cui conſentiunt SS. Marcus cap. 14., Lucas 22. & Divus Paulus 1. ad Corinth. 4. Inſtitutum quidem non ad uſum tantum tranſeuntem, ſed ſtabilem & permanentem, communem & perpetuum fidelium, ut indicant, quæ ſubdidit Chriſtus verba ad Apoſtolos: *Hoc facite in meam commemorationem*; & quæ habet D. Paulus l. l. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Supernaturalem denique Euchariſtiæ efficaciam, & ſanctificandi virtutem declarat Chriſti promiſſio Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. nam

nam ad Rom. 6. dicitur: *Gratia Dei vita æterna:* & rurſum cum dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* 2. Patet eadem veritas ex traditione Patrum, quorum teſtimonia late referuntur a Gratiano de Conſecrat. diſt. n. 3. Ex Eccleſiæ definitionibus a pluribus antiquioribus Conciliis, Carthag. III. cap. 28. & 29. tum poſterioribus ſub Innoc. III. cap. *Firmiter*, nec non ejuſdem Pontificis Decretali cap. *Marthæ* de celebrat. Miſſ. Florentino in litteris unionis, nec non in Decreto pro Armenis §. *Tertium*, Trident. ſeſſ. 7. can. 1. quæ omnia Euchariſtiam Sacramentis Novæ Legis adnumerant.

VII. Eſt autem Euchariſtiæ Sacramentum a reliquis Novæ Legis diſtinctum. Hæc quoque doctrina ex definitionibus Eccleſiæ de ſeptenario Sacramentorum numero in Conciliis Florentino, & Tridentino ſtatuto certa eſt; & etiam ex diverſo plane ritu, quo hoc conficitur Sacramentum, nempe ex diverſa materia, & forma, ab ea quæ in aliis adhibetur Sacramentis; nec non ex utriuſque ad ſpecialem, & propriam ſignificationem coaptatione deprehenditur. Sed præterea inſigne Euchariſtiæ diſcrimen ab aliis in eo ſitum eſt, quod ſcilicet reliqua in aliqua tranſeunte actione poſita ſunt, & tunc ſolum exiſtere reputantur, quando actu fiunt, & eorum materiæ applicantur ad uſum: at Euchariſtia ſemel conſecrata fixam, & permanentem habet exiſtentiam, neque in ipſomet uſu, ſed potius in re utibili conſtituta cenſetur. Congruam etiam rationem tradit D. Thom. hic a. 1. q. 73. deſumptam ex fine inſtitutionis, ſic ſcribens: „ Sacramenta Eccleſiæ ordinantur ad ſubveniendum homini in vita ſpirituali. Vita autem ſpiritualis vitæ corporali conformatur, eo quod corporalia ſpiritualium ſimilitudinem gerunt. Manifeſtum eſt autem, quod ſicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quem homo vitam accipit, & augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitæ; ita etiam requiritur alimentum, quo homo conſervatur in vita. Et ideo ſicut ad vitam ſpiritualem oportuit eſſe Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis generatio; ita oportuit eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſpirituale alimentum ".

VIII. Euchariſtia dicitur Sacramentum permanens, quia in eo, ut inquit Tridentina Synodus, Chriſtus præſens eſt *vere*, *realiter*, & *ſubſtantialiter*. Dixit *vere*, ut ſignificaret non in ſola figura, & imagine, ſed in veritate carnis, & ſanguinis contineri. Dixit *realiter*, ut excluderet ſolam apprehenſionem per fidem. Addidit *ſubſtantialiter*, ut declararet, non per ſolam virtutem a ſe diffuſam ibidem adeſſe. Hoc Catholicum Dogma adverſus Calvinianos egregie demonſtrarunt innumeri Theologi eruditiſſimi. Satis itaque mihi erit, ne nimium a ſcopo aberrem, & extra ſemitam excurram, nonnulla proferre argumenta ex Scriptura, & traditione deprompta. Et quidem in Scriptura luculentiſſima ſunt verba, quibus Chriſtus Dominus ſe daturum carnem ſuam ad manducandum, & ſanguinem in potum pollicitus eſt. Nam Jo. 6. dixit: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita;* ſeu ut in Græco textu, *Caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita*. Et paulo poſt: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et rurſus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem.* Et iterum: *Caro mea vere eſt cibus.* Quod vero in hiſce locis, abſque ulla metaphora, de vera ſua carne locutus ſit, patet manifeſte ex ſequentibus. Quandoquidam de reali manducatione ſui corporis, & ſanguinis ebibitione ea verba a Chriſto dicta accipientibus Judæis, & Diſcipulis, proptereaque de rei poſſibilitate dubitantibus, & ad invicem dicentibus: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* & nonnullis etiam ob incredulitatem recedentibus ab eo, quoniam ajebant; *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* tantum abeſt, ut Dominus priorum dubitationem, aliorum ſcandalum aliqua ſui ſermonis emollitione, & ad ſpiritualem ſenſum traductione amoveret, ut immo & aliis proprie verum eſſe, quod dixerat, confirmaverit ſubdens: *Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis meam carnem, & biberitis meum ſanguinem* &c. Iſtis vero miraculo futuræ ſuæ in cælum Aſcenſionis perſuadere curavit, ſubdens: *Hos vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius* &c. Accedit, quod prædictis verbis aliquid in futuro a ſe præſtandum, illudque inſolitum, novum, & ſingulare Redemptor prænuntiavit: ſiquidem dixit: *Panis, quem ego dabo*, non do, vel dedi; & rurſum: *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit, non ſicut manducaverunt Patres veſtri Manna*. Ergo exponi non poteſt vel de Incarnatione jam facta, vel de ſola manducatione ſpirituali, & per fidem, ut hæretici exponere præſumpſerunt: nam hujuſmodi manducatio etiam Veteribus conceſſa fuit, de quibus Paulus ad Corinth. 10. ajebat: *Omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt: bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus.*

IX. At luculentius hanc veritatem confirmant ipſa verba a Chriſto pronuntiata in ipſa hujus myſterii inſtitutione, nempe *Hoc eſt Corpus meum*, *hic eſt Sanguis meus*, vel *calix Sanguinis mei*, & quæ eadem veracitate, & efficacitate in ipſius nomine, & perſona proferuntur a Sacerdotibus in panis, & vini conſecratione. Quæ verba ſumpta in ſenſu grammaticali, & obvio vera eſſe non poſſunt, niſi quod per ea conſecratur, Chriſti Corpus, & Sanguis evadat, & conſequenter ipſum vere, & realiter, & ſubſtantialiter præſentem contineat. Neque hic locum habere poteſt metaphorica locutio, & parabolica, ſive ſpectetur in narratione evangelica ille qui loquitur, ſive modus loquendi, ſive materia, de qua agebatur, ſive perſonarum, ad quos ſermo dirigebatur, conditio, ſive loquendi tempus; quæ profecto circumſtantiæ omnes litteraliter accipienda eadem verba convincunt. Ille, qui loquebatur, veraciſſimus non ambigitur, & docendi diſcipulos, non decipiendi ſtudioſius: quibus tamen erroris occaſionem præbuiſſet, ſi nomine ſui Corporis, & Sanguinis, quæ exhibere præſeferebat, aliquid omnino diverſum, nec tamen a ſe expoſitum obſignaſſet. Erat præterea omnipotens, qui, quidquid dicebat, efficere poterat, ut ex omnibus ab eo patratis miraculis manifeſte apparet: & ſicut in Cana Galilææ aquam in vinum converterat, ita & panem, & vinum in

ſuum

ſuum Corpus, & Sanguinem poterat commutare. Res, de qua tractabatur, erat magnum Sacramentum, *Fidei Myſterium*, Novi Teſtamenti ſigillum, humanæ Redemptionis pignus, & pretium, poſtremum eximiæ dilectionis argumentum, ad quod longe ante aſſeverantiſſima promiſſione ſuorum præparaverat fidem. An tam ampla objecta ad meros verborum luſus, & vacuam cujuſdam ſigni oſtentationem, metaphorica eorum, quæ dixit, intelligentia redigenda videntur? Modus ipſe, quo Redemptor hæc expreſſit, nullam involuti ſenſus redolet ambiguitatem: ita enim quod præbebat, ſuum eſſe Corpus, & ſanguinem affirmabat, ut nec ſermone præcedente, nec ſubſequente aſſertionem ſuam temperaverit, & quidpiam ſub ipſa a verborum cortice alienum facere ſubindicaverit; & tamen alloquebatur Apoſtolos ex una parte rudes, & ſimplices, ex alia delectos in futuræ Eccleſiæ Magiſtros, cui quod ipſi tunc accipiebant, tanquam præcipuum aliquod erant traditurі; quod proinde aperto, claro, nudo ſermone mandari oportebat. Quid, quod in procinctu paſſionis, & mortis jam jam ſubeundæ hæc, de quibus agimus, Salvator noſter edebat; nimirum eo tempore, quo amicorum colloquia ornamentis, & tropis relictis, ſumma claritate, & ſimplicitate conferuntur, & intima cordis arcana pateſiunt. Denique quod omnium, quæ afferri poſſunt, validiſſime ab Evangelicis verbis ſenſum figuratum ablegat, eſt litteralis Catholicæ Eccleſiæ interpretatio, quæ ab immemorabili invaluit, & ante omnium hæreſum oppoſitionem obtinuit; ut ex perpetua Traditione ſtatim oſtendemus.

X. Porro hæc traditio 1. conſtat argumento invictiſſimo præſcriptionis. Nam XI. ſeculo, quo Berengarius, evangelicis verbis ad metaphoricum ſenſum detortis, cœpit Catholicam veritatem oppugnare, tota, qua late patet, Eccleſia ipſam firma, & inconcuſſa fide tenebat: alioquin non tanto, & univerſali conſenſu adverſus præfatum hæreſiarcham, tanquam orthodoxæ doctrinæ corruptorem inſurrexiſſet, quantum oſtendunt tot Concilia, in quibus eodem ſeculo damnatus fuit, tot in eum editi Libri, & maxime ea tanta Scriptorum coævorum fiducia, quanta Witmundi, & Lanfranchi, qui Berengario univerſæ Eccleſiæ contrarium ſenſum opponebant. Fides igitur, quam ſeculo undecimo profitebatur Eccleſia, profecto eadem fuiſſe præſumitur, quam præcedentibus ſeculis, & quam tempore Apoſtolico excoluerat. Quandoquidem, ſi qua in fide Eccleſiæ circa hunc articulum mutatio poſt Apoſtolicum ævum contigiſſet, profecto mutationis hujus non omnia ita evanuiſſent veſtigia, ut nec auctor, nec tempus, nec modus antiquæ doctrinæ depravatæ ab Adverſariis poſſet deſignari; tanta quippe, & in re tam inſigni depravatio non ſine magna perturbatione, & contradictione fidelium valuiſſet induci, ac multo minus totam Eccleſiam, etſi ei Spiritus Sancti directionem defuiſſe putemus, in errorem abſque obluctatione pertrahere. Oportet igitur, ut Zuingliani, Calviniſtæ, Sociniani exordia præſumptæ variationis nobis oſtendant. Nam Anaſtaſius Sinaita, qui florebat ſub initium VII. ſeculi; Epiphanius Diaconus, qui VIII. ſeculo Nicænæ 2. Synodo interfuit; Paſchaſius Ratbertus Corbejenſis Abbas, qui IX. ſeculo de Corpore, & Sanguine Chriſti hoc dogma diſertiſſime in ſuis libris propoſuiſſe inveniuntur, & quidem ut jam receptum, commune, ac diuturna jam poſſeſſione firmatum, alioquin tanti non erant homines iſti, ut univerſis Catholicis tam facile imponerent, ſuiſque privatis ſenſibus cæca illos credulitate implicarent. Hoc argumentum nervoſe, fuſe, & eleganter pertractant Auctores Libri de *Perpetuitate Fidei* &c. nec non Boſſuetus in Hiſtoria Variationum Eccleſiæ Proteſtantium Tom. 2. lib. *9.* n. *67.* & ſeq. & T. 3. lib. *9.* n. 184.

XI. Conſtat eadem Traditio etiam argumento diſcuſſionis, ideſt teſtimoniis Patrum, & Eccleſiaſticorum Scriptorum, qui per ſingula ante Berengarium ſecula floruere. Sed ne in immenſum probatio noſtra producatur, non afferam ordinatim ſingulorum verba, quæ ſtudioſi, cupidique legere poterunt apud Bellarm., Natal. Alex., Laurentium Berti, præfatos Auctores de Fidei perpetuitate, alioſque qui controverſiis de fide adverſus Hæreticos incubuere; ſed eorum ſententiam ſummatim perſtringam. 1. Itaque plerique illorum ſimpliciter, diſerte, & rotunde dixerunt, *fideles Corpore, & Sanguine Chriſti in Euchariſtia nutriri*; S. Irenæus lib. 5. adv. Hæreſ. cap. 2. Tertull. lib. de Reſurr. carnis cap. 8. S. Cypr. epiſt. 54. & Tr. de Orat. Domin. S. Greg. Nyſſ. Orat. Catech. cap. 34. S. Ephrem Syrus in lib. *de non ſcrutanda Dei natura*, S. Jo. Chryſoſt. hom. 51. in Matth. & 45. in Joan. S. Auguſt. epiſt. 54. cont. adverſ. Legis, & Prophet. lib. 2. cap. *9.*, contra Fauſtum lib. 20. cap. 18. S. Cyrillus Alexand. lib. 4. in Jo. cap. 2. S. Greg. M. hom. 14. & 22. in Evang. ut alios omittam. 2. Aſſeverant, *ipſummet Chriſti Corpus, verum, proprium, quod ex B. Virgine natum eſt, paſſum, mortuum pro nobis, & a morte ſuſcitatum, adeſſe in Euchariſtia*; S. Ignatius Martyr in epiſt. ad Smyrnæos, S. Juſtinus M. Apolog. 2. S. Irenæus lib. adv. hæreſes cap. 18. S. Hilarius de Trinitate lib. 8. n. 13. S. Ambroſius de Sacramentis cap. 1., & de Initiandis cap. *9.* S. Jo. Chryſoſt. hom. 83. in Matth. & 24. in 1. ad Corinth. Iſidorus Peluſiota ep. 109. S. Petrus Chryſol. ſerm. 63. aliique. 3. Euchariſtiæ Sacramentum *Incarnationi, & Virginali utero* compararunt plerique, quos modo adduxi, SS. Juſtin., Hilar., Ambr., Chryſoſt., Greg. Nyſſ., Cyrill. Hieroſ. Incarnationi, inquam, in qua Verbum vere, & realiter corpus, & hominis naturam aſſumpſit. 4. Panis, & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti tranſmutationem veris, ac ſubſtantialibus rerum converſionibus aſſimilarunt, e. g. illis, quibus alimentum quotidie in corpus noſtrum transformatur, olim aqua in vinum in Nuptiis Cana Galilææ, virga Moyſis in ſerpentem coram Pharaone tranſierunt. Legantur SS. Cyrillus Catech. 4., Ambroſ. de Initiandis cap. *9.* 5. Nemo illorum ob difficultatem myſterii levandam ad metaphoricam locutionem in verbis Evangelicis, præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini ſignificantibus, unquam recurrit; immo exaggeratione divinæ omnipotentiæ, & veracitatis fidem eis ſimpliciter intellectis conciliare ſatagerunt; tanquam ſtupendum, & ſenſibus humanis inacceſſum miraculum proponentibus. Legantur SS. Cyrillus ubi ſup. Homil. de Trinit. lib. 8. cap. 14. Jo. Chryſoſt. hom. 83. in Matth., & Gaudentius Brixienſis tract. 2. in Exodum *6.* Adorationem, quæ Chriſto

ſto debetur, coram Euchariſticis quoque ſymbolis impendendam eſſe non dubitarunt Chryſoſt. hom. *61.* ad populum Antiochenum, & de Sacerdotio cap. *6.* Theodor. Dialogo 2. Cyrillus Hieroſol. Catech. 5. Greg. Nazianz. Orat. funebri ſororis Gorgoniæ. Ambroſ. 3. de Spiritu S. cap. 2. Auguſt. epiſt. 120. & in Pſal. *98.* Porro hæc omnia manifeſtant, Patribus omnium ætatum ante Berengarii tempora perſuaſum fuiſſe, in Euchariſtia Chriſtum vere, realiter, & ſubſtantialiter reſidere.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Euchariſtiæ Sacramentum eſt ceteris omnibus excellentius.*
II. *In quo ratio Sacramenti in Euchariſtia collocetur.*
III. *Euchariſtiæ Sacramentum unum eſt quoad ſpeciem.*
IV. *Totum Sacramentum in qualibet ſpecie ſeorſum integrum habetur.*
V. *Chriſtus eſt præſens in Euchariſtia per tranſubſtantiationem.*
VI. *Et quidem quoad ſubſtantiam, & accidentia.*
VII. *Eſt totus in toto, & totus in qualibet parte modo ineffabili.*
VIII. *Perſeverat, quandiu ſpecies durant.*
IX. *Num videri poſſit oculo corporeo ſaltem glorificato.*
X. *Debetur Chriſto in Euchariſtia adoratio, & licitæ ſunt ejus expoſitio, circumgeſtatio, & feſtiva ſolemnitas.*

Conſectarium Primum.

I. EUchariſtiæ Sacramentum eſt ceteris omnibus ſimpliciter excellentius. Hujus doctrinæ veritatem attigimus in prima P. de Sacram. in gen. cap. 1. num. 10. adducto Sancti Thomæ teſtimonio, & hic ratione argumenti confirmamus ex Synodo Tridentina in ſeſſ. *13.* cap. 3. quæ inſcribitur *De excellentia SS. Euchariſtiæ ſuper cetera Sacramenta*, quæ & cap. 2. animadverterat, Chriſtum Dominum divini divitias amoris ſui in hoc Sacramento (quod propterea divinum, ac mirabile, Sacroſanctum, atque Sanctiſſimum vocatur) veluti effudiſſe. Ob quæ Concilii elogia Suarez diſq. *39.* in 3. p. ſect. 2. propoſitionem noſtram ad fidem pertinere non ambigit. Potiſſima ejuſdem ratio a prælaudata Synodo, & D. Thom. hic quæſt. *65.* art. 3. in re, quam Euchariſtia continet, conſtituitur. Nam cum reliqua Sacramenta ſolum vim quandam inſtrumentariam ſanctificandi a Chriſto participent, hæc ipſum gratiæ fontem, & ſanctitatis Auctorem realiter in ſe claudit, præſentemque ſignificat. Addit Sanctus Auguſtinus, alia Sacramenta ad Euchariſtiam veluti ad finem ordinari, & aliorum initiationes Sacramentorum Euchariſtiæ acceſſoria veluti ſigilli appoſitione obfirmari; unde baptizati nunc adulti, olim etiam infantes, & ordinati, mox communicant. Præterea omnia Sacramenta eo tendunt, ut nos Chriſto conjungant, & alia quidem per affectum conjungunt, dum gratiam, & caritatem infundunt; at Euchariſtia jungit etiam realiter. Sicut ergo finis eis, quæ ſunt ad finem, longe præcellit; ita Euchariſtiam novæ Legis Sacramentis præſtare credendum eſt: & propterea *Sacramentum Sacramentorum* a Dionyſio cap. 3. de Cæleſti Hierarchia appellatur.

Conſectarium Secundum.

II. Tota ratio Sacramenti Euchariſtiæ proprie dicti per ſe, atque directe conſtat in ſpeciebus panis, & vini, non tamen abſolute ſumptis, ſed prout conſecrationis virtute Corpus, & Sanguinem Chriſti implicant, & repræſentant; adeo ut iſtorum realis præſentia oblique ab eis connotari non deſinat. Ad hujus propoſitionis intelligentiam revocanda eſt in memoriam doctrina illa Theologorum, qua in unoquoque Sacramento hæc tria diſtinguunt, rem ſcilicet, Sacramentum, ac rem & Sacramentum ſimul. Nomine rei intelligunt id, quod in Sacramentis ſignificatur, at non ſignificat, nimirum gratiam. Nomine Sacramenti id, quod ſignificat quidem, at non ſignificatur. Denique per rem, & Sacramentum ſimul, & rem ſignificatam, & quod ſignificat. Hac igitur poſita doctrina, dicimus Sacramentum, ideſt ſignum ſignificans, & non ſignificatum, conſiſtere in ſpeciebus panis, & vini, connotantibus tamen in obliquo Corpus, & Sanguinem Chriſti, quod ſic probatur. 1. Ex modo loquendi Eccleſiæ, & SS. Patrum: nam Concilium Trident. ſæpiſſime affatur, Corpus & Sanguinem Chriſti contineri, & exiſtere in Sacramento Euchariſtiæ. Legatur ſeſſ. 13. can. 1. cap. 1. & 3. nunquam vero rem ſic contentam Sacramentum, aut partem Sacramenti appellavit. Ergo cum in Sacramento Euchariſtiæ non ſint niſi Corpus Chriſti, & ſpecies, ſi illud in Sacramento continetur, Sacramentum non eſt; alioquin Sacramentum in Sacramento contineretur, quo profecto nihil ineptius dici poteſt. Sacramentum igitur in ipſis ſpeciebus panis, & vini conſiſtit. Similiter Veteres Euchariſtiam identidem appellant *Sacramentum Corporis Chriſti*, atque *ſignum illius*. Ergo confundi non debet ſignum cum re, quam ſignificare tantum, & continere intelligitur: ſignum autem conſtituunt ſpecies; res ſignificata eſt Corpus Chriſti: ergo in illis tota ratio Sacramenti reperitur. 2. Oſtenditur auctoritate. Sanctus Auguſtinus in Chriſti Corpore, & Sanguine virtutem quidem Euchariſtiæ cognovit, non Sacramenti rationem, dicens Tract. *26.* in Joan. „ Et nos accipimus inviſibilem cibum; ſed a„ liud eſt *Sacramentum*, aliud *Virtus* Sacramen„ ti". Eandem veritatem confirmat & Proſa, quam Eccleſia canit in Feſto Corporis Chriſti, ubi dicitur: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur*, ubi fractio tribuitur quidem Sacramento, ſed negatur Corpori Chriſti: quod autem frangitur ſunt ſpecies; ergo in iſtis tota Sacramenti ratio conſiſtit. D. Thom. hic q. 73. a. 1. ad 2. dicit: „ Sicut ſe habet virtus Spiritus S. „ ad aquam Baptiſmi; ita ſe habet Corpus Chri„ ſti verum ad ſpecies panis, & vini". Porro ſicut in Baptiſmo quod conſtituit rationem Sacramenti eſt ipſa exterior ablutio; virtus vero Spiritus S. eſt quid conſequens ipſum Sacramentum, ſive

ſive ſacram ablutionem; ita in Euchariſtia ſpecies panis, & vini ſignum conſtituunt Corporis, & Sanguinis Chriſti præſentis; hæc autem ſunt, quæ per illas ſpecies ſignificantur. 3. Probatur ratione. Quod in Sacramentis N. L. res & Sacramentum ſimul a Theologis dicitur, non poteſt, ſub eadem ratione ſpectatum, eſſe id, quod Sacramentum tantum nominatur. Porro Corpus & Sanguis Chriſti in Euchariſtia, teſte Innoc. III. cap. *Marthæ* de celebr. Miſſarum, & Theologis omnibus conſentientibus, ſunt *res ſimul & Sacramentum*: nam in ea continentur, ut cibus, & potus animam ſpiritualiter reficientia, & ideo a ſpeciebus panis, & vini adumbrantur; & ſimul gratiam ſanctificantem impertiendam ſignificant. Ergo id, quod eſt ſolum Sacramentum, conſtituere non poſſunt; quod proinde non præſtant niſi ipſæ ſpecies panis, & vini. Hinc merito Algerus, qui contra Berengarium de Euchariſtia diligentiſſime ſcripſit, ac Patrum doctrinam collegit, & teſtimonia, lib. 1. cap. 5. nobiſcum ſentiens ajebat: *Panis, & vini immanentes, & viſibiles qualitates Sacramentum tantummodo vere dici; ſubſtantiam autem illam inviſibilem, quæ in ipſo Sacramento operta eſt, vere & proprie dici Corpus Chriſti*. Diximus tamen ſpecies præfatas eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, non abſolute, & in ſe ſpectatas, ſed quatenus ex obliquo Chriſti Corpus, & Sanguinem connotant. Nam cum præfatæ ſpecies ſignum ſint ſpiritualis nutritionis animæ, hæc profecto non habetur in Sacramento, niſi quatenus in ipſo Chriſtus gratiæ, & ſpiritualis nutritionis Auctor continetur. Sed de his fuſius agere Scholaſticis Theologis relinquimus; ſolum addimus, eam fore accuratam Euchariſtiæ definitionem, qua diceretur, *Sacramentum Euchariſtiæ eſſe ſpecies panis, & vini conſecratas, & Chriſti Corpus, & ſanguinem continentes, ad ſpiritualem ſumentium nutritionem*.

Conſectarium Tertium.

III. Euchariſtiæ Sacramentum, licet in diverſis panis, & vini ſpeciebus reperiatur inſtitutum, eſt unum quoad ſpeciem, etiam quam vocant infimam, & atomam Sacramentum. Huic doctrinæ aſſentiuntur modo omnes Theologi contra pauciores antiquos, qui dicebant, in ſpeciebus panis, & vini diverſa ſpecifice Sacramenta exhiberi, quæ ad unum ſolum generica ſimilitudine, aut aggregatione, aut alio modo revocantur. Sic vero oſtenditur noſtra propoſitio. Catechiſmus Romanus de Euchariſtia n. 10. aperte dicit: *Licet duo ſint elementa, panis ſcilicet & vinum, ex quibus integrum Eccleſiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, ſed unum tantum eſſe, Eccleſiæ auctoritate edocti, confitemur*. Similiter unum eſſentialiter Sacramentum in tota Euchariſtia reperiri indicant verba Apoſtoli Pauli 1. ad Corinth. dicentis: *Unus panis, & unum corpus multi ſumus, qui de uno pane, & de uno calice participamus*. Gelaſius quoque Papa Manichæos ab Euchariſtico vino abhorrentes, ſic inſectatur apud Grat. de conſecrat. diſt. 2. cap. 10. *Aut integra illa Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius, ejuſdemque Myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire*. Septenarius quoque Sacramentorum numerus tot Eccleſiæ Conciliis definitus unum eſſe Sacramentum Euchariſtiæ oſtendit. Evincit denique ipſa ratio, & naturalis analogia. Sicut enim corporalis refectionis non inducit multiplicitatem, ſed potius integritatem affert tibi, potuſque commixtio, nec multa ſunt, ſed unum convivium, in quo plura apponuntur fercula; ſic Sacramenti Euchariſtici unitatem non tollit, ſed potius plenitudinem explicat diverſarum ſpecierum panis, & vini conjunctio.

Conſectarium Quartum.

IV. Licet ex panis, & vini ſpeciebus unicum conſtetur Sacramentum; tota tamen ratio Sacramenti in eiſdem reperitur quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, licet ſeorſum ſumantur. Certa eſt hæc doctrina. Ex Tridentino Concilio docente ſeſſ. 21. cap. 3. *Inſuper declarat Sancta Synodus, quamvis Redemptor noſter in ſuprema illa Cœna hoc Sacramentum in duabus ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit, tamen fatendum eſt, etiam ſub altera tantum ſpecie totum, & integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi*. Ex quibus verbis luculenter doctrinæ noſtræ educitur confirmatio. Nam cum tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini totus Chriſtus contineatur, utralibet etiam alimentum ſpirituale, & gratiam nutrientem ex Chriſti ſubſtantia ſugendam repræſentet, & in ſui ſumptione ſuppeditet, proinde totam Euchariſtiæ ſervat eſſentiam. Neque obeſt ſpeciebus panis Corpus Chriſti, non Sanguinem, & ſpeciebus vini Sanguinem, & non Corpus expreſſe ſignificari. Nam 1. ob naturalem concomitantiam, & nexum, neque corpus ſine ſanguine, neque ſanguis ſine corpore ibi eſſe poſſunt. Deinde cum tam Corpus, quam Sanguis cum Verbo uniantur, eadem ad ſanctificandum, & reficiendum virtute ſunt præditi. Non etiam obeſt in alimento corporali diverſam eſſe cibi, potuſque efficaciam; nam illam explendæ fami, hæc ſiti ſedandæ deſervit, quæ ſunt diverſæ corporis affectiones, & indigentiæ. Etenim in rebus ſpiritualibus, quemadmodum fames & ſitis idem denotant animæ deſiderium, ſic non poſtulant diſtinctis extingui remediis. Unde Auguſtinus tract. 25. in Joan. ad ea cap. 6. verba: *Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet, & non ſitiet unquam*, ſic ait: *Quod dixit, non eſuriet, hoc intelligendum eſt, & non ſitiet unquam; utroque enim ſignificatur illa æterna ſatietas, ubi nulla eſt egeſtas*. Legitur & ad illa verba Pſal. 103. v. 15. *Panis cor hominis lætificat*.

Conſectarium Quintum.

V. Chriſtus eſt præſens in Euchariſtia per tranſubſtantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem ſuum. Hoc eſt dogma Catholicum adverſus Berengarium, Wiclephiſtas, & Lutheranos ab Eccleſia definitum. Nam in Concilio Romano VI. ſub Gregorio Papa VII. an. 1079. Berengarius hæreſim ſuam abjurare, & fidem Catholicam profiteri juſſus eſt verbis, quibus expreſſit *panem & vinum, quæ ponuntur in Altari, in veram, & propriam, & vivificatricem carnem, & ſanguinem J. C. ſubſtantialiter converti per verba conſecratio-*

tionis, & ita poſt conſecrationem eſſe verum Corpus, & Sanguinem Chriſti. Concil. Later. IV. cap. *Firmiter* inquit: *Credimus, ac confitemur, Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini exercite contineri, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate divina*. Conc. Conſtant. ſeſſ. 8. has duas Wiclephi propoſitiones damnavit ſub anathemate. Prima dicebat: *Subſtantia panis materialis, & ſubſtantia vini materialis manet in Sacramento Altaris*. 2. *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto*. Concil. Florent. in Decreto Armenorum docet: *Verborum Chriſti virtute, ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur*. Sed omnium clariſſime Trident. Synodus hoc dogma firmavit ſeſſ. 13. tum cap. 4. tum can. 2. ubi ait: *Si quis dixerit, in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini cum Corpore & Sanguine D. N. J. C., negaveritque mirabilem illam, & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini, quam proinde converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat; anathema ſit*. Nec aliter ſignificant verba Chriſti Domini, ſi metaphoris, tropiſque rejectis, in obvio ſenſu & proprio accipiantur, ut ſuperius vidimus eſſe accipienda; ſcilicet non manere panis, vinique ſubſtantiam ſub conſecratis ſymbolis, ſed in Chriſti corpus, ſanguinemque tranſiſſe: nam alias vera eſſe non poſſent: cum enim nomina demonſtrativa *hoc* eſt Corpus meum, *hic* eſt Sanguis meus, ſubſtantiam ſub ſpeciebus latentem deſignent, ſi hæc in verbis Chriſti adhuc panis, & vini naturam indigitarent, in apertam falſitatem deciderent, aſſerendo panem eſſe corpus, quod pro nobis traditum eſt, & vinum ſanguinem, qui pro peccatis noſtris effuſus eſt: ſola enim duarum ſubſtantiarum compræſentia non ſufficit, ut una de altera prædicetur. Et revera ita præfata verba ſemper intellexere Patres, qui licet tranſubſtantiationis nomine uſi non ſint, rem tamen ea voce indicatam perpetuo tradidere. Docuerunt ſiquidem *panem Euchariſticum non eſſe panem communem, ſed eſſe Chriſti corpus verum, naturale, natum ex Virgine, crucifixum, mortuum, ſuſcitatum &c. A Chriſto de pane corpus effectum: Panis, & vini ſubſtantiam Euchariſtica ſymbola poſt conſecrationem amittere, quamvis priſtinam ſenſibus* (quorum teſtimonio ſtandum non eſt) *ſpeciem exhibeant: Fieri in hoc Sacramento converſionem ei ſimilem, qua aquæ in nuptiis in Cana Galileæ in vinum mutatæ ſunt*: & illi, qua *panis, quo Chriſtus veſcebatur, in ejus propriam carnem tranſibat*. Hujuſmodi locutiones paſſim occurrunt in SS. Irenæo, Juſtino, Tertulliano, Cypriano, Cyrillo Hieroſolymitano, Ambroſio, Gregorio Nyſſeno, Hilario, Cyrillo Alexandr., Chryſoſtomo, Auguſtino &c. Et ut aliquod ſpecimen exhibeam (de hoc enim fuſius ad Polemicos Theologos agere ſpectat) audite S. Cyrillum Hieroſolym. Catech. 4. ſic loquentem: *Aquam Chriſtus aliquando mutavit in vinum, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in Sanguinem ſuum tranſmutavit? Hoc ſentiendum, & pro certo habendum, panem hunc, qui videtur a nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat*. S. Ambroſium lib. de initiandis c. 9. *Si tantum valuit ſermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? Et qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt novas rebus dare, quam mutare, naturas*. Eodem fere modo alii Patres loquuntur, quorum proinde conſtanti traditione tranſubſtantiationis fides innititur.

Conſectarium Sextum.

VI. Totus Chriſtus & quoad ſubſtantiam, & quoad accidentia etiam corporalia, & ab actuali ad locum reſpectu abſoluta, & independentia, immo & ipſa quantitas corporis quoad ſuum primarium effectum in Euchariſtia continetur. Et quidem Chriſti corporis, & animæ ſubſtantiam adeſſe in Sacramento fide Catholica certum eſt, quæ docet ſub qualibet Sacramenti ſpecie Chriſti corpus, & ſanguinem, Animam, & divinam Verbi naturam, atque Perſonam, proinde totam Chriſti ſubſtantiam vere, & realiter reperiri, prout Concil. Conſtan. ſeſſ. 45. Florentinum in Decreto pro Armenis, Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 3. declararunt: hoc ultimum vero can. 3. anathema in diſſentientes protulit, definiens: *Si quis negaverit, in Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit*. Quæ veritas & in Scripturis traditur, dicentibus Joan. 6. *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me: ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi*, ut ſignificaretur ipſummet Chriſtum integrum & totum, non ſolum ejus carnem in Euchariſtia comedi, & ſanguinem bibi. Confirmat & traditio Patrum, qui ſimiliter Chriſtum, ejuſque carnem vivam & vivificam, quæ in Cruce paſſa eſt, quæ in cælo ſublimata ſedet, integre a communicantibus, quos propterea S. Cyrillus Hieroſol. catech. 4. *chriſtophoros* vocat, accipi, & manducari. Accidentia quoque abſoluta adeſſe dubitare non ſinit communis Theologorum conſenſus. Et revera de humanitate Chriſti accidentia, quæ in ſe reſpectum ad definitum locum non implicant, adeoque intrinſeca, & abſoluta dicuntur, licet ſint mere corporalia, ut ſenſus, color, pulchritudo &c. non eſt, cur excludantur a Sacramento, in quo humanitas Chriſti, ejuſque corpus, & ſanguis, uno verbo, ejus tota ſubſtantia, quæ eſt illorum ſubjectum, & radix, vere, & realiter contineri non dubitatur: alioquin quomodo illud, quod eſt in cælo, Chriſti corpus, & quæ eſt illic humanitas, in Altari diceretur adeſſe, ſi iis, quos in cælo habet, facultatibus, & accidentibus denudata ponatur? Immo nec ipſa quantitas abſolute deeſt: nam accidentia corporea, quæ humanæ Chriſti ſubſtantiæ conveniunt, & exiſtere in Sacramento affirmantur, nonniſi mediante quantitate cohærent; &, ſi hæc ſubtrahitur, Corpus Chriſti in Euchariſtia ſenſuum organis, & vegetativis facultatibus deſtitutum, ulterius ſine ullo horum ordine concipere oportet, & monſtrum, non corpus humanum. Quod autem de quantitate dicimus, & de figura, quæ quantitatis eſt terminus, eſt intelligendum. Sed dixi quantitatem materialem Chriſti eſſe in Euchariſtia dumtaxat quoad ſuum effectum primarium,

rium, qui eſt ſubſtantiæ partes in ſe ipſis extendere, diſponere, & ordinare: nam effectum ejuſdem ſecundarium, qui eſt eaſdem partes impenetrabiliter extendere, locum aptum replendo, & occupando, fruſtra quæſieris, ut docet S. Thom. hic q. 75. art. 2. ad 3. ſcribens: „ Corpus Chri„ ſti non eſt eo modo in Sacramento, ſicut cor„ pus in loco, quod ſuis dimenſionibus loco com„ menſuratur. Unde dicimus, quod Corpus Chri„ ſti eſt in diverſis Altaribus, non ſicut in diver„ ſis locis, ſed ſicut in Sacramento; per quod „ non intelligimus, quod Chriſtus ſit ibi ſolum „ ſicut in ſigno, licet Sacramentum ſit in genere „ ſigni; ſed intelligimus Corpus Chriſti hic eſſe „ ſecundum modum proprium huic Sacramento “.

Conſectarium Septimum.

VII. Chriſtus in Sacramento Euchariſtiæ eſt totus in toto, & totus in qualibet parte, modo plane ineffabili. Sequitur hæc doctrina ex iis, quæ in præcedenti ſtatuimus conſectario, & certiſſima eſt ex Concilio Tridentino, eam ſeſſ. 13. his verbis confirmante can. 5. *Si quit negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit.* Quæ veritas uſque ad nos pervenit conſtanti univerſali traditione, quæ poſt conſecrationem eumdem panem, pluribus diſtribuendum frangere conſuevit, & de eodem calice omnibus adſtantibus bibendum porrigere, exemplo Chriſti Domini, qui de calice dixit, *accipite, & dividite inter vos*, cum tamen ſingulos id, quod omnes, accepiſſe Eccleſia nunquam dubitaverit, quæ propterea de Chriſti corpore canit, *Sumit unus, ſumunt mille, tantum iſti, quantum ille*, & quare? quia ut ſubdit in eadem Proſa, *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur.* Hic tamen animadvertendum, quod non ita definitum fuit a Tridentina Synodo, Chriſtum eſſe totum in toto & totum in qualibet parte ante ſpecierum diviſionem, ſicut affirmat facta partitione; communi tamen Theologorum conſenſione ita docetur contra Altiſiodorenſem: & merito, nam huic doctrinæ eandem Synodum faviſſe conſtat ex eadem ſeſſ. 13. cap. 3. dum generaliter præſcindendo a diviſione, vel continuitate ſpecierum enuntiat: *Totus, & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte, totus item ſub vini ſpecie, & ſub ejus partibus exiſtit.* Et aperte traditur a D. Th. hic q. 76. art. 3. ubi & argumentum, & ſimilitudinem Altiſiodorenſis refellit deſumptam ex ſpeculo, quod ante fractionem in omnibus ſuis partibus unicam rei objectæ reflectit imaginem, at poſt fractionem plures ex ſingulis partibus emicantes; ita in partibus quidem hoſtiæ diviſis multiplicari præſentiam Chriſti fatetur, at eam ipſis conjunctis totam ſingulis reſpondere nequaquam exiſtimat. Sic itaque ſcribit D. A. „ Manifeſtum „ eſt, quod totus Chriſtus eſt ſub qualibet parte „ ſpecierum panis, etiam hoſtia integra manente „ & non ſolum cum frangitur, ut quidam dicunt, „ ponentes exemplum de Imagine, quæ apparet „ in ſpeculo, quæ apparet una in ſpeculo integro, „ in ſpeculo autem fracto apparent ſingulæ in ſin„ gulis partibus: quod quidem non eſt omnino „ ſimile, quia multiplicatio hujuſmodi imaginum „ accidit in ſpeculo fracto propter diverſas refle„ xiones ad diverſas ſpeculi partes: hic autem non „ eſt niſi una conſecratio, propter quam Corpus „ Chriſti eſt in hoc Sacramento “. Et quamvis hunc oſtendi in loco modum Theologi pluribus ſimilitudinibus explicare conentur, puta ſubſtantiæ, quæ, ut inquit S. Thom. l. l. *tota eſt ſub qualibet parte dimenſionum, ſub quibus continetur*, vel animæ, tota eſt in toto corpore, & tota in qualibet parte, & Angeli, qui totus eſt, ubi operatur; tamen ſimilitudines, licet accommodæ ſint ad Chriſti præſentiam in Euchariſtia aliquo modo adumbrandam, non tamen adæquant. Nam & ratio ſubſtantiæ ſuæ quantitati, & ſuo corpori anima, ita præſentes ſunt, ut alteri ſimul adeſſe non poſſint; cum Chriſti Domini corporalis etiam ſubſtantia ita in una hoſtia tota claudatur, ut eodem tempore in aliis innumeris replicet, aut replicare valeat Sacramentalem præſentiam. Hinc noſtrates concludunt, hanc ipſam præſentiam nec ad *ubi* circumſcriptivum, nec ad *ubi* definitivum, quo pacto Angelus eſſe in loco dicitur, poſſe revocari, cum eſſe definitivi alicubi, expoſcat non eſſe alibi. Quamobrem merito ex ſupernaturalitate Myſterii, totque miraculis in eo occurrentibus, quæ fidem noſtram ſaluberrime exercent, ſed rationem humanam, & captum effugiunt, ſingularem hujus præſentiæ modum *Sacramentalem* appellare contenti, fatentur divinum eſſe, ac incomprehenſibilem, & ineffabilem.

Conſectarium Octavum.

VIII. Corpus Chriſti (idem dicendum de Sanguine) in Euchariſtia permanet, & perſeverat a fine conſecrationis, quoaduſque ſpecies Sacramentales deſtruuntur. Non defuere, qui exiſtimarunt, Corpus, & Sanguinem Chriſti, vel tantum triduo poſt conſecrationem ſub ſpeciebus perſeverare, vel ab ore indigne ſumentis, redeunte priſtina ſubſtantia panis & vini, recedere (quod ſpecialiter adverſatur Apoſtolo in 1. ad Corinth. indignam manducationem reprehendenti) aut deficere, quoties in locum immundum, aut in muris, alteriuſve beſtiæ os deciderent ſpecies. At iſtorum errores ſunt jam antiquati, & noſtræ veritas doctrinæ oſtenditur. Nam cum, ut inquit S. Paulus ad Rom. 11. *Dona Dei ſint ſine pœnitentia*, præſentia Chriſti, in quem ſubſtantia panis, & vini converſa fuit, conſervari debet ſub ſpeciebus conſecratis, quandiu permanſiſſet ſub iiſdem præfata ſubſtantia, quæ certe nonniſi ipſis diſſolutis, atque conſumptis defeciſſet. Confirmat D. Tho. hic q. 76. art. 6. ſcribens: „ Cum Chriſtus ha„ beat de ſe eſſe indeficiens, & incorruptibile, „ non deſinit eſſe ſub hoc Sacramento, neque per „ hoc quod ipſum deſinat eſſe, nec etiam per „ motum localem ſui, ſed ſolum per hoc, quod „ ſpecies hujus Sacramenti deſinunt eſſe “. Quandiu autem durent poſt ſumptionem ſacramentales ſpecies facilius eſt divinare, quam prudenter aſſerere. Nam juxta ſtomachi calorem, panis craſſitiem, & vini quantitatem, ſicut alii cibi, aliquando tardius, citius aliquando corrumpuntur.

Quod unice eſt attendendum, 1. ne ſpecies in ore reſolvantur, ſed in ſtomachum trajiciantur, ut vera habeatur manducatio. 2. Ut fideles communicantes, multoque magis Sacerdotes celebrantes ſaltem per quadrantem horæ ſe colligant, & ferventiori devotione Chriſtum ſibi præſentem adorent, diligant, rogent, & caritatis, ſpei, fiduciæ actus exerceant. Vituperanda proinde quam maxime illorum Sacerdotum conſuetudo, qui vix, ac ne vix quidem depoſitis ſacris veſtibus, vel cum ſerviente, vel cum aliis fabulantur, rixantur, conqueruntur, curioſa inquirunt, ſumptiſque communibus veſtibus, quas depoſuerant, ad negotia, converſationes, ludos ſe transferunt, non ſine adſtantium ſcandalo, & admiratione.

Conſectarium Nonum.

IX. Corpus Chriſti in Sacramento oculo corporeo videri non poteſt, niſi forte ſupernaturaliter illuſtrato, neque ab intellectu creato naturaliter cognoſci. Et quidem videri non poſſe oculo corporeo ſua vi, & virtute naturali manifeſte patet, quia ſublata extenſione locali, nequit corpus viſibilem ſui ſpeciem emittere; carere autem in Euchariſtia Corpus Chriſti locali extenſione jam ſuperius oſtendimus. Quamobrem licet plura occurrant SS. Patrum effata, carnem Chriſti videri, tangi, tractari in Euchariſtiæ Sacramento indicantia, ſunt de viſione indirecta, & per accidens, vel mediata, ideſt, per ſpecies Sacramentales exponenda. Num autem videri poſſit oculo ſupernaturaliter illuminato, inficiantur plures, etiam Thomiſtæ. At affirmanti ſententiæ favet S. D. hic art. 7. q. 76. ad 2. ſcribens: „ Oculus Chriſti videt ſe ipſum ſub Sacramento exiſtentem: „ non tamen poteſt videre ipſum modum eſſendi, „ quo eſt in Sacramento, quod pertinet ad ſolum „ intellectum ". Quibus verbis ſatis indicat A. P. poſſe divinitus aliis oculis tribui viſionem illam, quæ Chriſti oculis, licet miraculoſa, non denegatur ob ſingularem ejus dignitatem, cui ſuimet viſio in quocumque ſtatu convenire videtur. Ratio quoque confirmatur. Nam ideo Corpus Chriſti in Euchariſtia corporaliter videri non poteſt, quia in eo ſtatu defectu localis extenſionis nequit ad oculum intuentium ſuimet ſpeciem tranſmittere: nam hoc dempto, cum ſit verum corpus, quantum, & coloratum, eſt viſivæ facultatis objectum de ſe proportionatum; quodque proinde ad immittendam ſpeciem ſine locali extenſione divina poteſt virtute aptari, conditionis ad eam producendam naturaliter neceſſariæ ſupplente defectum; vel immediate a Deo ipſo præfata ſpecies, etiam ſine externi objecti concurſu, oculis imprimi poteſt; quemadmodum reſpectu D. Stephani Protomartyris, qui in terris poſitus Chriſtum in cælo exiſtentem cernebat, immenſæ diſtantiæ obſtaculum irritum effectum eſt. Non eſt igitur negandum, Chriſti in Sacramento exiſtentis intuitionem corporalibus oculis concedi poſſe. Modus autem eſſendi, quem Chriſtus habet in Euchariſtia, ſeu præſentia Sacramentalis, ut in citato textu monet Angelicus, extra ſphæram oculi eſt, & ſub viſione non cadit, quia in qualitate viſibili nequaquam exiſtit. Immo, ut ſecundo loco diximus, nec ab intellectu creato, ſuis viribus relicto, cognoſci poteſt; quippe quia ipſe modus eſt omnino ſupernaturalis, & miraculoſus, nec humanæ mentis cognitioni proportionatus, quæ a ſenſibus ortum ducit, qui neque cauſam, neque effectum, neque ullum externum indicium ei pateſaciunt, unde colligere queat, Chriſtum illic eſſe præſentem. Quare ſola fide, aut ſcientia infuſa, aut viſione beatifica ad tanti Myſterii notitiam creato intellectui aditus aperitur.

At inquies, quid eſt illud, quod videtur, quando ſpecies cernuntur forma carnis humanæ, vel ſanguinis, vel pueruli apparente, ut multoties divinitus ad veritatem Myſterii confirmandam contigiſſe hiſtorici narrant? Eſt ne tunc revera præſens Chriſti Domini humanitas in viſibili forma? Quæſtioni reſpondit D. Thom. hic q. 76. a. 8. animadvertens: „ Dupliciter fieri poſſe, ut vel caro, vel ſanguis, vel puer in hoſtia appareat: „ 1. quidem hoc contingit ea parte videntium, „ quorum oculi commutantur tali immutatione, „ ac ſi expreſſe viderent exterius carnem, vel ſanguinem, vel puerum, nulla tamen immutatione „ facta ex parte Sacramenti .... Nec hoc tamen „ pertinet ad aliquam deceptionem, ſicut accidit „ in Magorum præſtigiis: quia talis ſpecies divinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem „ figurandam, ad hoc ſcilicet quod manifeſtetur „ vere Corpus Chriſti eſſe ſub hoc Sacramento ... „ Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex „ parte Sacramenti, manifeſtum eſt, quod non „ deſinit Chriſtus eſſe ſub hoc Sacramento, tali „ apparitione facta. Quandoque vero contingit „ talis apparitio non per ſolam immutationem videntium, ſed ſpecie, quæ videtur, realiter exterius, exiſtente: & hoc quidem videtur eſſe, „ quando ſub tali ſpecie ab omnibus videtur, & „ non ad horam, ſed per longum tempus ita permanet: & in hoc caſu quidam dicunt, quod „ eſt propria ſpecies corporis Chriſti .... Sed „ hoc videtur eſſe inconveniens. Primo quidem, „ quia corpus Chriſti non poteſt videri in propria „ ſpecie, niſi in uno loco, in quo definitive continetur. Unde cum videatur in propria ſpecie, „ & adoretur in cælis, ſub propria ſpecie non videtur in hoc Sacramento. Secundo, quia corpus glorioſum, quod apparet, ut vult, poſt apparitionem, cum voluerit, diſparet; ſicut dicitur „ Lucæ ult. quod Dominus ex oculis Diſcipulorum evanuit. Hoc autem, quod ſub ſpecie carnis in hoc Sacramento apparet, diu permanet: „ quinimmo legitur quandoque eſſe incluſum, & „ multorum Epiſcoporum conſilio in pixide reſervatum: quod nefas eſt de Chriſto ſentire, ſecundum propriam ſpeciem. Et ideo dicendum „ eſt, quod manentibus dimenſionibus, quæ prius „ fuerant, fit miraculoſe quædam immutatio circa „ alia accidentia, puta figuram, & colorem, & „ alia hujuſmodi, ut videatur caro, vel ſanguis, „ aut etiam puer. Et, ſicut prius dictum eſt, „ hoc non eſt deceptio: quia fit in figuram cujuſdam veritatis, ſcilicet ad oſtendendum per „ hanc miraculoſam apparitionem, quod in Sacramento eſt vere Corpus, & Sanguis Chriſti ".

Con-

Conſectarium Decimum.

X. Chriſto Domino in Euchariſtiæ Sacramento præſenti pebetur adoratio latreutica, nec diſconveniunt religioſa aſſervatio, delatio, expoſitio, & circumgeſtatio. Utraque noſtræ propoſitionis pars a Concilio Tridentino definita eſt ſeſſ. 13. can. 6. ſtatuente: *Si quis dixerit, in S. Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum Unigenitum Dei filium non cultu latriæ, & externo, adorandum, atque adeo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus, ſecundum laudabilem, & univerſalem Eccleſiæ ritum, & conſuetudinem, ſolemniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idololatras; anathema ſit.* Et jure merito. Nam poſita vera, reali, & ſubſtantiali Chriſti Domini ſub ſpeciebus conſecratis, tum ante, tum in actuali uſu illarum, præſentia, fidei dogma eſt, & omnino certum, non minus latreuticam adorationem Chriſto ſic præſenti debitam eſſe, quam ipſum ad Patris dexteram in cælo ſedentem ea adoratione dignum eſſe ob hypoſtaticam Verbi cum humana natura, ejuſque partibus integrantibus unionem, inconcuſſum & certum eſt: idem enim eſt Deus, & homo tam in cælo, quam in Sacramento. Hoc quidem inficiantur Lutherani, licet ſaltem in uſu Chriſti præſentiam realiter in Euchariſtia confiteantur, & agnoſcant. Sed amabo, quare? Quia, inquiunt, Chriſtus ſe manducandum in Sacramento propoſuit, non adorandum, ubi nec adorari poteſt ſine idololatriæ periculo, quo honor Deo debitus, creaturæ, nempe panis, & vini ſpeciebus communis fiat. At hæc quam frivola ſint, & inepta, nemo eſt, qui non videat. Nam nec adoratio manducationem impedit, nec manducatio adorationem excludit, juxta illud Pſalmi: *Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ.* Immo una ab altera ſeparari non debet, quando illud, quod manducatur, ſimul adoratione dignum eſſe cognoſcitur. Neque majus idololatriæ periculum nobis Chriſtum in Euchariſtia venerantibus imminet, quam Magis ipſum faſciis involutum in præſepio adorantibus, ne loco ipſius faſcias, & panniculos colerent; præſertim cum ſubſtantiam panis, & vini a Sacramento excludamus. Quamobrem inſipide non minus, quam imperite Catholicis Artolatriam objicit Calvinus. Sed nihil magis prodit iſtarum oppoſitionum levitatem, quam contraria in Euchariſtia adoranda Eccleſiæ perpetua praxis, quæ ex Liturgiis, & Patrum tam Orientalium, quam Occidentalium teſtimoniis antiquiſſima, ſimulque nniverſalis deprehenditur. Legantur SS. Jo. Chryſoſt. hom. 18. ad Popul. Antiochenum, & lib. 6. de Sacerdotio cap. 4. & homil. 3. in epiſt. ad Epheſ. Ambroſius lib. 3. de Spiritu S. cap. 12. Auguſtinus epiſt. 120. de Gratia Novi Teſtam. & in Pſalm. 98.

Quoad religioſam vero in Eccleſiis aſſervationem, & ad abſentes, præſertim ægrotos & morti proximos delationem, Hæretici, qui eam vituperant, cum tota antiquitate pugnam inire coguntur. Nam ex S. Juſtino M. in Apologia 2. quid illa Martyrum ætate in Chriſti Eccleſia fieret, deſcribit: *Diſtributio, communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ actæ ſunt, cuique præſenti. Abſentibus vero per Diaconos mittitur.* Sunt etiam canones de Communione infirmis in vitæ diſcrimen adductis præbenda; cujus diſciplinæ teſtis eſt Dionyſius Alex. qui III. ſeculo floruit in Epiſt. ad Fabium Antiochenum, quam Euſebius Cæſarienſis lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 44. deſcribit. Quomodo autem in promptu eſſe poterat Euchariſtia, ut ad infirmos maxime repentino morbo correptos, atque periclitantes deportaretur, niſi in aliquo ſacro loco ad hunc uſum jugiter ſervata fuiſſet? De hac praxi dubitare non ſinit S. Jo. Chryſoſt. qui in ſua ad Innoc. epiſt. conqueritur, milites ad ſe comprehendendum in Eccleſia ab Imperatore miſſos, Sanguinem in Calicibus aſſervatum pro Neophytorum communione, dum omnia ſusdeque miſcebant, effudiſſe. *Locum* (ſcribit) *in quo Sancta condita ſervabantur, ingreſſi ſunt milites, quorum aliquos ſcimus nullis initiatos myſteriis, & viderunt omnia, quæ intus erant, quin & ſanctiſſimus Chriſti Sanguis, ſicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum veſtes effuſus eſt.* Addendum, perſecutionum tempore & domi Euchariſtiam retinere fidelibus fuiſſe permiſſum, ut conſtat ex S. Cypriano in lib. de Lapſis; nec non in itinere a peregrinantibus ſecum pro firmo præſidio deferri, ut colligitur ex S. Ambroſio in Orat. Funebri pro Satyro fratre ſuo; & a Romanis Pontificibus ad remotos Epiſcopos in ſignum communionis, & pacis tranſmitti conſueviſſe, ut teſtis eſt S. Irenæus epiſt. ad Victorem Papam Eccleſiæ Lugdunenſis nomine ſcripta. Quanto ergo potius in Templis religioſe cuſtodiri oportebat, unde morituris viaticum quovis tempore ſuppeditari liceret? Nihil ergo in illa aſſervanda, & diſtribuenda facit Eccleſia, quod ab Apoſtolorum ævo factum non fuerit.

Quoad reliquos vero ritus circumgeſtationis in Proceſſionibus, publicæ adorationis extra Sacrificium, ſicut & Feſtivitatis ipſius, fatemur illos non tantæ eſſe vetuſtatis, nec primis ſeculis uſurpatos. Nam Sacramenti circumgeſtatio ſolum poſt Urbani IV. qui feſtivitatem Corporis Chriſti anno 1264. inſtituit, cœpiſſe videtur, ſed ante Martinum V. qui in Bulla incipiente *Ineffabile Sacramentum* hujus moris mentionem facit. Urbanus ſiquidem peculiares indulgentias in ſua Bulla *Tranſiturus* iis concedens, qui horis canonicis in ea ſolemnitate intereſſent, nec verbum habet de Proceſſionibus cum geſtatione Sacramenti occaſione ejuſdem Feſti faciendis, quorum nullum quoque in Scriptoribus Urbano ſuperioribus occurrit indicium. Habuiſſe vero initium illæ creduntur in Italia ſub principium ſeculi XIV. centum & decem circiter annis ante Concilium Conſtantienſe, ut ex Donati Boſii Mediolanenſis hiſtoria colligit Expencæus. Quod tamen intelligendum eſt de annua, quæ feria V. poſt Octavam Pentecoſtes celebratur, cum Chriſti Corpore ſupplicatione. Nam alioquin in Galliis, & Hiſpaniis jam ſeculo ſexto morem viguiſſe, ut in ſolemnitatibus Martyrum, una cum Sanctorum Reliquiis, Dominici Corporis Myſteria pompa quadam ad Eccleſias deferrentur, laudatus Expencæus ex iis, quæ leguntur in Gregorio Turonenſi lib. 1. de gloria Martyrum cap. 86. & in can. 5. tertiæ Synodi Bracarenſis, erudite conjectat. Verum, ſicut peculiaris Corporis Chriſti feſtiva celebritas, licet tandiu ab

Ec-

Eccleſia præterhabita, nihilominus pie, & religioſe noſcitur inſtituta ſeculo XIII. ob eas cauſas, quas Urbanus IV. in ſua Conſtitut. recenſet, ut tantum in Euchariſtici Sacramenti elargitione divinitus Chriſtianis collatum beneficium ſpeciali quadam grati animi ſignificatione recoleretur, & Myſterii fides, & exiſtentia contra recentium hæreticorum in eo obſcurando, & deprimendo infamam perfidiam, altius mentibus infigeretur; ut quotidiani in eo tractando defectus, & irreverentiæ ſtata die devota obſervatione reſarcirentur; ita circumgeſtationes, & inde exortæ expoſitiones ejuſdem Sacramenti, licet ſerius introductæ, nihil continent alienum ab antiqua Eccleſiæ erga illum pietate; nihil, quod ejus dignitatem excedat, aut lædat; nihil, quod ad fidelium ſpiritualem utilitatem non conferat, ſi eo modo, & in ea circumſtantiarum gravitate fiant, quæ legibus Eccleſiaſticis, vel ſaltem laudabili conſuetudine præſcribuntur: neque enim temere, & ſine gravibus cauſis, & abſque Epiſcoporum expreſſa, vel tacita approbatione, neque cum decentis apparatus neglectu eas facere licitum eſt, ut alibi fortaſſe dicemus.

CAPUT TERTIUM.

De Sacramenti Euchariſtiæ idonea materia.

DOCTRINA.

I. *Panis, & vinum ſunt ſola legitima Euchariſtiæ materia.*
II. *Panis eſſe debet triticeus, & vinum vitigineum.*
III. *Qualis eſſe debeat panis, ut ſit idonea materia.*
IV. *Panis tam azymus, quam fermentatus, eſt idonea materia.*
V. *Non licet Græcis in fermentato, nec Latinis in azymo celebrare.*
VI. *Vino ad Euchariſtiam delecto miſcenda eſt aqua.*
VII. *Quæ mixtio eſt Eccleſiaſtico præcepto impoſita.*
VIII. *Quantitas materiæ conſecrandæ non eſt in ſe determinata.*

I. PAnis, & Vinum neceſſariam, integram, atque ſolam materiam ad Euchariſtiæ Sacramentum conficiendum conſtituunt. Certa eſt hæc propoſitio ad fidem Catholicam pertinens, cujus veritatem oſtendunt & divinæ Scripturæ, & Patrem traditio. Scriptura quidem Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. ad Corinth. 11. Euchariſtiæ inſtitutionem, atque legem patefacit, dicens Matth. 26. *Cœnantibus eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meum. Et accipiens Calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: accipite, & bibite ex hoc omnes: hic eſt enim Sanguis meus.* Porro liquorem in calice conſecratum manifeſtant ſequentia Chriſti verba: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum.* Cum vero Chriſtus, quæ in Euchariſtiæ inſtitutione ad illam primo conficiendam adhibuit, Apoſtolis quoque, & Eccleſiæ perpetuo ſervanda præſcripſerit, dicens, teſte S. Paulo in laud. ad Corinth. epiſt. poſt panis conſecrationem, *Hoc facite in meam commemorationem*, & poſt conſecrationem vini, *Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem*: & tandem de utriuſque celebratione, *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*; perſpicuum redditur, non alias ad idem myſterium peragendum idoneas Inſtitutoris voluntate effectas materias. Traditio quoque Eccleſiæ de hac veritate elucet & ex perpetua ejus praxi, & ex SS. Patrum dictis, & ex Conciliorum definitionibus, & præſertim Florentini in Decreto §. *Tertium*, & Tridentini ſeſſ. 13. cap. 4.

II. Solus panis triticeus, & ſolum vinum vitigineum eſt idonea Euchariſtiæ conficiendæ materia. Non defuerunt Theologi, qui putarunt ex qualibet frumenti ſpecie, ſive ſpicarum granis confectum panem aptam eſſe hujus Sacramenti materiam. Immo non defuere inter Lutheranos, & Calviniſtas, qui licet a panis, & vini uſu in Euchariſtia celebranda ob Chriſti exemplum recedendum non eſſe ſine cauſa confiterentur; tamen his deficientibus, aliud eſculenti, & poculenti genus ſubrogari poſſe tanto fidentius admittebant, quod in Scripturæ, & hebraicæ linguæ phraſi nomine panis quemlibet cibum aliquando ſignificari invenirent. At omnium conſenſu Theologorum rejicitur opinio, & hæreticorum inſania deſpicitur, ac noſtra confirmatur doctrina. 1. Quia panis, ex quo Chriſtus Euchariſtiam confeciſſe legitur in Evangelio, triticeus fuiſſe ſolide ex eo præſumitur, quod panis ſimpliciter abſque ulla modificatione vocetur: ex communi enim conſuetudine, etiam in Scripturis obtinente, ſolus triticeus panis ea abſoluta denominatione donatur, utpote omnium optimus, & uſitatiſſimus. „ Alterius enim generis „ panes (inquit S. Thom. hic qu. 74. art. 4.) vi- „ dentur eſſe introducti in hujus panis defectum “: & ſemper cum aliquo epitheto panes appellantur. Sic Jo. 6. dicebat S. Andreas: *Eſt puer hic, qui habet quinque panes hordeaceos.* Quod vero Chriſtus triticeo pane ad Euchariſtiam nedum ipſemet uſus fuerit, ſed etiam tanquam neceſſaria materia immutabiliter utendum præceperit, Apoſtolica traditione, & Eccleſiæ Catholicæ auctoritate, ut animadvertit Catechiſmus Romanus n. 13. innoteſcit. Unde merito in Rubricis Miſſalis de defectibus diſerte pronuntiatur: *Si panis non eſt triticeus, Sacramentum non conficitur.* Quod vero de pane dicimus, & de vino eſt intelligendum; cum vinum vitigineum eſſe adhibendum conſtet quoque ex Chriſti inſtitutione, & exemplo, qui in Calice *genimen vitis* conſecraſſe, & propinaſſe Diſcipulis in Evangelio refertur, & Eccleſiæ traditione, & perpetua praxi, cui atteſtantur & Patres, & Concilia. Porro, dum præfata monumenta vinum nominant, illud intelligunt, quod ex uvis exprimitur; aliis enim liquoribus impropric, & per ſimilitudinem cum aliqua modificatione vini nomen accommodatur.

III. Panis debet eſſe ex farina triticea in maſſam coacta, & quidem per aquam naturalem, inſuper igne toſta confectus. Nam talis eſt panis, qui quotidiano uſui deſervit, & qualem Chriſtus adhibuiſſe præſumitur, & quem in Euchariſtia adhibendum Eccleſia præcipit. Similiter & vinum debet eſſe

eſſe ex uvis expreſſum, & ſane maturis, atque in ſtatu potabili, & quale in communi uſu adhibetur. Quamobrem olim fideles allatum ex domibus panem, & vinum Sacerdotibus offerebant, ut ex illis Sacramenti materiam deligerent. Et licet ſubſequentibus ſeculis Monachi præſertim exquiſita diligentia panem, & vinum pro Sacrificio pararent; hoc tamen non ad valorem, ſed ad reverentiam Sacramenti præſtabant. Cur autem Chriſtus panem, & vinum materiam conſtituerit Euchariſtiæ, congruam, & theologicam reddit rationem D. Thom. hic q. 74. art. 1. ſcribens: „ Primo quidem quantum ad uſum hujus Sacramenti, qui eſt manducatio. Sicut enim aqua aſſumitur in Sacramento Baptiſmi ad uſum ſpiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua: ita panis, & vinum, quibus communius homines reficiuntur, aſſumuntur in hoc Sacramento ad uſum ſpiritualis manducationis. Secundo quantum ad paſſionem Chriſti, in qua Sanguis eſt a corpore ſeparatus. Et ideo in hoc Sacramento, quod eſt memoriale Dominicæ paſſionis, ſeorſum ſumitur panis, ut Sacramentum corporis, & vinum, ut Sacramentum ſanguinis. Tertio quantum ad effectum conſideratum in unoquoque ſumentium, quia ut Ambroſius dicit . . . . *Hoc Sacramentum valet ad tuitionem animæ, & corporis. Et ideo Corpus Chriſti ſub ſpecie panis pro ſalute corporis, ſanguis vero ſub ſpecie vini pro ſalute animæ offertur.* Sicut dicitur Levit. 17. quod *anima carnis in ſanguine eſt.* Quarto quantum ad effectum reſpectu totius Eccleſiæ, quæ conſtituitur ex diverſis fidelibus, *ſicut panis conficitur ex diverſis granis, & vinum fluit ex diverſis uvis*, ut dicit Gloſſa “.

IV. Panis tam azymus, quam fermentatus, idonea eſt Euchariſtiæ materia. Et quidem de ſufficientia, & aptitudine panis fermentati ad Euchariſtiam conficiendam nulla eſt dubitatio; cum Occidentalis Eccleſia Orientalium morem fermentato utentium in Euchariſtia nunquam damnaverit. At de ſufficientia azymi litem Romanæ Eccleſiæ movent Græci ſchiſmatici, qui licet pluries convicti, & confutati ab Umberto Silvæ Candidæ in diſputatione cum Græcis inita, & inſerta Tom. XVIII. Biblioth. PP. & in Appendice Tom. II. Annalium Baronii, nec non a D. Anſelmo, Algero Leodienſi, Ruperto Abbate, aliiſque; immo licet in Concilio Florentino in litteris unionis confeſſi ſint, ſive in azymo, ſive in fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici; plerique tamen priſtinum errorem aut ex animo non abjecerunt, aut poſt breve intervallum revocarunt: nam adhuc ab azymi criminatione, & contemptu non ceſſat pertinaciſſima Gens, ut conſtat ex Hieremiæ Conſtantinopolitani prima ad Lutheranos reſponſione cap. 10. Verum contra illos ſic ſufficientia, & aptitudo ad Euchariſtiam conficiendam panis azymi oſtenditur: 1. Chriſti Domini exemplo, qui panem azymum conſecraſſe, ex temporis, quo Euchariſtiam inſtituit, circumſtantia, ſcilicet 1. die Azymorum, vel nocte ſubſequente quartamdecimam Lunam, quando fermentatum in domibus Judæorum reperire non erat, a Latinis invicte præſumitur. 2. Ex vetuſtiſſima, & immemorabili Eccleſiæ Romanæ, totiuſque Occidentis praxi Chriſti Corporis Sacramentum in azymo conficiendi, quæ ante Cerularii tempora ignota Orientalibus eſſe non poterat; nec tamen ab ullo inſigni Auctore reprehenſa invenitur. 3. Quia panis azymus vere, & ſimpliciter panis exiſtimandus eſt, ex farina triticea aquæ naturalis infuſione ſubjecta confectus, & ſimplici ignis calore coctus; panis quoque uſum habet, ut ſcilicet aliis cibis comes adhibeatur. Hinc etiam in Scriptura panis abſolute nominatur, ut patet ex Lucæ 24. ubi legitur de duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus, quibus in die Reſurrectionis Chriſtus apparuit ſub peregrini forma, *dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit* &c. panem certe azymum, quo ſolo hebdomada illa Azymorum Judæi veſci poterant. Confirmat & D. Thom. hic art. 4. ſcribens: „ Circa materiam hujus Sacramenti duo poſſunt conſiderari, ſcilicet quid ſit neceſſarium, & quid conveniens. Neceſſarium quidem eſt, ut ſit panis triticeus . . . . ſine quo non perficitur Sacramentum. Non eſt autem de neceſſitate Sacramenti, quod ſit azymus, vel fermentatus; quia in utroque confici poteſt “. Sicut itaque licet Orientali Eccleſiæ morem ſuum cuſtodire, fermentatum adhibendo; ita non eſt licitum Orientali Romanæ, & Occidentalis Eccleſiæ conſuetudinem vel arguere, vel reprobare. Quamobrem æquiſſime inquiebat Leo IX. in epiſt. ad Michaelem Cerularium: *Ecce in hac parte Romana Eccleſia quanto diſcretior, & clementior vobis eſt? cum enim intra, & extra Romam plurima Græcorum reperiantur Monaſteria, & Eccleſiæ, nullus eorum adhuc perturbatur, aut prohibetur a paterna traditione, ſeu ſua conſuetudine, quin potius ſuadetur, & admonetur eam obſervare*

V. Ob laudatam itaque in utraque Eccleſia variam conſuetudinem, non licet Græcis in azymo, nec Latinis in fermentato celebrare; ſed quilibet Sacerdos ſuæ Eccleſiæ ritum ſervare debet. Ita ſiquidem ſancitum eſt in Florentino Concilio in Decreto unionis, communi Græcorum, & Latinorum conſenſione: *Sacerdotes in altero* (ſcilicet azymo, vel fermentato) *ipſum Domini Corpus conficere debent, unuſquiſque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem.* Sed & ante Florentini Decretum tum Latinis Sacerdotibus in fermentato, tum Græcis in azymo conſecrare illicitum erat. Et quoad Latinos manifeſtior evaſerat res ob Decretalem Honorii Papæ cap. *Literas* Extra. de celeb. Miſſ. qua Presbyter Eccleſiæ S. Birgittæ Brixienſis, qui, cum calicem, & hoſtiam non haberet, in pane fermentato, & ſcypho ligneo Miſſarum ſolemnia celebrare præſumpſerat, perpetua privatione officii, & beneficii puniri jubetur. Græcos vero in azymo conficientes nonnulli ob imitationem melioris modi, in ſui gentilis ritus prævaricatione, excuſabant. At S. Thom. qui Florentinam Synodum tamdiu anteceſſit, abſque hæſitatione pronuntiavit hic art. 4. qu. 74. „ Sicut peccat Presbyter in Eccleſia Latinorum celebrans de pane fermentato; ita peccaret Presbyter Græcus in Eccleſia Græcorum celebrans de pane azymo, quaſi pervertens Eccleſiæ ſuæ ritum “. Qui ritus utriuſque Eccleſiæ, licet diſſimilis, ut animadvertit l. D. A., laudabilis eſt. Dicit enim B. Gregorius: *Romana Eccleſia offert azy-*

azymos panes, *propterea quod Dominus ſine ulla commixtione ſuſcepit carnem ; ſed Græcæ Eccleſiæ offerunt fermentatum pro eo quod Verbum Patris indutum eſt carne*; *ſicut fermentum miſcetur farinæ ; & ideo conveniens eſt*, *ut unuſquiſque ſervet ritum ſuæ Eccleſiæ in Sacramenti celebratione*. Addit tamen D. A. tria motiva, ob quæ conſuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior eſt, in eodem articulo legenda.

VI. Vino ad Euchariſtiam delecto miſcenda eſt aqua. Conſtat 1. exemplo Chriſti, qui Euchariſtiam inſtituens vinum conſecrandum aqua miſcuit: quod quidem licet non habeatur in Evangelio, „ tamen „ probabiliter (inquit S. Thom. hic art. *6.*) cre- „ ditur, ſecundum morem illius terræ. Unde & „ Proverb. *9.* 5. dicitur: *Bibite* vinum, quod mi- „ ſcui vobis “. Teſtantur & Patres conſtanti traditione. S. Irenæus lib. 14. cont. hæreſ. cap. 57. *Accipiens*, inquit, *panem*, *corpus ſuum illud fecit*, *& temperamentum calicis ſuum ſanguinem confirmavit*. S Cyprianus ad Cæcilium: *Invenimus Calicem mixtum fuiſſe*, *quem Dominus obtulit*. Liturgia S. Cyrilli : *Similiter & Calicem poſt cœnam miſcuit vino*, *& aqua*. S. Hieronym. in cap. 14. Marci: *Format Chriſtus ſanguinem ſuum in Calice vino*, *& aqua mixtis*. Idem Concilia teſtantur. Carthag. III. can. 24. Trull. can. 32. Florent. & Trident. locis mox indicandis. Confirmat perpetua Eccleſiæ praxis, de qua Veterum teſtimonia dubitare non ſinunt. S. Juſtinus M. in Apolog. 2. loquens de primorum fidelium conventibus, ſcribit: *Precibus factis*, *mutuis nos oſculis ſalutamus*. *Deinde & illi*, *qui fratribus præeſt*, *offertur panis*, *& poculum aquæ*, *& vini*, *quibus acceptis* &c. S. Irenæus lib. 5. cap. 2. *Quando ergo & factus panis*, *& mixtus Calix percipit verba Dei*, *fit Euchariſtia Corporis*, *& Sanguinis Domini*. S. Cyprianus ad Cæcilium totus eſt in hoc more firmando, quem & Carthag. Concil. III. can. 24. commendat, & jubet. Unde Concil. Trullanum adverſus Armenos, qui primi ab hac regula deſciviſſe accuſantur, vinum purum ſine aqua in ſacra Menſa offerentes can. 3. ſtatuit : *Si quis Epiſcopus*, *vel Presbyter*, *non ſecundum ordinem ab Apoſtolis traditum*, *facit*, *aquam vino immiſcens*, *ſic immaculatum offert Sacrificium*, *deponatur*, *imperfecte myſterium enuntians*, *&*, *quæ tradita ſunt*, *innovans*. Hujus autem mixtionis myſticas ſignificationes affert D. Thom. l. l. quas adoptarunt Concilia, Florent. in Decreto pro Armenis, & Trident. ſeſſ. 22. cap. 7. „ Quia hoc convenit (verba ſunt S. D.) „ repræſentationi Dominicæ paſſionis. Unde di- „ xit Alexander I. Papa : *Non debet in Calice* „ *Domini aut vinum ſolum*, *aut aqua ſola offer-* „ *ri*, *ſed utrumque permixtum*: *quia utrumque ex* „ *latere ejus in paſſione ſua profluxiſſe legitur*. 2. „ Quia hoc convenit ad ſignificandum effectum „ hujus Sacramenti, qui eſt unio populi chriſtiani „ ad Chriſtum: quia, ut Julius I. Papa dicit, *vi-* „ *demus in aqua populum intelligi*, *in vino vero* „ *oſtendi Sanguinem Chriſti*. *Ergo cum in Calice* „ *vino aqua miſcetur*, *Chriſto populus adunatur* „ &c. “.

VII. Hæc mixtio non eſt de neceſſitate Sacramenti, nec præcepti divini, ſed Eccleſiæ graviter obligantis. Et quidem aquæ mixtionem non eſſe de neceſſitate Sacramenti expreſſe docet, & probat S. Th. art. 7. „ quia materia Euchariſtiæ eſt ſolum „ vinum, non mixtum ex aqua, & vino “. Et S. Auguſtinus lib. 4. de Doct. Chriſt. cap. 21. refert: *Ad dominicam traditionem ſervandam*, *ut Calix vino mixtus offeratur*, *quia cum dicat Chriſtus*, Ego ſum vitis vera, *Sanguis Chriſti non eſt utique aqua*, *ſed vinum*. Immo nec eſt juris, ſive præcepti divini, ut putat Alenſis : quandoquidem neque in Scriptura, neque in traditione, legis de hac cæremonia divinitus latæ fundari poteſt aſſertio. Et de Scriptura quidem res clara eſt, quia, nec Chriſti Domini exemplum ſuperius adductum ex ea innoteſcit. Traditio vero prorſus contrarium, oſtendit, videlicet ex ſola Eccleſiaſtica, vel etiam, ſi lubet, Apoſtolica inſtitutione prædictum ritum manaſſe : ad hanc enim appellatum eſt, quoties de ejus neceſſitate a Patribus, & Conciliis mentio inducta fuit. *Calix Domini* (inquit Julius Papa I. a Gratiano in Decreto relatus) *juxta Canonum præcepta vino*, *& aqua permixtus debet offerri*. Similia apud eumdem dicit Alex. I. talis diſciplinæ Patres faciens Auctores. Honorius etiam III. cap. *Pernicioſus* eam revocat ad rationabilem conſuetudinem univerſalis Eccleſiæ. Concilium Florent. ad ipſam ſervandam Armenos ſollicitans Chriſti factum, ſignificationem myſticam, & totius orbis Chriſtiani praxim exhibet; ſed juris divini nullam affert obligationem. Denique Concil. Trid. dum eam *ab Eccleſia* omnibus Sacerdotibus præceptam monet, neque ampliorem allegat auctoritatem, divinam excludit, aut, ſe non cognoſcere profitetur. Nec movet exemplum Chriſti a D. Thom. & a nobis admiſſum. Non enim omnia, quæ Chriſtus in Euchariſtia inſtituenda ſervaſſe traditur, etiam lege ſervanda impoſuit; alioquin Chriſti inſtituta violaret Eccleſia, quæ non nocte, ſed die Euchariſtiam conſecrat: ſed ab Eccleſiæ judicio diſcendum eſt, quænam ita Chriſtus Dominus fecerit, ut neceſſario ab aliis fieri voluerit; quænam vero libere imitanda Eccleſiæ reliquerit. Eſſe autem aquæ mixtionem ex Eccleſiæ præcepto obligante patet & ex his, quæ mox dicimus, & ex Tridentini Decreto ſeſſ. 22. cap. 7. dicente : *Monet S. Synodus*, *præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus*, *ut aquam vino in Calice offerendo miſcerent*.

VIII. Quantitas materiæ conſecrandæ non eſt in ſe determinata, ſed a Sacerdote determinanda. Adverſantur huic doctrinæ nonnulli antiquiores Theologi, Alenſis, D. Bonav., Angelus, aliique: ſed omnium fere Theologorum gaudet approbatione, & ſic evincitur. 1. Chriſtus materiæ quantitatem non definivit; quia cum qualibet quantitate ſenſibili, ac præſente ſtare poteſt veritas formæ conſecratoriæ. 2. Cum numerus fidelium, qui Euchariſtiæ ſunt capaces, non ſit determinatus, ſed quolibet deſignato poſſit augeri; nec materiæ conſecrandæ certus terminus ſtatui poteſt. 3. Quia quælibet vel modiciſſima panis, & vini portio, dummodo ſenſu ſit perceptibilis, apta eſt, ut in ſubſtantiam Chriſti convertatur, atque ut ejus accidentia per modum cibi, & potus aſſumantur, atque deglutitione in ſtomachum trajiciantur. Hinc optime docet S. Thom. hic q. 74. art. 2. „ Quidam di- „ xerunt, quod Sacerdos non poſſet conſecrare „ immenſam quantitatem panis, aut vini, pu- „ ta totum panem, qui venditur in foro, aut to-

„ totum vinum, quod eſt in dolio. Sed hoc non „ videtur eſſe verum: quia in omnibus habentibus „ materiam ratio determinationis materiæ ſumitur „ ex ordine ad finem; ſicuti materia ferri eſt ferrum, ut ſit apta ſectioni. Finis autem hujus „ Sacramenti eſt uſus fidelium. Unde oportet quod „ quantitas materiæ hujus Sacramenti determinetur per comparationem ad uſum fidelium. Non „ poteſt autem eſſe, quod determinetur per comparationem ad uſum fidelium, qui nunc occurrunt; alioquin Sacerdos paucos Parochianos habens non poſſet conſecrare multas hoſtias. Unde relinquitur, quod materia hujus Sacramenti „ determinetur per comparationem ad uſum fidelium abſolute. Numerus autem fidelium eſt indeterminatus. Unde non poteſt dici, quod quantitas materiæ hujus Sacramenti ſit determinata „. Sequitur ergo verum eſſe, quod diximus, eſſe a Sacerdote determinandam ex ſua voluntate, & intentione. Quoniam pronomina demonſtrativa formæ conſecratoriæ, immo ipſamet actio conſecrativa, cum ſit operatio practica, ad certam determinatam materiam referuntur: neque enim aliquid vage, atque indefinite ſumptum demonſtrari valet, aut agenti efficacitati ſubeſſe. Porro materia conſecrabilis ex ſe non habet talem determinationem. Oportet igitur, ut ab intentione Sacerdotis, cui Sacramenti confectio divino munere incumbit, eam accipiat. Quamobrem ille, qui ex decem hoſtiis præſentibus, quatuor ſolas conſecrare ſibi in animo poneret abſque illarum deſignatione, vel ea ſibi ignotæ divinæ voluntati relicta, communi judicio nihil efficeret. Et ita ſtatuitur etiam in Rubricis Miſſalis, ubi dicitur: *Si quis habeat coram ſe undecim hoſtias, & intendat conſecrare ſolum decem, non determinans, quas decem intendat; in his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio* ſcilicet determinata. Hinc ſequitur oportere etiam, ut materia conſecrationis ſit ipſi Sacerdoti conſecranti moraliter præſens, ut forma conſecrationis denotari poſſit per verba illa *hoc*, vel *hic*. Unde docet S. Thom. in IV. Diſt. 11. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 1. „ Non tamen dico, „ quod poſſet conſecrare totum panem, qui eſt in „ Civitate ſimul, vel qui eſt in foro, quia forma „ pronomine demonſtrativo utens oſtendit, quod „ materia conſecranda eſſe debeat coram Sacerdote. Unde Sacerdos exiſtens in domo ſua non „ poteſt conſecrare panem, qui eſt in Altari; „ quod etiam non poteſt de toto pane, qui eſt in „ foro, neque de toto vino, qui eſt in cellario. „ Sed, quantacumque ſit quantitas panis, & vini, qui coram Sacerdote proponitur, credo, „ quod poſſit conſecrari ab ipſo „. Nec arbitreris D. Thom. ſibi eſſe contrarium, ut dum in Summa loc. mox cit. dixit, falſam eſſe opinionem illorum, qui dicunt, non poſſe conſecrari totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod eſt in dolio, hic in Sententiariis vero dixerit eſſe veram, illamque adprobaverit. Nam in priori loco D. A. loquitur de quantitate, quæ quantumvis ſit magna, immenſa, & in toto foro poſita, illam tamen dicit eſſe poſſe validam materiam conſecrationis; cum nulla ſit determinata a Chriſto, & ab Eccleſia quantitas materiæ conſecrandæ: in ſecundo autem loco loquitur de præſentia morali requiſita, ut verificetur pronomen *hoc*; & recte docet, immenſam quantitatem panis in foro propoſitam, non ratione quantitatis, ſed ex deficientia moralis præſentiæ, unde verum ſit pronomen *hoc*, non poſſe a Sacerdote conſecrari.

CAPUT QUARTUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quinam panis ſit inepta materia Euchariſtiæ.*
II. *Quænam mixtio panem ineptam materiam efficiat.*
III. IV. *Alii defectus, qui panem ineptum reddunt ad Euchariſtiam.*
V. *Non omnes liquores, licet vino affines, ſunt valida Euchariſtiæ materia.*
VI. *Nec Græcus Sacerdos in azymo, nec Latinus in fermentato Euchariſtiam conſecrare licite poſſunt.*
VII. *In aqua in Calice miſcenda nonnulla ſunt obſervanda.*
VIII. *Aqua in Calice cum vino mixta in Chriſti ſanguinem mutatur.*
IX. *Materia conſecranda eſt a Sacerdote determinanda, & illi præſens eſſe debet.*

Conſectarium Primum.

I. PAnis confectus ex oryza, avena, hordeo, farre, milio, ſpelta, panitio, & fortiori, ex radicibus herbarum, vel leguminibus, ut cicere, faba &c., vel ex fructibus arborum, ut ex amygdalis, glandibus, & caſtaneis, inepta eſt materia Euchariſtiæ Sacramento. Patet manifeſte, cum præfatis cibis nomen, proprietas, & natura panis minime conveniant, ut docet S. Thom. hic q. 74. a. 3. ad 2. ſcribens: „ Sacramenti materia „ non habet locum neque in hordeo, neque in „ ſpelta, neque etiam in farre, quod inter omnia „ eſt grano tritici ſimilius „. Solum dubium eſt de ſiligine proprie accepta, ſcilicet quæ non ſit frumentum perfectum, & in ſua ſpecie ſelectum, & purum; nam certum eſt panem ex tali frumento aptiſſimam eſſe, & decentiſſimam hujus Sacramenti materiam. Et hic errat P. Concina, dum ſcribit hic Diſſert. 1. cap. 2. n. 10. q. 7. S. Thom. ſiliginis nomine hujuſmodi triticum deſignaſſe, cum aperte loquatur de ſiligine, non quæ ex frumenti præſtantia denominatur, ſed de ea, in quam degenerat optimum frumentum in malis terris ſeminatum. Sic enim ſcribit: *Generans generat ſibi ſimile in ſpecie: fit tamen aliquando diſſimilitudo generantis ad genitum, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generantis. Et ideo ſi qua frumenta ſunt, quæ ex ſemine tritici generari poſſunt (ſicut ex grano tritici ſeminato in malis terris naſcitur ſiligo)* &c. Loquendo igitur de vera ſiligine, ſeu ſecala (vulgo ſegala) ideo putat D. Thom. panem ex ea confectum poſſe eſſe aptam Euchariſtiæ materiam, quia cenſet ſolum accidentaliter a vero frumento differre; & hoc ipſum ſubdubitanter, ſi ex frumento ipſo gigni poſſit: unde dixit, *ſi qua frumenta ſunt, quæ ex ſemine tritici generari poſſunt*: unde potius non in re, ſed in hypotheſi loquitur. At in praxi eſt a conſecratione rejiciendus panis ex illa con-

confectus, cum a multis alterius plane naturæ reputetur; & ex prava humi diſpoſitione degenerare ſoleant ſemina etiam in aliam prorſus ſpeciem, cum obſervatione deprehenſum ſit, avenam quoque ex tritico enaſci.

Conſectarium Secundum.

II. Non quælibet mixtio aliorum granorum cum frumenro ineptam reddit, panem inde confectum, materiam Euchariſtiæ. Hujus propoſitionis veritas ſequitur ex iis, quæ diximus & de Sacramentis in genere, & de aqua Baptiſmi, ubi oſtendimus, mixtionem, quæ principalioris ſubſtantiæ naturam non immutat, non officere, ne pro valida ſumatur materia: quod huic quoque materiæ aptandum eſt, ut præſtat D. Thom. hic art. 3. ad 3. ſcribens: „ Dicendum, quod modica permixtio non ſolvit ſpeciem: quia id, quod eſt modicum, quodammodo abſumitur a plurimo. Et ideo, ſi ſit modica permixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui eſt materia hujus Sacramenti. Si vero ſit magna permixtio (puta ex æquo, vel quaſi) talis permixtio ſpeciem mutat. Unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus Sacramenti ".

Conſectarium Tertium.

III. Cum panis debeat eſſe communis, & uſualis, ut diximus, ſequitur grana tritici ex confractis manu ſpicis excuſſa, qualia Lucæ 6. ab Apoſtolis per ſata tranſeuntibus, & eſurientibus edebantur, neque crudam farinæ maſſam, neque confectam ex amydo, ſeu amylo (ſic vocant ſuccum ex granis tritici in aqua diu maceratis, deinde compreſſis, & ad inſtar lactis coagulati, qui poſtea exſiccatus redigi poteſt in farinam, ex qua maſſa cogatur) poſſe valide conſecrari; licet pro cruda paſta Jo. Major, pro maſſa ex amydo comminuto Henriquez, & Macado opinentur, nonnullis aliis ſi non faventibus, at dubitantibus. In quorum confutatione ſupervacanee eos laborare cenſeo, qui ſpecificam diſtinctionem paſtæ crudæ a cocta, amyli contriti a farina communi probare conantur: ſatis enim ſuperque eſt animadvertere, neque paſtam crudam, neque amydum, panis uſualis loco, nomine, & exiſtimatione gaudere. Et de amydo ſcribit S. Thom. hic q. 74. art. 3. ad 4. „ Quia amylum eſt ex tritico corrupto, non videtur, quod panis ex eo confectus poſſit fieri Corpus Chriſti: quamvis quidam contrarium dicant ".

Conſectarium Quartum.

IV. Euchariſtiæ ſub forma panis apta materia non ſunt liba, placentæ, & ſimilia confecta ex farina triticea, mixta cum lacte, butyro, ovis, ſaccaro, oleo, melle, aliiſque liquoribus ab aqua naturali diverſis; niſi forte exigua horum quantitas ſinat veræ aquæ naturalis in formanda maſſa potiſſimas eſſe partes: quo pacto nec cinaberis modica admixtione, etiam ad colorem panis immutandum valente, prout etiam ex aqua croco tincta contingeret: quia in priori caſu magna permixtio, juxta doctrinam S. Thom. conſect. 1. datam, ſpeciem mutaret; in altero vero exigua mixtio ſpecificam diverſitatem, licet daret diverſum colorem, & ſaporem, non induceret. Quod ſi farina ſit ſubacta aqua marina, panis inde conſurgens eſt idonea materia Sacramenti, licet Lugo, & Diana contradicant; cum aqua marina ſit aqua vere naturalis, & in aliquibus locis dulci admiſcetur, quantum ſufficit ad ſaporem pani conciliandum. At non ita, ſi aqua roſacea vice naturalis adhibeatur, licet aliqui uſualis panis conditionem non lædi ſentiant hac inepta ratione, quia, inquiunt, aqua ad ſubſtantiam panis non pertinet, ſed poſtquam ad farinam in maſſam redigendam deſervierit, per coctionem abſumitur. Quæ ratio ſi valeret, quamvis lacte, vino, oleo, alioque extraneo liquore maſſa ſubigeretur, tantumdem eſſet; quod tamen negant hujus ſententiæ Patroni, quæ merito a gravioribus Theologis rejicitur, & præſertim a D. Thom. hic q. 74. art. 7. ad 2. ſcribente: „ Admixtio aquæ ad farinam eſt de neceſſitate hujus Sacramenti, utpote conſtituens ſubſtantiam panis; ſi farinæ admiſceatur aqua roſacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua, non poſſet ex eo confici Secramentum, quia non eſſet verus panis ". Et in Rubricis Miſſalis dicitur: *Si ſit confectum de aqua roſacea, aut alterius diſtillationis, dubium eſt, an conficiatur.* Non eſt quoque verus panis, & uſualis, idcirco Euchariſtiæ nullatenus utilis, paſta farinæ triticeæ aut aqua elixa, aut oleo, butirove frixa: perinde tamen eſt, ſive hujuſmodi aduſtio in clibano perficiatur, ſive ſub cineribus, ſive in vaſe æreo, aut fictili, ſive intra ferri ferveſacti laminas, quæ certe furno, aut clibano æquivalent. Quoad figuram vero panis in Euchariſtia adhibendi nulla eſt ex neceſſitate præſtituta. Olim panes a fidelibus oblati deligebantur cujuſcumque figuræ forent, qui poſt conſecrationem in particulas dividebantur nullius determinatæ figuræ. Rotundæ tamen figuræ adhibitos panes antiquiores Scriptores affirmant, quos inter & S. Epiphanius in Anchorat. n. 57. Apud Græcos figuræ quadratæ adhibetur panis, ad quam figuram etiam ſervatæ particulæ conformantur. In Eccleſia Occidentali jam a pluribus ſeculis mos obtinuit adhibendi panem in tenui, & rotunda figura conformatum, a quo more non eſt diſcedendum.

Conſectarium Quintum.

V. Non omnes liquores, etiam vino affines, ſunt idonea materia Euchariſtiæ. Declaratur hæc propoſitio enumeratione. Et 1. quidem uvæ ſuccus adhuc in racemis contentus non eſt idonea Sacramenti ſub ſpecie vini materia; quia talis ſuccus nec vinum eſt, nec quidpiam potabile, ſed potius cibi formam habet. Unde Concilium Bracarenſe IV. anni 675. quoſdam capite 2. damnat, qui uvas integras ad conſecrationem offerebant. Et Alex. III. in epiſt. ad Hiſpalenſem Archiepiſcopum, eorum in Dania Sacerdotum abuſum reprehendit, qui propter vini penuriam, ſiccas uvas aqua immerſas pro materia Calicis aſſumebant.

2. Nec ſuccus malorum granatorum, vel mororum apta eſt materia: quia, ut ſcribit S. Thom. hic qu. 74. artic. 5. ad 1. „ Illi liquores non dicuntur proprie vinum, ſed ſecundum quandam ſimi-

„ ſimilitudinem “. Quibus addendi liquores extracti ex pomis, pyris, cæraſis, multoque magis ex frumento, ex quo cerviſia conflatur, licet hæc in aliquibus Regionibus vini vices ſuppleat, & ferme communis ſit potus.

3. Neque omphacium, ſive agreſtam eſſe aptam materiam docet S. Thom. ib. ad 3. „ Agreſta eſt „ in via generationis, & ideo nondum habet ſpe„ ciem vini; & propter hoc de ea non poteſt con„ fici hoc Sacramentum “.

4. Acetum quoque repellit S. Thom., licet aliter ſentiat Alenſis, quia per corruptionem naturam vini amiſiſſe cenſetur, & ſupereſſe veluti ejus cadaver: immo nec potus uſualis habetur, & potius ad medicinam, quam ad levandam ſitim deſervit, & ob ſuam frigiditatem ſignificando effectui, qui eſt calor ſpiritualis, non eſt accommodum. Quare inquit S. Th. ad 2. „ Vinum fit „ acetum per corruptionem: unde non fit reditus „ de aceto in vinum .... & ideo ſicut de pane „ totaliter corrupto non poteſt confici hoc Sacra„ mentum, ita nec de aceto “. Sed hæc de vero, ac proprie dicto aceto accipiuntur: nam vinum acidum, ſive aceſcens, quod licet ad corruptionem vergere deprehendatur, tamen adhuc retinere vini ſpeciem non dubitatur, quamvis indecenter, & non ſine gravi peccato (ut dicitur in Rubricis Miſſalis) non tamen irrite conſecrationem reciperet. Quapropter ſubdit S. Thom. „ Po„ teſt autem confici de vino aceſcenti; ſicut & de „ pane, qui eſt in via ad corruptionem; licet pec„ cet conficiens, ut dictum eſt “.

5. Neque aqua ardens, ſive aqua vitæ adhiberi valide poteſt: quia ille liquor vehementiſſima calefactione ex vaporibus aduſti, & conſumpti vini per fiſtulam diſtillatus, nec ſubſtantia, nec officio, nec nomine vini, licet ex vino eductus, potitur. Sapa quoque, & a fortiori mulſum, ex muſto ad tertiam partem decocto, & contracto confectum, ſunt repellenda tanquam prorſus inepta; cum ſua denſitate, & decoctione eſculenta potius videantur: & certe ad potum inſtituta non ſunt, nec vinum uſuale, immo nec ſimpliciter vinum ab Ariſtotele 4. Meteor. cap. 9. & 10. exiſtimantur.

6. Communi Theologorum ſententia contra Raymundum, vinum ab offa panis abſorptum, quandiu ibi manet, valide conſecrari non poteſt; quia non habet modum ſtatumque potabilis: quamvis conſecrationem non amittant vini accidentia poſtea pani infuſa, quandiu ſenſiſibilem ſpeciem conſervant; quia plures ad conſecrationem acquirendam, quam ad retinendam conditiones deſiderantur.

7. Ob eamdem probabilitatis defectum, vinum congelatum nedum quoad externam ſuperficiem (ſic enim non omni fluiditate expoliatur) ſed & quoad intimas partes conſecrationi ineptum exiſtimatur: licet oppoſitum ſentiant cum Vaſquezio nonnulli Theologi, & recenter Franzoja, qui vinum congelatum valide uſurpari defendunt; quia & in illo ſtatu potus eſſe non deſinit, neque enim maſticatione, ſed liquefactione in ore facta ad ſtomachum permeat. Nam in eo ſtatu fluiditate, & potabilitate in ſe abſolute ſpoliatur. Et certe res eſt admodum dubia, adeoque ſufficit ad reddendam praxim omnino illicitam, præter irreverentiam gravem in uſu materiæ indecentis: quod non negaſſet Vaſquez, ſi cautelam Eccleſiæ conſideraſſet, quæ in Rubricis Miſſalis ſtatuit, ut in caſu, quo in hyeme ſanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis; & ſi id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liqueſiat.

8. Hinc nec probabilis eſt habenda illorum doctrina, qui docent, Vinum congelatum nec poſt liquefactionem aptam eſſe materiam conſecrationis; cum experientia compertum ſit, vini naturam congelatione nequaquam deſtrui.

9. E contra vero muſti, ideſt vini ex maturis uvis recenter expreſſi, valida eſt conſecratio, ut docet S. Th. ad 3. dicens: „ Muſtum autem jam „ habet ſpeciem vini: nam ejus dulcedo atteſta„ tur digeſtioni, quæ eſt completa a naturali ca„ lore ... ideo de muſto poteſt confici Sacramen„ tum “. Plerumque tamen ejus uſus illicitus eſt, & quidem graviter ob ejus nondum defæcati impuritatem, atque indecentiam, atque ab univerſali Eccleſia obſervatam, Conciliorum quoque Decretis firmatam deformitatem. Unde ob hanc cauſam Act. 10. Synodi Chalcedon. ab Edeſſenæ Urbis Presbyteris libello oblato accuſatus legitur illorum Epiſcopus Ibas, *dum memoria* (inquiunt) *fieret SS. Martyrum, non eſt datum vinum ad Sacrificium, niſi admodum exiguum, & vitioſum, ac lutuoſum, & quaſi eo tempore vindemiatum*. Quare ſubdit S. Th. „ Prohibetur etiam, ne mu„ ſtum ſtatim expreſſum de uva in Calice offera„ tur, quia hoc eſt indecens propter impuritatem. „ Poteſt tamen in neceſſitate fieri; dicitur enim „ ab eodem Julio Papa: *Si neceſſe fuerit, botrus* „ *in Calice comprimatur* “. Quod confirmant Rubricæ Miſſalis, in quibus dicitur: „ Si vinum „ fuerit muſtum de uvis tunc expreſſum, confici„ tur ſacramentum, ſed conficiens graviter pec„ cat “. Quando vero occurrat neceſſitas, quæ muſto uti permittat, inquirunt Theologi, & concedunt, ſi alias populus in die aliquo feſto ſacrificio carere deberet; & multo magis ſi plura occurrerent Feſta. Num autem hæc neceſſitas locum habeat etiam, quando infirmo Viaticum eſt miniſtrandum, concedit Jo. a S. Thom. ſed inficiantur Carmelitæ Salmanticenſes, eo quod Communionis, & Viatici præceptum non adſtringat, quoties Euchariſtia adminiſtranda ſine debita reverentia, ſervatiſque ſervandis confici nequeat. Neque paris momenti videtur ſingularis perſonæ utilitas, ac totius multitudinis beneficium. Et hanc opinionem confirmo. Addunt alii Theologi non ſolam neceſſitatem, ſed aliquando & populi devotionem concedere, ut in muſto celebretur, ut primitiæ vini Deo in Calice offerantur. At contra devotionem hanc inſurgit Franzoja, eumque appellat „ irreligioſam temeritatem, venerationi Sa„ crificii, & Eccleſiaſticæ Legi contrariam, pro„ inde a Sacerdotibus acriter reprehendendam, & „ reprobandam; cui ſi ex animo ignavo obſecun„ dent, a gravi culpa illos excuſari non poſſe ar„ bitratur “. Laudo ſtudium. At prudentia condiendum eſt, nec ita facile reprehendendæ aliquarum Eccleſiarum conſuetudines, licet ſingulares, & apparenter abſonæ. Et in hac re conſuetudo eſt in Bracarenſi principe Eccleſia, quæ adhuc obtinet, ut in Feſto Transfigurationis Sacerdos pro anni ubertate, & fructibus gratias acturus, ex botro in Calice expreſſo conſecrandum vinum

num eliciat. Hujus autem vetuſtas moris, traditio Majorum, populi Religio, myſticæ ſignificationis ſpecioſitas, ne annua illa, & ſingularis cæremonia culparetur, immo ut fortaſſis laudabiliter retineretur, Epiſcopis, & Doctoribus Luſitanis idonea ſuppeditarunt argumenta: quos profecto damnare non audeo.

10. Sicut nec Abyſſinorum, ſeu Æthiopum praxim reprobare auſim, licet a nonnullis rejectam, qui ex uvis paſſis, non tamen aridis, ſuperius aqua tant ſper madefactis, ut lenteſcant, deinde vel torculari, vel manu compreſſis, verum, & vitigineum vinum, expertiſque ſatis generoſum, deponunt. Et revera Lucius Ferrari in ſuppl. ad ſuam Biblioth. V. *Euchariſtia* decretum affert Congreg. S. Offic. 22. Julii 1706. in quo ſic legitur: *Sanctiſſimus, auditis votis Eminentiſſimorum, dixit licere, dummodo liquor extrahendus a zebibo, vel uvis paſſis, ex colore, odore, & guſtu dignoſcatur eſſe verum vinum.*

11. Validam ſimiliter materiam conſtituunt omnia vina vitiginea, cujuſcumque ſint Regionis, etiam remotiſſimæ, cujuſcumque ſint ſaporis, coloris, raritatis pretii, licet fortaſſe a vinis regionum noſtrarum ſpecie differre videantur; dummodo pro vero vino habeantur in illis regionibus, & ex vitibus ſint procreata.

12. At non ita, ſi ſint vel arte facta, vel cum aliis rebus commixta, cujuſmodi eſt mulſum, quod ex vino, & melle conficitur: item alio artificio coctum cum ſaccaro, aliorumque aromatum condimentis, quod Clarea, ſi ſit album, hypocras, ſi ſit rubrum, ab Hiſpanis vocatur; niſi modica ſit ingredientium mixtio, & leviſſima mixturæ decoctio: & in hoc quoque caſu admodum dubia Calicis conſecratio habenda; cum prudenter credi poſſit mixtione, & decoctione ſimplicis vini exuiſſe naturam, & in tertiam quandam ſpeciem degeneraſſe.

13. Ultimo denique loco Lora, quæ ex vinaceis aqua madefactis per modum 2. aut 3. potionis educitur, cum & teſte Plinio lib. 14. Cap. 10. vinum non ſit, ab Euchariſtiæ Sacramento repellitur, ut Alex. III. in Epiſt. ad Hiſpalenſem Archiepiſcopum, & Suffraganeos advertit, reprehendens Septentrionalium quorumdam Sacerdotum abuſus, qui fæces vini aqua merſas deficienti vino ſubſtituebant: excepto tamen caſu, quo in uvis leviter prima vice expreſſis adhuc tantum vitiginei liquoris ſuperfuiſſet, ut appoſita modica aqua verum Vinum ſecunda compreſſione poſſet educi; quod tamen adhuc ſine Sacramenti irreverentia adhiberi in praxi non poſſet. Ideo jure merito Bened. XIV. dum Bononienſem Eccleſiam regeret, Inſtitut. 77. illo in Sacrificio uti diſtricte prohibuit, licet doctrinam adprobet Paſſerini docentis: *Si tantum aquæ adhibeatur, quantum communiter, juxta morem patriæ, adhiberi ſolet ad hoc, ut melius decoquatur, vel conſervetur; nullum peccatum incurritur ex uſu talis vini in conſecratione . . . . Nam tale vinum eſt vinum commune, & uſuale Patriæ.* Conqueritur etiam Pontifex cum Chriſtiano Lupo, quod *frequenter meliora gulæ ad menſam profanam, Deo ad divina damus vina viliora; neque tamen quod pejus eſt, punimur, aut accuſamur.*

Conſectarium Sextum.

VI. Nec Sacerdos Latinus in loco Græcorum, nec Græcus in Latinorum regionibus poteſt Euchariſtiam juxta loci ritum conſecrare; ſed ſuæ Eccleſiæ ritum retinere debet, & ſervare. Ita definiere duo Pontifices etiam poſt Florentinum Concilium. Primus eſt S. Pius V. qui Conſtit. *Romani Pontificis* 13. Kal. Septembris anni 1566. ſtatuit: *Quibuſvis Presbyteris tam Græcis, quam Latinis virtute S. obedientiæ inhibemus, ne deinceps Presbyteri Græci, præcipue uxorati, latino more, & Latini græco ritu hujuſmodi licentiarum, aut facultatum, aut quovis alio prætextu Miſſas . . . celebrare præſumant.* Alter Bened. XIV. Conſtit. *Etſi Paſtoralis* §. 6. n. 10. Prædeceſſoris ſui, & Florentinæ Synodi legem inculcans, decernit: „ Diſtrictius „ inhibemus, etiam ſub pœnis perpetuæ ſuſpenſio„ nis a divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, „ & Latini Græco ritu ſub quovis licentiarum, & „ facultatum, Miſſas . . . Græci latino more, & „ Latini græco ritu celebrandi ab Apoſtolica Sede, „ aut Legato, ac etiam majori Pœnitentiario pro „ tempore exiſtenti, obtentarum *prætextu Miſſas ... „ celebrare præſumant* „. Præterea prohibet, ne Latinus Parochus Pyxidem in Ciborio cum particulis ſub ſpecie fermentati, pro communione Græcorum, nec Parochus Græcus ſub ſpecie azymi pro communione Latinorum *in quocumque Eccleſiæ ſuæ Altari retineat*; ſed unuſquiſque Sacerdos non niſi in ſuo, ſive Græco, ſive Latino ritu Euchariſtiam fidelibus porrigat. Interdicit etiam Laicis Latinis communionem ſub ſpecie fermentati a Presbyteris Græcis recipere. Græcis tamen permittit, ut, ubi propriam Parochiam non habeant, poſſint, ſi velint, in Latina Eccleſia ſub ſpecie azymi a Latinis Sacerdotibus communionem ſumere. Hæc autem pro Græcis in Italia degentibus ſtatuta ſunt. Ex quibus ſaluberrimis ſtatutis ſequitur

1. Falſas eſſe, & rejiciendas doctrinas Leandri, aſſerentis 1. poſſe Græcos inter Latinos verſantes, licet proprii ritus Eccleſiam habeant, uti, ſi velint, ſuæ Gentis ritu, at non teneri.

2. Peregrinantes vero, ſive Græcos, ſive Latinos, poſſe pro libito in azymo, vel fermentato celebrare, adducto proloquio illo, *ſi fueris Romæ, Romano vivito more; ſi fueris alibi, vivito, ſicut ibi*, non attendens Leander, illam Regulam ex dicto S. Auguſtini Epiſt. 128. ad Januar. deſumptam, reſpicere Leges, & conſuetudines, quæ a loco pendent, quibus ſubjici debent, qui in loco verſantur, dum neceſſitas ſervandi proprium ritum non locum, ſed perſonas afficit, quæ legibus Eccleſiæ ad perſeverandum in ſemel ſuſcepto ritu ac more propriæ Eccleſiæ, in quo per Baptiſmum, vel Ordinem conſtitutæ ſunt, adſtringuntur; proinde merito a Pontifice prohiberi ritus mutationem.

3. A vero aberrare Ledeſmam, aſſerentem teneri Sacerdotem Latinum per Græcorum loca tranſeuntem Græco ritu, vel Græcum per Latinorum regiones Latino more Euchariſtiam conſecrare; cum in præfata Conſtitutione Pontifex de Græcis loquatur inter Latinos degentibus, quos ſuos ritus adhuc ſervare debere declarat.

4. Vaſ-

4. Vaſquezius quoque, & Suarezius falluntur, dum cenſent, Sacerdotem Græcum perpetuo inter Latinos domicilium retinentem teneri ad celebrandum Latino ritu. Nam Pontifex jubet, ne ſine Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione audeat aliquis proprium ritum mutare.

5. Optime infert Verricellus, non licere Sacerdoti Latino uti fermentato in Eccleſiis Græcorum, nec Græco azymis in Eccleſiis Latinorum; licet vel populus diu ſacrificio Miſſæ privetur, vel ſit Viaticum Infirmo miniſtrandum: quia privata aliquorum utilitas bono univerſali Eccleſiæ præferenda non eſt. Porro Ordo Eccleſiæ poſtulat, ut unuſquiſque in ſuo ritu permaneat. Licebit tamen Sacerdoti Latino in Eccleſiis Græcorum, Romanæ Eccleſiæ communione gaudentium, celebrare in azymo pane, ſicut & Græco in Latinis Eccleſiis in fermentato; cum locus ſacrificii ſit utrique Eccleſiæ communis. Sunt, qui unico in caſu concedunt ritum licite mutari, nimirum ſi hæc mutatio ſit ad complementum ſacrificii neceſſaria; puta ſi Sacerdos Latinus poſt conſecrationem Calicis deprehendat panem antea conſecratum vel triticeum non eſſe, vel corruptum, nec alium azymum habere poſſit; tunc enim, inquiunt, poterit Sacrificium fermentato pane complere, cum integritas illius, utpote juris plane divini, Eccleſiaſtico præcepto præponenda ſit. Sed hunc rariſſimum caſum indicaſſe ſufficiat.

Conſectarium Septimum.

VII. In aqua in Calice miſcenda nonnullæ ſunt ſervandæ conditiones. Enumerantur, & explicantur. Prima conditio eſt, ut aqua ſit naturalis: ita enim Eccleſiæ praxis, ipſum nomen, & Doctorum omnium interpretatio declarat. Unde aqua roſacea, vel alia artificiali, etiam in neceſſitate, quæ vix contingere poſſe videtur, utentem a mortali nec benigniores Theologi excuſare audent: immo aliqui nec aqua calida utentem, licet hæc alteratio ejus ſubſtantiam non mutet; ſed excuſandus eſſet ab omni culpa, qui calidam aquam apponeret ad vini præpediendam congelationem, non tamen culpa vacaret, qui ad ſtudioſius conſulendum ſtomachi valetudini: & certe graviter peccaret, qui id faceret ex Græcorum moris affectatione, quippe qui Latinæ Eccleſiæ ritum immutare præſumeret. 2. Conditio, ut ſit modica, immo modiciſſima, ut loquitur Eug. IV. nam hanc poſtulat ſignificationis intentæ ſcopus; & quidem unam guttam ſatis viſibilem ad implendum præceptum ſufficere nemo dubitat: quia, ut inquit S. Th. in IV. Diſt. 11. q. 2. art. 1. quaſtiuncula 4. *quantumcumque apponatur parum, ſignificatio ſervatur*. Sed ad nimiam ſcrupuloſorum timiditatem corrigendam, ſi forte nimium aquæ ſe immiſiſſe ſuſpicentur, Tiburienſis Concilii, IX. Chriſti ſeculo celebrati, canonem 19. memorare juvabit, ubi dicitur: *Duæ ſint partes vini, quia major eſt majeſtas ſanguinis, quam fragilitas populi; tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ*. Cujus tamen Canonis non ille eſt ſenſus, tertiam liquoris partem in Calice conſecrando exiſtentis, ex aqua ſumendam eſſe; ſed hanc non debere tertia parte ejuſdem liquoris majorem eſſe, abuſu non ſemel intruſo, quem & Honorius III. Cap. *Perniciosus* de celebr. Miſſ. in nonnullis legitur reprehendiſſe per hæc verba: *Perniciosus abuſus, videlicet quod in majori quantitate de aqua ponatur in ſacrificio, quam de vino; cum ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ plus in ipſo de vino, quam de aqua ſit ponendum*. 3. Conditio. Admixtio aquæ fieri debet in Altari tempore Miſſæ; eſt enim cæremonia ſacra, myſticam habens ſignificationem in ordine ad Sacrificium Euchariſtiæ, cui populus aſſiſtit, inde ſpiritualiter erudiendus: quare non ſufficit eam in Veſtiario, aut Sacriſtia præmature anticipari, vel in Altari ante ſumptas ſacras veſtes. Eadem de cauſa præcipitur peragenda ab ipſo celebrante in Miſſis privatis, vel a Subdiacono ei deſerviente in ſolemnioribus, niſi forte ſacerdos cæcutiens ex indulto Miſſam celebret; tunc enim licebit per Miniſtrum apponere. 4. Conditio. In ritu Latino conſecrationi præmittenda eſt, ut omnes Miſſarum Ordines jubent, & uſus docet; immo ante Calicis oblationem, adeo ut gravis peccati juxta omnes auctores reus evaderet, qui illam apponere longius differret. In Ordine Prædicatorum antiquiſſimo more, & a nobilibus Eccleſiis hauſto, ſemperque conſervato (de quo videndus Cardinalis Bona de rebus Liturgicis) ante ipſum Miſſæ introitum, ſive confeſſionem executioni mandatur; quam adſcribentes ſpeciali ſolicitudini, qua conſulitur, ut abundantius, & certius tempus converſioni aquæ in vinum ſuppetat, puto a ſcopo veritatis aberrare: neque enim cæremoniæ Eccleſiaſticæ, eorumque modi a contentioſis ſcholæ opinionibus ortum duxerunt; & temeritate non vacat, majorem alicubi diligentiam circa ea, quæ in Sacrificio revera cavenda ſunt, quam in Romanis præſcriptam, deſiderare. Quod ſi oblationi Calicis ob oblivionem, inadvertentiam, aut alia de cauſa dicta cæremonia præmiſſa non fuerit, ita ſtatuit Miſſale Romanum, cap. de Defectibus: *Si celebrans ante Conſecrationem Calicis advertat non fuiſſe poſitam aquam, ſtatim ponat eam ... Si id advertat poſt Conſecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non eſt de neceſſitate Sacramenti*. Hoc idem docuit etiam S. Th. q. 83. a. 6. ad 4. ſcribens: *Si Sacerdos ante conſecrationem Sanguinis ... percipiat aquam non eſſe in Calice, debet ſtatim apponere. Si vero poſt conſecrationis verba perceperit, quod aqua deſit, debet nihilominus procedere; quia impoſitio aquæ non eſt de neceſſitate Sacramenti; debet tamen puniri ille, ex cujus negligentia hoc contigit, nullo autem modo debet aqua vino jam conſecrata miſceri*. Et hoc poſtremum quidem in Latino ritu: nam Græci poſt conſecrationem aliquid aquæ in vinum Euchariſticum infundunt, non tamen frigidæ, ut ante, ſed calidæ, immo ferventis. Quem ritum non improbat Romana Eccleſia; immo Bened. XIV. in ſuper. laud. Conſtit. *Etſi Paſtoralis* §. 4. n. 2. dicit: *Græco Italis permittitur facta conſecratione, antequam Sacerdos communicet, juxta ritum in Liturgia præſcriptum, aquam ferventem, ſeu tepidam in ſacrum Calicem infundere*.

Conſectarium Octavum.

VIII. Aquam in Calice appoſitam in Sanguinem Chriſti conſecratione converti, non eſt fidei dogma, at probabiliſſime tenendum, nec ſine temeri-

ritate negandum. Et quidem ad fidem hanc converſionem non pertinere, licet oppoſitum plures teneant, inter quos & Baronius ad annnum 1188. manifeſte patet. Nam Innoc. III. cap. *Cum Martha* de Celebr. Miſſ. ad Archiepiſcopum Lugdunenſem de hac quæſtione conſultus, ita reſpondit: *Super hoc autem opiniones apud Scholaſticos variantur; aliquibus enim videtur, quia cum de latere Chriſti duo præcipua fluxerint Sacramenta, redemptionis in Sanguine, & generationis in aqua, in illa duo vinum, & aqua, quæ conſecrantur in Calice, divina virtute mutantur. Alii vero tenent, quod aqua non tranſit in ſanguinem, ſed remanet prioribus vini accidentibus intermixta.* Porro Pontifex neutram ex his opinionibus erroris condemnat, aut veluti a fide Catholica alienam excludit; licet primam, ut mox videbimus, probabiliorem pronuntiet. Ab eo vero tempore, quo hoc Innoc. reſcriptum prodiit, a nullo Pontifice Maximo, neque ullo in Concilio latum invenitur de hac controverſia definitivum judicium. Affirmantem tamen ſententiam longe eſſe probabiliorem, & in SS. PP. dictis fundatam, hęc oſtendunt argumenta. 1. Ita SS. PP. de mixtione vini, & aquæ in Calice loquuntur, ut totum in Chriſti ſanguinem mutari non ambigant. Sic enim ſcribit S. Juſtin. M. Apolog. 2. *Ei, qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ, & vini, quibus acceptis ... Euchariſtiam, ſive gratiarum actionem prolixe exequitur .... non ut communem panem, neque ut communem potum ſumimus, ſed incarnati illius Jeſus, & ſanguinem eſſe edocti ſumus.* Sanctus Irenæus lib. 4. adv. hæreſ. cap. 57. *Chriſtus temperamentum Calicis ſuum ſanguinem confirmavit.* Sanctus Cyrillus epiſt. ad Cæcilium: *Calix Domini non eſt aqua ſolum, nec vinum ſolum, niſi utrumque miſceatur .... non poteſt vero nobis ignoſci, qui nunc a Domino inſtructi ſumus, ut Calicem Domini cum vino mixtum ſecundum quod Dominus obtulit, offeramur.* Sanctus Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 3. *Sermone Chriſti hoc conficitur Sacramentum, quia ſermo Chriſti creaturam mutat, & ſic ex pane fit Corpus Chriſti, & vinum cum aqua in Calice mixtum fit Sanguis conſecratione verbi cæleſtis.* Sanctus Hieronymus in cap. 4. Marci: *Format Sanguinem ſuum Chriſtus in Calice vino, & aqua mixtis.* In poſterioribus vero ſeculis expreſſius confirmata eſt veritas hujus doctrinæ a Scriptoribus, qui IX. & ſequentibus ſeculis floruere, cujuſmodi ſunt Paſchaſius Ratbertus in lib. de Corp. & Sang. Domini, Algerius Leodienſis, Ildebertus Cenomanenſis, quorum opera extant in Biblioth. PP. Tom. 15. 2. Suum pondus auctoritatis addidit & laud. Pontifex Innocent. III. dicens: *Inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ aſſerit, aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari.* Nec deſunt argumenta a ratione petita. Nam cum Tridentinum dixerit ſeſſ. 13. can. 2. in Euchariſtia poſt conſecrationem manere dumtaxat panis, & vini ſpecies, quamcumque aliam naturalem ſubſtantiam excluſiſſe videtur. 2. Totus Calix populo adorandus proponitur, utpote in quo non niſi Chriſti Sanguis contineatur. Magis eſt etiam conformis veritati verborum, quibus conficitur conſecratio: nam dum dicitur, *hic eſt Sanguis meus*, vel *Calix Sanguinis mei*; ſicut pronomen *hic* totum Calicis liquorem demonſtrare videtur, ita de toto Chriſti ſanguine enuntiari conſentaneum eſt. Hinc poſt epotum Calicem Sacerdos adhuc jejunus cenſetur; quod falleret, ſi cum ſanguine Chriſti aquam naturalem ebibiſſet. Denique oppoſita ſententia nullum ſibi faventem in tota venerabili antiquitate jactare poteſt, cum tamen multorum veterum, ut vidimus, auctoritate oppugnetur. Num vero hæc aquæ mutatio in Sanguinem Chriſti fiat immediate verbis conſecrationis, vel mediante naturali præcedente in vinum converſione, quæſtio eſt plane ſcholaſtica ad mores nihil pertinens; proinde eam accuratius examinandam Scholaſticis relinquo: ſolum adnotare lubet, ſententiæ aſſerenti mutationem aquæ in vinum favere D. Thom. hic q. 74. art. 8. ſcribentem: „ Aliorum opinio „ probabilior eſt, qui dicunt, aquam converti in „ vinum, & vinum in ſanguinem, " & ceteros antiquiores Theologos. Favet & Catechiſmus Romanus de Euchar. §. 13. dicens: *Eccleſiaſticorum ſententia, & judicio aqua illa in vinum convertitur.* Denique & illi favere videtur univerſalis Eccleſiæ ritus, præſcribentis, ut modica, immo modiciſſima apponatur aqua, ex præſumptione ſcilicet quod in vinum convertatur.

Conſectarium Nonum.

IX. Materia conſecranda determinanda eſt ab intentione, & voluntate Sacerdotis celebrantis; & illi debet eſſe præſens phyſice, & realiter, vel ſaltem moraliter. Poſita eſt hæc doctrina non ſolum ad Tyronum inſtructionem, ſed maxime ad Sacerdotum, qui ſcrupulis, trepidatione, timoribus anguntur, quietem, & tranquillitatem. Proinde eam fuſius fortaſſis, quam opus ſit, expendemus, & declarabimus; ſapientibus enim, & inſipientibus debitores ſumus.

Sunt itaque primo loco ea recolenda, quæ Par. 1. de intentione ad Sacramentorum celebrationem requiſita fuſe tradidimus, quæ tamen hic ſummatim repetiiſſe juvabit. Intentio eſt actus voluntatis deliberatus, quo aliquis intra ſe opus aliquod molitur, & perficere decernit. Triplex eſt, habitualis, actualis, & virtualis. In ſubjecto argumento habitualis intentio eſt illa, quæ in unoquoque reſidet Sacerdote vi ſacræ Ordinationis, & ex repetitis ſuſcepti muneris actibus, & in ipſo etiam dormiente reperitur. Actualis illa dicitur, qua Sacerdos præ manibus habens Hoſtiam, vel Calicem cum vino intendit ad conſecrandum formæ hujus Sacramenti verba proferre. Virtualis vero illa dicitur, qua Sacerdos Miſſam celebraturus, domo, vel cella egrediens, iter aggreditur ad Eccleſiam, vel Sacriſtiam, ibi præparatorias recitat Orationes, & formulam intentionis ex tabella pronuntiat, deinde opportuno tempore ſacras induit veſtes, ad Altare progreditur, Miſſam recitat, nil aliud cogitans, niſi rite, & recte Sacrum miniſterium peragere; licet fortaſſis identidem inutilibus abripiatur mentis evagationibus. Rurſum materiæ præſentia alia eſt phyſica, & realis, qualis eſt, quæ alicui ſenſui, & menti ſubeſt, ut quando Sacerdos in manibus hoſtiam, vel Calicem tenens illa videt, & tangit cum voluntate conſecrandi. Alia moralis, quando ſcilicet præſens eſt materia, at illam non ſenſu aliquo percipit, nec mente

te

te reflexa reſpicit, quam tamen antea & ſenſui, & menti præſentem habuit, & ad conſecrationem delegit; ut cum Sacerdos Pyxidem particulis plenam ſecum ad Altare defert, cujus quidem ſuperiores particulas videt, medias autem nec videt, nec tangit, nec, dum conſecrat, actu ſuper eam reflectit. His prænotatis,

Intentio habitualis, ut jam patet, nec ſufficiens, nec idonea eſt ad effectum conſecrationis. Actualis optima, & ſemper, ut alibi diximus, & docet S. Thom. procuranda, & præſertim in tam anguſto, & ſanctiſſimo munere retinenda. Virtualis tamen ſufficiens eſt, & idonea ad ſacrum implendum miniſterium. Itidem præſentia phſiyca utilis quidem, at minime neceſſaria, dummodo adſit moralis. Eſt modo occurrentibus caſibus aptanda doctrina.

Et primo quidem Sacerdos, qui ad Altare progreditur, & Miſſam celebrat, dubitare nullo modo debet de ſua intentione conficiendi Euchariſtiam; licet, dum verba profert conſecrationis, mens vel tentationibus, vel vagationibus importunis ad alias extraneas cogitationes rapiatur. Nam perſeverat prima intentio actualis jam efformata, ſive in præparationis recitatione, ſive in ſacrarum veſtium ſumptione, quæ tolli non poteſt niſi plane contraria intentione, qua mente dicat, ſe nolle celebrare, conſecrare, ſed ludicre agere.

Pariter, ſi Sacerdos eam recitans Canonis partem, quæ conſecrationem ſubſequitur, dubitet, num conſecraverit ambas ſpecies, vel unam omiſerit, non turbetur, ſed audiat D. Thom. ſic illum inſtruentem hic q. 83. art. 6. ad 5. „ Licet „ Sacerdos non recolat ſe dixiſſe aliqua eorum, „ quæ dicere debuit, non tamen debet ex hoc „ mente perturbari: non enim qui multa dicit, re„ colit omnia, quæ dixit: niſi forte aliquid in di„ cendo apprehendat ſub ratione jam dicti: ſic e„ nim aliquid efficitur memorabile. Unde ſi ali„ quis attente cogitet illud quod dicit, non tamen „ cogitet ſe dicere illud, non multum poſtea re„ colit ſe dixiſſe ... Si tamen Sacerdoti probabi„ liter conſtet ſe aliqua omiſiſſe, ſi quidem non „ ſunt de neceſſitate Sacramenti, non exiſtimo „ quod propter hoc debeat reſumere, immutando „ ordinem Sacrificii, ſed debet ulterius procede„ re: ſi vero *certificetur* ſe aliquid omiſiſſe eorum, „ quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, ſcilicet for„ mam conſecrationis, cum forma conſecrationis „ ſit de neceſſitate Sacramenti, ſicut & materia, „ idem videtur faciendum, quod dictum eſt in de„ fectu materiæ; ut ſcilicet reſumatur a forma „ conſecrationis, & cetera per ordinem reiteren„ tur “. Ubi notandum D. A. ad reiterandam conſecrationem non dicere, ſatis eſſe, ſi dubium occurrat, num conſecraverit, ſed poſtulat, ut ſit *omnino certus*. Quando igitur non adeſt hæc certitudo, præſumat Sacerdos factam conſecrationem, & Miſſam proſequatur.

Bene, optime, ſubdit nuperrimus Theologus Presbyter Venetus Valentinus Cecatus: ſed quid dicendum de Sacerdote, qui pyxidem particulis refertam ad Altare defert, & oblationis tempore offert, poſtea conſecrandam, ſed inde illius penitus obliviſcitur tempore conſecrationis, nec eam detegit, nec ad illam formam dirigit conſecrationis; ſunt ne particulæ in ea contentæ, ut conſecratæ habendæ, an ſaltem, ut de conſecratione dubiæ, alterius Sacerdotis conſecrationi ſub conditione ſubjiciendæ? Ille longa diſſertatione conatur oſtendere, dubiam eſſe illarum conſecrationem: & ſuam Diſſertationem typis editam publicavit, plurimorum Theologorum ſubjecit examini, Romam etiam miſit expendendam. Verum omnes ejus quidem pium ſtudium, ſollicitudinem, doctrinam, ingenii acumen commendarunt; at ne tantillum quidem ejus argutationibus moti, a communi Theologorum ſententia, qui eas particulas præfato modo in Altari oblatas valide cenſent conſecratas, receſſere. Et revera laudatus Auctor fatetur, ſe nullum ſibi faventem Auctorem reperiſſe: at orbitatem, & ſolitudinem ſuam ſolatur effato Melchioris Cani lib. 8. aſſerentis, *fuiſſe in Schola quoſdam Theologos adſcriptitios, qui univerſas quæſtiones theologicas frivolis argumentis abſolverint*. Omnes igitur Theologi, qui tecum non ſentiunt, optime Diſſertator, ſunt Theologi *adſcriptitii*, nec ipſo Pontifice Benedicto XIV. excepto? Tu ſolus emeritus, tu ſolus legitimus Theologus? Tibi gratulor. Progreditur ex eodem Cano: *Non omnia, quemadmodum nonnulli putant, ſunt in Theologorum auctoritate, quia eſt quædam ita perſpicua veritas, ut eam infirmare nulla res poſſit*. At, amabo, quænam eſt in hac controverſia perſpicua veritas, in qua videnda Theologi Veneti, Patavini, Romani, cæteroquin oculatiſſimi, & perſpicaciſſimi omnino cæcutierint, & ſolus Cecatus viderit? Num dubium de legitima præfatarum particularum conſecratione? At hoc eſt controverſiæ objectum, quod profecto non perſpicuum ſit, oportet, cum laudatus Diſſertator tam longa Diſſertatione, tot adductis argumentis, tot excogitatis ſubtilitatibus, tot emendicatis ſuffragiis, ſit probare conatus, nihilque obtinuerit. Num argumenta ipſa, quæ in ſuæ opinionis fulcimentum propoſuit? Minime. Nam hæ ſubtiliores tricæ, & longius accerſitæ ſpeculationes mihi quidem videntur; at ſolida, & firma rationum momenta nec mihi, nec aliis viſa ſunt. Nonnulla breviter exponam, quæ a Diſſertatore noſtro Achillea fortaſſe exiſtimantur.

1. Ut actualis intentio virtualiter perdurare concipiatur, in aliqua perſeveret actione, oportet, quæ virtute actualis actionis ſit incœpta: ſic perduravit intentio conſecrandi hoſtias in pyxide contentas uſque ad Offertorium, tunc enim ſe prodidit in pyxidis oblatione; at poſtea in quibus actionibus perſeveraſſe dicendum erit? Non profecto in mente, & animo, unde per oblivionem ejecta fuit. Non in ſequentibus exterioribus actibus recitandi ſecretas orationes, Præfationem, primam Canonis partem; hæc enim omnia peregiſſet Sacerdos, licet nullæ forent particulæ conſecrandæ. Pariter pronomen *hoc* formæ conſecratoriæ cur ſe extendere dicendum erit etiam ad particulas in pyxide contentas, ſi æque illud prununtiaſſet Sacerdos, ſi non adeſſent? Non perſeverat igitur intentio actualis nec in ſe, quia jam evanuit, nec virtualiter in aliqua actione: ergo nulla eſt, nulla proinde, vel ſaltem dubia conſecratio. 2. Et revera intentio illa virtualis vel deficere poteſt, & perire; vel immobilis eſt, & permanens, ut deficere non valeat. Si primum, tunc profecto periiſſe cenſendum erit, quando non amplius nec in

ſe, nec in aliqua actione permanebit. Si alterum, non amplius libera erit actio a voluntate celebrantis procedens. 5. Non cohærent Theologi, dum docent conſecratas quidem eſſe præfatas particulas, ſi pyxis ſit intra Corporale, ſecus vero, ſi extra: nam diſtantia duorum, vel trium digitorum impedire præſentiam moralem non poteſt, nec oblivio tollit intentionem. Si igitur in hoc poſteriori caſu dubium eſt, num ſint conſecratæ, ut declarat Bened. XIV. lib. de Sacrif. Miſſæ cap. 18. §. 6. cur idem non eſt dicendum & de priore noſtro caſu?

At reſpondeo ad 1. Intentionem actualem poſt Offertorium virtualiter perſeverare, & quidem, licet latenter in animo, a quo nunquam ejecta fuit per oppoſitam intentionem; immo confirmata per Pyxidis ad Altare delationem, & ſubſecutam oblationem, & in ſubſequentibus Sacrificii actionibus, quæ de ſe ſunt indifferentes, ut ad unam, vel plures hoſtias extendantur. Quare ſicut plures conſecrandi intentionem non inducunt, ſi non præceſſerit; ita nec excludunt, ſi poſita ſit. Perſeverat igitur intentio in illis actionibus, jam antea per actualem intentionem non ad unam determinatam hoſtiam coarctatis, ſed ad plures extenſis; licet per oblivionem hujus extenſionis jam factæ non recordetur, ſive, ut melius dicam, ad eam actu non reflectat. Ad 2. Perire utique poteſt intentio virtualis ex actuali dimanans, ſed non mera oblivione, at vel contraria intentione, vel actionis ceſſatione, vel longa etiam, ſi lubet, temporis mora: donec igitur per aliquod iſtorum deſtruatur, ſemper moraliter concipitur perſeverare. Porro in noſtro caſu nulla eſt contraria voluntas, non a Sacrificio ceſſatum, non ſublata pyxis, non longa dilatio, ſed breviſſimum temporis ſpatium inter actualem conſecrandi intentionem, & ipſam conſecrationem effluxit: non eſt igitur ſublata virtualis intentio. Licet vero pyxidis obliviſcatur, adhuc libere, & voluntarie conſecrat, quia libere conſecrare ſtatuit, quod recuſare poterat; ſicut quis libere, & voluntarie horologium in aliquo loco deponit, licet poſtea depoſitionis oblitus, & a fure ablatum recuperare non poſſit. Ad 3. Optime cohærere Theologorum doctrinam, dum dicunt, dubiam eſſe conſecrationem pyxidis extra Corporale extantis, non vero ſi intra illud collocata ſit, & hoc non per deficientiam moralis præſentiæ, aut virtualis intentionis; ſed ob deficientiam veræ, & abſolutæ intentionis actualis, quæ nunquam fuit in Sacerdote conſecrandi particulas in pyxide contentas extra ſacrum lapidem, & Corporale ſepoſitas. Quod, quam verum ſit, non ſubtili eſt argutatione expiſcandum, ſed intimo cujuſcumque Sacerdotis ſenſu dijudicandum. Quod ut pateat, fingamus Sacriſtam dicere Sacerdoti celebraturo, a ſe Pyxidem deferendam, ut eam conſecret, ſed a ſe reponendam extra Corporale, ut ipſe eam poſtea ſuo tempore ſupra Corporale reducat; procul dubio, ne id facias, reſpondebit cautus Sacerdos, nam extra Corporale eam conſecrare nolo, & fortaſſis pyxidis obliviſcor, & ſic conſecratæ non erunt particulæ. Reponet Sacriſta, ponam ſuper Corporale, ut jubes, ſed tu obliviosus facta oblatione, pyxidis non amplius recordaberis, nec eam conſecrationis deteges tempore. Reponet Sacerdos, non obliviſcar, & detegam: at ſi etiam oblitus fuero, jam conſecratæ erunt, cum modo eas conſecrare ſtatuam. En igitur, quomodo mentis Sacerdotis talis occurrere poteſt defectus, qui totam ejus intentionem tollat, & talis, qui omnino non tollat: in priori caſu defectus præſentiæ pyxidis in Corporali totam tollit conſecrandi intentionem in Sacerdote, qui nullo pacto conſecrare intendit cum tali errore: Secundus defectus non tollit intentionem conſecrandi; proinde merito in primo caſu vel nullam, vel dubiam dicit Benedictus XIV. conſecrationem hoſtiarum in pyxide, in ſecundo vero validam pronuntiat. Hinc ſimiliter, & cohærenter docet laudatus ſapientiſſimus Pontifex in cit. lib. de Sacrificio Miſſæ, guttulas vini exterius Calici adhærentes non eſſe putandas conſecratione immutatas, at bene quidem quæ interius adhærent; non proinde poſt Conſecrationem abſtergendæ, ſed in Communione cum reliquis vini ſpeciebus aſſumendæ. Sed quid præſtandum a Sacerdote, qui in pyxide aliquibus conſecratis particulis in ea repoſitis, alias inadvertenter admiſcuit non conſecratas? Communiter docent Theologi, celebrandam Miſſam cum intentione conſecrandi totam materiam Sacerdoti præſentem, aptam conſecrationi. Quo conſilio nihil profecto planius, nihil aptius, nihil cautum magis ad admiſſo errori obviandum. Sed non ita ſentit P. Cuniliati; putat enim hoc conſilium inutile, & minime ſufficiens; Nam inquit: ,, Cum ſint admixtæ non conſecratæ conſecratis, ,, eas amplius diſcernere nequit Sacerdos, proin- ,, de verbum *hoc* formæ non verificatur ". Quod igitur præſtandum? ,, Debet, inquit laudatus Theo- ,, logus, proferre conſecrationem *ſuper omnes* il- ,, las particulas in Pyxide contentas: ne autem ,, illam proferat ſuper conſecratas, conſecratio- ,, nem applicet *ſuper omnes illas*, & *ſingulas* ,, ſub conditione, ſi non ſint conſecratæ ". At hoc pace tanti Viri mihi videtur cum ratione inſanire, docte deſipere, & vigilanti ſtertere naſo. Debet igitur ſuper conſecratas particulas verba conſecrationis proferre? quid abſonum magis? Debet ſub conditione particulas, quas certo, licet in confuſo, conſecratas novit, iterum conſecrare? Quid indecens magis, & contra Sacramenti reverentiam? Præterea poſita hac intentione, diſcernere ne poterit conſecratas particulas a non conſecratis? Minime. Quomodo igitur verum erit pronomen *hoc*, ſi in priori caſu cum pari ignorantia verificari non poterat? Priori itaque, & communi Theologorum doctrinæ inhæreat Sacerdos, & verba conſecrationis proferre intendat ſupra totam materiam conſecrationi idoneam, quam præſentem habet, licet inepte admixtam.

Denique, ſi Sacerdos deprehenderit ſe loco unius duas accepiſſe hoſtias, ſi hoc deprehendat ante conſecrationem, quam maluerit, eligat, & aliam ſeponat. Si poſt conſecrationem, utramque abſumat, nec de utriuſque conſecratione dubitet. Quamobrem, ſi forte contingat deprehendere ſecundam hoſtiam poſt ſumptam purificationem, tunc Rubrica Miſſalis præcipit, ut eam cum aliis in Tabernaculo reponat. Si hoc fieri nequit, ſequenti Sacerdoti ibi celebraturo in Altari ſuper Corporale decenter opertam, ſumendam una cum altera, quam eſt conſecraturus, relinquat, Vel, ſi neutrum fieri poteſt, in ipſo Calice, ſeu Patena decenter con-

conſervet, quouſque in Tabernaculo reponatur, vel ab altero ſumatur. Quod ſi non habeat, quomodo honeſte conſervetur, poterit eam ipſe ſumere.

CAPUT QUINTUM.

De Forma Sacramenti Euchariſtiæ.

DOCTRINA.

I. *Chriſtus in conſecratione Euchariſtiæ uſus eſt verbis.*
II. *Et illis, quibus panis in Corpus, & vini in Sanguinem converſionem expreſſit.*
III. *Quæ verba & modo ſufficiunt ad Euchariſtiam conficiendam.*
IV. *Etiam ſejuncta a præcedentibus precibus, & verbis.*
V. *Tota eſſentialis conſecrationis panis forma exponitur.*
VI. *Quænam ſint mutationes, quæ formam ipſam aliquo modo vitiare poſſunt.*
VII. *Verba certo neceſſaria in conſecratione Calicis.*
VIII. *Quænam ſolum probabiliter.*
IX. *Doctrina S. Thomæ exponitur.*
X. *Objecta proponuntur.*
XI. *Diſſolvuntur.*
XII. *Omnia verba communis formæ pronuntianda.*

I. PRo certo habendum, Chriſtum Dominum in inſtitutione Euchariſtiæ ad panis, & vini conſecrationem aliquibus uſum fuiſſe verbis. Huic propoſitioni adverſati ſunt olim celebriores Theologi etiam Catholici, qui ſenſerunt Chriſtum Dominum nullis externis adhibitis verbis Euchariſtiam confeciſſe; ſed arcano ſuæ voluntatis imperio, utpote qui excellentiæ poteſtate præditus erat ad Sacramenta condenda, panem, & vinum conſecraſſe, ac in ſuum Corpus, & Sanguinem convertiſſe. Inter hos enumeratur a S. Thom. hic q. 78. artic. 1. ad 1. Innoc. III. in lib. 4. de Myſteriis Miſſæ, non quidem Pontificem agens, nam ante Pontificatum ſaltem magna ex parte illos libros conſcripſerat, ſed ut privatus Doctor. Verum modo hæc opinio exploſa manet communi ſubſequentium Theologorum judicio, & oppoſita noſtra doctrina ſic evincitur. 1. Evangelia diſertiſſime narrant, Chriſtum panem, & vinum ante fractionem, & diſtributionem benedictione donaſſe. Porro qua benedictione? Proculdubio externa, & ſenſibili, ac ab Apoſtolis perceptibili, immo & percepta, utpote cujus ſe merito teſtes præbuere: hanc igitur benedictionem aliquibus verbis expreſſam fuiſſe nemo prudens negaverit. 2. Chriſtus in conficienda Euchariſtia, ejus in poſterum conficiendæ Apoſtolis, & Succeſſoribus nedum præceptum dedit, ſed & exemplum, ut ſcilicet eo modo conſecrarent, quem in ipſo præmonſtratum vidiſſent: hunc enim ſenſum ingerunt ſubjecti mandati verba, *hoc facite in meam commemorationem*: formam igitur ab his in Sacramenti celebratione uſurpandam & ipſe prior adhibuit. 3. Verba conſecrationis a Sacerdotibus proferuntur in perſona Chriſti, ut Synodus Florentina in Decreto Eugenii animadvertit, qui propterea non dicunt, *hoc eſt Corpus Chriſti*, *hic eſt Sanguis Chriſti*, ſed *hoc eſt Corpus meum*, *hic eſt Sanguis meus*, quaſi ipſe Chriſtus loqueretur. Talia igitur verba a Chriſto in eumdem conſecrationis finem adhibita non ambigitur in Eccleſia, quæ a ſuis Sacerdotibus conſecrantibus ea repeti cenſet, quæ Chriſtus dixit; ut luculentius ex ſequenti propoſitione conſtabit.

II. Verba, quibus Chriſtus Dominus Euchariſtiam conſecravit, ea ipſa fuere, quibus panis in ſuum Corpus, & vini in Sanguinem converſionem expreſſit, dicens: *hoc eſt Corpus meum*, *hic calix Sanguinis mei*. Huic quoque veritati præter laudatos Theologos primæ propoſitioni adverſantes, duo alii obſiſtunt, nimirum Chriſtophorus a Capite fontium ex Generale Ord. Min. Miniſtro Archiepiſcopus Cæſarienſis in ſuo Tract. de neceſſaria correctione Theologiæ Scholaſticæ, & Eraſmus Roterodamenſis, qui in adnotationibus ad Cap. 11. 1. ad Corinth. hæc habet: *Utinam Paulus traderet nobis ea verba, quibus conſecratus eſt panis ille a Chriſto: nam illa verba, hoc eſt Corpus meum, potius ſunt porrigentis, quam conſecrantis.* Sed contra hos omnes ſic evincitur. 1. Concilium Trid. non obſcure indicat in verbis, quæ determinavimus, repoſitam fuiſſe a Majoribus formulam illam a Chriſto adhibitam pro Euchariſtiæ conſecratione, ita cap. 1. ſeſſ. 13. dicens: *Majores noſtri, quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de SS. hoc Sacramento diſſeruerunt, apertiſſime profeſſi ſunt, hoc admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe; cum poſt panis, vinique benedictionem, ſe ſuum ipſius Corpus illis præbere, & ſuum Sanguinem, diſertis, ac perſpicuis verbis teſtatus eſt.* 2. Confirmant veterum Patrum teſtimonia, quæ traditionis a Trid. indicatæ idonea ſunt argumenta. S. Juſt. M. Apol. 2. cit. *Quemadmodum per Verbum Dei incarnatus Jeſus Chriſtus Salvator noſter, & carnem, & ſanguinem pro noſtra ſalute habuit; ſic etiam per orationem Verbi Dei ab ipſo Euchariſtiam factam cibum, & carnem, & ſanguinem edocti ſumus.* Poſtea explicans, quænam fuerit hæc oratio, ſubdit: *Apoſtoli in Commentariis ſuis, quæ Evangelia dicuntur, ita Jeſum ſibi præcepiſſe tradiderunt; eum enim pane accepto, cum gratias egiſſet, dixiſſe, hoc eſt Corpus meum.* Tertull. lib. 4. cont. Marc. cap. 40. *Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum fecit, hoc eſt Corpus meum dicendo.* S. Ambroſ. in lib. de Sacram. cap. 4. (affertur & a D. Thom. hic a. 1. q. 78.) *Conſecratio fit verbis, & ſermonibus Domini Jeſu: Nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur; Oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro ceteris, ubi autem venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, non ſuis ſermonibus Sacerdos utitur, ſed utitur ſermonibus Chriſti.* Et in Cap. *Panis* de Conſecrat. diſt. 2. apud S. Ambroſii dictum refertur: *Cum panem accipiens diceret, hoc eſt Corpus meum, plane monſtratur verbum operatorium fuiſſe.* S. Jo. Chryſoſt. hom. 60. ad Populum Antiochenum hæc habet: *Dixit, hoc eſt Corpus meum, & verbum facto confirmavit.* Idem teſtantur & alii Patres paſſim; S. Jo. Damaſc. 4. de Fide cap. 13. Auctor Tractatus de Operibus cardinalibus Chriſti, qui inter Opera S. Cypriani deſcriptus extat Serm. de Cœna Domini. 3. Denique, quia in iis verbis conſecratum fuiſſe a Chriſto

ſto panem, & vinum Euchariſticum, & res ipſa poſtulat, & PP. identidem monent, & præceptum additum de faciendo, quod ipſe fecerat, perſuadet. Ergo & illa verba ad eundem effectum fuiſſe a Chriſto uſurpata non eſt ambigendum.

III. Ad Euchariſtiæ conſecrationem ſola illa ſufficiunt verba, quæ Salvator protulit, dum Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, quæ totam vim habent, licet non ſint precibus, & Canoni Miſſæ conjuncta, & ſignanter ei parti, unde incipit narratio Dominicæ Cœnæ per verba, *Qui pridie quam pateretur*. Non conſentiunt huic doctrinæ plures recentiores Græci, qui præter Dominica verba etiam liturgicas preces, quibus divina operatio ſuper propoſita elementa invocatur, contendunt ad illorum conſecrationem, atque tranſubſtantiationem adeo eſſe neceſſarias, ut ſine illis Sacramentum non conficiatur. Cui opinioni, quæ tempore Florentinæ Synodi inſignis error Theologis videbatur, acceſſerunt hac noſtra & ſuperiori ætate quorumdam Latinorum etiam catholici nominis patrocinia, & noviſſime P. Toutée Benedictini in 3. Diſſert. præmiſſa Editioni Operum S. Cyrilli Hieroſolymit., & Patris Le Brun Oratorii Gallicani Presbyteri in explicatione, quam edidit, literali, hiſtorica, atque dogmatica precum, & cæremoniarum Miſſæ, in italicum quoque idioma converſa, & Venetis typis publicata. At exploditur hæc opinio 1. teſtimoniis SS. PP. in præcedenti numero adductis, ex quibus pronum eſt colligere, ſolis verbis Dominicis tranſubſtantiationem panis, & vini haberi, ut videre eſt in textu S. Ambroſii, & aliorum Patrum, quæ ſi attente conſiderentur, nedum Servatoris verba ab Evangeliſtis relata eſſe ad conſecrationem indiſpenſabiliter neceſſaria, ſed etiam in eis ſolis totam conſecrationis efficacitatem conſiſtere patefaciunt. Verum cujuſcumque alterius orationis neceſſitatem his argumentis excludimus. 1. In Eccleſia Latina conſecratio Euchariſtica valida, atque perfecta exiſtimatur, etiamſi non præmiſſæ fuerint preces illæ, quibus petitur, ut panis, & vinum, Corpus, & Sanguis Chriſti fiant: ſiquidem in Miſſalis Romani Rubricis præcipitur, ut ſi poſt conſecrationem hoſtiæ, immo & poſt ſumptionem Sacerdos deprehenderit eam hoſtiam non fuiſſe triticeam, aut corruptam fuiſſe, novam & aptam accipiat, & facta prius oblatione eandem conſecret, incipiendo non a præmiſſis orationibus Canonis, ſed ſolum a poſtremis illis verbis, *qui pridie quam pateretur*. In Eccleſiæ vero Græcæ, & Orientalis Liturgiis; preces quibus tranſmutatio oblatorum munerum in Chriſti Corpus, & Sanguinem poſtulatur, licet conſequantur evangelicorum verborum pronuntiationem, non tamen ad veritatem tranſubſtantiationis putantur neceſſariæ: nam completis verbis evangelicis adſtantes reſpondere jubentur, *Amen*; quaſi dicant (inquit Græcus Cardinalis Beſſarion in lib. de Sacramento Euchariſtiæ) *vere ita eſt, ut dicis: Certe Corpus, & Sanguis Chriſti ſunt iſta munera propoſita, ita credimus, ita confitemur*. Et non pauci Græcorum, (pergit laudatus Auctor) vel ex ipſo populi dicto *Amen* continuo ſubjiciunt, ex antiqua forſitan conſuetudine, & traditione: *Credo Domine, atque fateor, te eſſe Filium Dei vivi*. At Æthiopes, & Abyſſini in ſuis Liturgiis ſimilia verba poſt *Amen* proferenda, expreſſe habent injuncta: *Vere hoc eſt Corpus tuum, vere hic eſt Sanguis tuus, ita credimus, ita certiſſima perſuaſione tenemus*. Ea ſola verba ad conſecrationem Euchariſtiæ ſunt neceſſaria, ſine quibus converſio panis in Corpus, & vini in Sanguinem Chriſti fieri nequit. Porro ad eam peragendam converſionem præter verba Chriſti in Evangelio deſcripta nullis aliis eſt opus; nam prædicta Chriſti verba ſe ſolis converſionem perfecte ſignificant, immo ea ſola in tota Liturgia ſignificant: ergo ea ſola efficiunt. Sacramentorum enim N. L. proprium eſt id, quod ſignificant, ſimul efficere. Immo niſi præfata verba talem converſionem ſtatim, & independenter a precibus ſubjungendis inducerent, a ſua veritate deciderent: non enim verum eſſet ibi adeſſe Corpus Chriſti, quando dicitur, *Hoc eſt Corpus meum*. Denique excludendas preces liturgicas a conſecrationis efficacia, & neceſſitate ſequentia evincunt rationis momenta. 1. Quia ipſis non eſt uſus Dominus ad Euchariſtiam conficiendam. 2. Nec eas in eum finem adhibendas Apoſtolis præcepit. Ubi enim de illis verbum in toto Evangelio reperies? 3. Quia præfatæ preces ſunt inſtitutionis Eccleſiaſticæ, atque humanæ tractu temporis ab Eccleſiæ Paſtoribus Sacrificii celebrationi adjunctæ, & pro locis, nationibuſque diverſæ, variæque diſpoſitæ; cum tamen Euchariſtiæ formam conſecratoriam divinitus traditam negandum non ſit. 4. Quia hujuſmodi preces non dicuntur in perſona Chriſti, ſicut in perſona Chriſti Euchariſtiam conſecrari Concilia, & Patres docuerunt. 5. Quia eædem etiam in Miſſa, quæ a Græcis in diebus jejunii ex præſanctificatis celebrantur, recitantur; cum tamen conſecrandi officium ibidem exercere nec poſſint, nec velint. 6. Quia ſicut Baptiſmus ſolis verbis Evangelicis conſecrari dogma exploratiſſimum eſt, ejuſque firmitatem, & veritatem non pendere a ritibus, & precationibus, quæ Eccleſiæ ordinatione ſacræ luſtrationi præmittuntur, vel adjunguntur; ita cur Euchariſtia ſolis Chriſti verbis non conficiatur, ſed liturgicarum precum indigeat influxu, nulla ſolida ratio, vel congruentia afferri poteſt. Non ſunt igitur neceſſariæ ad conſecrationem Euchariſtiæ preces aliquæ; ſed ſola ſufficiunt Dominica verba.

IV. Bene eſt, excipiunt nonnulli veteres Theologi memorati a D. Thom. q. 78. artic. 1. ad 1. qui ſola Evangelica verba conſecrationis formam continere fatentur, at hæc ab aliis Miſſæ precibus, & præcipue ab iis, quæ continentur in Canone, ſeparata non operari putant, quibus ex parte adhærent Scotus, Angelus, & Paſqualigo, neceſſarium ad validam conſecrationem ducentes prędicta evangelica verba ſubjici, conjungique ſaltem præcedentibus illis, *qui pridie quam pateretur* &c. quo a Sacerdote in Chriſti perſona pronuntiata intelligantur. At eos a vero aberrare ſic oſtenditur. 1. Quia ex Conciliorum definitionibus, & SS. PP. teſtimoniis mox adductis conſtat, iis ſolis verbis Euchariſtiam conſecrari, quibus eandem Chriſtus confecit. 2. Quia ea ſola corporis, & ſanguinis Chriſti præſentiam ſignificant. 3. Quæ Sacerdos ex perſona Chriſti profert, ſunt ſola Chriſti verba evangelica, non vero quæ iſtis præmittuntur, vel ſubjunguntur in Canone, vel in tota Miſſa. Præterea inconſequenter, & inepte Adverſarii faten-

tes in eiſdem ſolis verbis formam conſecrationis poſitam eſſe, alia antecedentia ad conſecrationis effectum requirunt, & contra communem Catholicorum doctrinam, Conciliorum quoque auctoritate firmatam, tria tantummodo ad cujuſcumque Sacramenti perfectionem neceſſaria prædicantium, nempe materiam, formam, & intentionem Miniſtri. Nec urget ratio Scoti, & ſectatorum ejus, nimirum præfata verba, *qui pridie quam pateretur*, ideo eſſe præmittenda, ut formæ verba a Sacerdote in Chriſti perſona pronuntiari conſtet, & verificetur. Nam ad hoc ſufficit voluntas, & intentio Sacerdotis, qua ad hoc ſe determinet, ut egregie docet S. Thom. l. l. dicens: „ Si Sacer„ dos ſola prædicta verba (formæ) proferret cum „ intentione conficiendi hoc Sacramentum, perfi„ ceretur hoc Sacramentum: quia intentio face„ ret, ut hæc verba intelligerentur quaſi ex per„ ſona Chriſti prolata, etiamſi verbis præcedenti„ bus hoc non recitaretur; graviter tamen pecca„ ret Sacerdos ſic conficiens hoc Sacramentum, „ utpote ritum Eccleſiæ non ſervans “.

V. Tota forma conſecrationis panis in hiſce Chriſti verbis, *hoc eſt Corpus meum*, valide conſiſtit, vel etiam in æquivalentibus, quæ ſenſus ſubſtantiam non mutent. Prima noſtræ doctrinæ pars eſt manifeſta, & ab omnibus Theologis admittitur, cum in iis verbis collocanda ſit hujus Sacramenti forma, quæ poſſunt efficere, & reapſe efficiunt, quod ſignificant: hoc autem præſtant præfata verba, quæ clare, diſtincte, complete converſionem panis in Corpus Chriſti ſignificant: proinde & illud efficiunt. Dixi conſiſtere formam in æquivalentibus verbis, quæ ſenſus non mutent ſubſtantiam, ut diximus in prima parte de Sacramentis in genere Diſſ. 2. c. 3. n. 4. etenim non ſonus materialis verborum in Sacramentorum formis ad iſtorum confectionem concurrit, atque deſideratur, ſed eis adnexa ſignificatio, quæ quoties in variis dictionibus ejuſdem, aut diverſi idiomatis eadem veraciter reperitur, toties illæ ad verum, & validum Sacramentum efficiendum indiſcriminatim æquipollent; licet, ut dicemus in Conſectariis, etiam accidentalis mutatio culpa, & quidem gravi non vacet.

VI. Quænam autem ſit ſubſtantialis mutatio, quæ in hac forma ſenſum corrumpat, & quænam ſola accidentalis, quæ ſervet, inquirunt longa diſcuſſione Theologi: nos breviter præcipuas expendemus. 1. Si pro *hoc* dicatur *illud*, ſignificatio mutatur; quia pronomen *illud* non eſt rei præſentis, ſed remotæ demonſtrativum. 2. *Iſtud*, idem valere puto, ac *hoc*, licet ſubtilius aliqui notent hoc pronomen potius rem denotare præſentem alteri, quem alloquimur, non ipſi loquenti: ſed hæc interpretatio nimium longe mihi accerſita apparet. 3. *Hic eſt Corpus meum* valet, ſi ſenſum non mutet, quia ex errore grammaticali ab imperito loco *hoc* adhibeatur: ſecus vero, ſi pro locali adverbio uſurpetur, tunc enim lutheranam exprimeret impanationem, non veram elementi tranſubſtantiationem. 4. Vitium nullitatis incurritur, dicendo *Ecce Corpus meum*; quia converſionem non indicat. 5. Ita & ablatio verbi ſubſtantivi *Eſt*, dicendo ſolum *Hoc Corpus meum*, tranſubſtantiationem ſupprimit, & obſcurat. Non deſunt tamen Theologi, qui illius omiſſionem formam non corrumpere putant, inter quos Sylvius, quem ſequitur Natalis Alexander: quia, inquiunt, & facile ſubintelligitur, & familiare eſt Latinis tale verbum omittere. Quæ tamen ratio non me omnino convincit. Non enim agitur de re, quæ jam in ſe talis ſit, alteri demonſtranda, ut cum dicitur, Hæc pecunia tua; ſed de re, quæ verbo eſt efficienda, & in aliud plane transformanda, quod eſt clare deſignandum per verbum *eſt*. Conſentiunt tamen omnes graviter, & ſacrilege peccaturum, qui illud omitteret: addo & dubiam ſaltem redderet conſecrationem. 6. Similiter *hoc ſit*, vel *fiat* pro *eſt* veram enuntiationem tollit; quia in imperium, vel deſiderium degenerat. 7. Hæ voces, *hoc ſit*, *efficitur*, *evadit*, *tranſit*, *tranſmutatur*, *convertitur*, dubium nullitatis inducunt; quia licet ad converſionem ſignificandam ſint idoneæ; non tamen præſentiam ſtabilem, & permanentem Chriſti indicant. 8. Simili laborant nullitatis defectu hæ voces, *conſecro*, *conficio*, *conſtituo*, *exhibeo*, *repræſento* Corpus meum. 9. *Significat* pro *eſt* ponere Zuinglianam hæreſim manifeſtat, ſenſus everſionem conſtituit. 10. Si loco *Corpus* dicatur *Caro*, inutilem reddi formam nonnulli arbitrantur: quod tamen certum omnino non eſt; cum in Scripturis caro pro corpore ſumatur, immo & ipſe Chriſtus de ſuo Corpore dixerit, *Caro mea vere eſt cibus*: practice tamen dubiam efficit formam. 11. Verborum tranſpoſitione aliquando ita mutatur ſenſus, ut forma corrumpatur, ut ſi dicas, *hoc Corpus eſt meum*. 12. Si vero dicatur, *hoc eſt Corpus Chriſti*, nulla eſt forma; quia non amplius in perſona Chriſti, ſed mere recitatione verba proferuntur. Oppoſitum tamen ſentiunt Salmanticenſes, auctoritate freti S. Thom. in IV. diſt. 8. q. 2. dicentis: *Convenientius* dici, *hoc eſt Corpus meum*, quam *hoc eſt Corpus Chriſti*: ex quo colligunt ex mente S. D. illicitam potius eſſe, quam ineptam hujuſmodi locutionem. At non attendunt, ibi D. Thom. convenientiam inſtitutionis, non uſum formæ indigitare, quæ ſic adhibita periculo ſaltem fruſtrationis Sacramentum exponeret. 13. Denique alicujus finalis litteræ ſuppreſſio, vel in finem mutatio latinitatis ignorantia, vitio linguæ, celeritate pronuntiationis, mala conſuetudine aliquando integræ nationi communi, ut ſi dicatur, *hoche es*, vel *eſtz corpus*, vel *coupus meu*, vel *meume*, formæ validitatem non infirmat; cum verborum ſignificationem, & intelligentiam apud audientes non tollat. Quod ſi attenderent ſcrupuloſi Sacerdotes, ſe ridiculos non præberent in præcavendis ſuperſtitioſo, & deformi conatu pronuntiationis defectibus, os, vultum, ſyllabas diſtorquendo, dum ne quid minimum peccent, formidant.

VII. In forma conſecrationis Calicis hæc verba, *Hic eſt Sanguis meus*, vel *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, eſſentialiter, & infallibiliter ſunt neceſſaria ad effectum conſequendum. Huic doctrinæ nullus eſt, qui obſiſtat; nec illi qui & reliqua verba ad eſſentiam formæ pertinere arbitrantur, qui certe hæc non excludunt, immo inter præcipuas enumerant. Et revera PP. omnes, qui verba recenſuere, quibus Calix Euchariſticus conſecratur, illa memoraſſe leguntur. Ita S. Juſtinus M. in Apol. 2. Ambroſ. lib. de initiandis cap. 9. & 4. de Sacramentis cap. 5. S. Gaudentius tract. 2. de Exodo; S. Joan. Damaſc. 4. de Fide cap. 4. Euſebius

bius Emiſſenus, aut quicumque ſit Auctor ſermonis de Corpore, & Sanguine Domini, qui Tom. 9. inter Opera D. Hieronymi legitur, & etiam refertur cap. *quia Corpus* de conſecrat. diſt. 2. Auctor ſerm. de Cœna Domini inter Opera S. Cypriani, & Innocen. 3. lib. de Miſſæ Myſteriis cap. 6. Propterea uniformiter in omnibus antiquioribus Liturgiis habentur, ſive quæ S. Petri, Jacobi, & Marci dicuntur, ſive quæ Baſilio, Gregorio, Chryſoſtomo tribuuntur, & in pleriſque Maronitarum: proinde eorum omiſſio irritam facit conſecrationem.

VIII. Cetera formæ verba, præter laudata, quæ in Canone communi præſcribuntur, nimirum: *Novi, & æterni Teſtamenti Myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, probabilius non ita pertinent ad eſſentiam formæ, ut aliquibus, vel omnibus omiſſis nulla ſit conſecratio. Hæc noſtra aſſertio inſignes, etiam in Thomiſtica Schola, habet adverſarios; ſed habet quoque celebres etiam ex Thomiſtis patronos, cum quibus ſentiens ſic eam evinco. 1. Auctoritate Patrum in præcedenti numero laudatorum, qui ſola præfata priora verba ceteris omiſſis ad conſecrationem adducunt, profecto non alia de cauſa, niſi quia iis ſolis totum haberi conſecrationis effectum cenſebant. 2. Reliqua verba non eſſe ad effectum neceſſaria oſtendunt Scripturæ ſilentium, antiquarum Liturgiarum uſus, & plurimorum Theologorum conſenſus. Et quidem hoc poſtremo titulo excluditur neceſſitas particulæ *enim*, quam omnes conſentiunt, ſicut & in conſecratione panis, non eſſe de eſſentia formæ: & licet eam adhibuerit Sanctus Matthæus, at reliqui tamen Evangeliſtæ & Apoſtolus omiſerunt. Verbum quoque *Calix* ab eſſentiali forma excludendum videtur, quippe quod figurata locutione uſurpatur; ut docet S. Thom. hic q. 78. art. 3. ad 1. vel, ut idem ſubdit „ per metaphoram; quia per Calicem „ ſimilitudinarie intelligitur paſſio Chriſti “. Et revera neque apud S. Matthæum, neque apud Marcum in verbis Chriſti Calicem conſecrantis mentio habetur Calicis, ſed ſimpliciter dicitur, *hic eſt Sanguis meus*. Præterea merito ab eſſentiali forma excludi poſſunt illa verba *æterni*, *myſterium fidei*, quia nec SS. Matthæus, Marcus, Lucas, & Paulus, nec ulla ſcriptura canonica a Chriſto dicta commemorarunt; neque in Liturgiis S. Jo. Chryſoſt. & Baſilii frequentiſſimis in tota Græcia, neque in ulla alia antiqua, ſive Græcorum, ſive Syrorum, ſive Maronitarum, aut Mozarabum in Hiſpania, aut Æthiopum in Abyſſinia reperiuntur: unde poſita illorum eſſentiali neceſſitate hoc maximum abſurdum eſſet deglutiendum, videlicet Eccleſias omnes Orientales ab immemorabilibus ſeculis legitima Calicis conſecratione caruiſſe, & adhuc carere. Addendum, verba iſta nihil ſpeciale de Sanguine Chriſti ſignificare, quod non conveniat tum aliis Sacramentis, tum ſpecialiter & corpori Chriſti in Euchariſtia, quale eſt eſſe *myſterium fidei*, & pignus *æternæ promiſſionis* Novi Teſtamenti nunquam revocandæ. Quoad verba vero, quæ Sanguinis effuſionem *pro multis in remiſſionem peccatorum* enuntiant, fatemur illa ex Evangeliis SS. Matthæi, Marci, & Lucæ conſtare, fuiſſe a Chriſto pronuntiata, & locum habere in omnibus Græcis Liturgiis, S. Baſilii ſcilicet, & Chryſoſtomi, & in illa, quæ S. Marci dicitur, & in Miſſa Æthiopum, quæ S. Matthæo Evangeliſtæ tribuitur, nec non in Miſſa Mozarabum, cujus Auctor S. Leander Hiſpalenſis, vel S. Iſidorus putatur. At animadvertimus, illa eadem omiſſa ab Apoſtolo Paulo in 1. epiſt. ad Corinth. cap. 11. hæc ſola verba afferente, *hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine*, quem certe nemo dicet quidpiam celaviſſe ad conſecrationem neceſſarium, quippe qui ex profeſſo de ritu hujus Myſterii inſtruere volebat Corinthios, quorum vigilantem attentionem excitaverat illis verbis, *Ego enim accepi a Domino, quid & tradidi vobis*. Deſunt etiam in pluribus Maronitarum Liturgiis, ut in illis quæ Xiſti Papæ, Jo. Evangeliſtæ, SS. Apoſtolorum, S. Euſtaſii, S. Jo. Patriarchæ, S. Marci Evangeliſtæ, S. Matthæi Paſtoris dicuntur, quorum formulas conſecratorias e Miſſali MS. illius gentis a Monte Libano Romam miſſo, exceptas a Victore Schialach Abbate S. Georgii Maronita, & in Urbe per plures annos linguarum publico interprete, Cardinalis de Lugo accepit, & ponderavit. Quoad reliquas voces *Novi Teſtamenti* fatemur & has in tribus Evangeliſtis, & ab Apoſtolo referri, quamvis cum aliqua varietate, & in pluribus Liturgiis non deſiderari; at dicimus omiſſa reperiri in Liturgiis S. Petri, S. Euſtaſii, S. Matthæi Paſtoris, S. Jo. Evangeliſtæ, S. Marci, S. Jo. Patriarchæ, & SS. Apoſtolorum apud Maronitas, in quibus pro formula conſecratoria hæc tantum verba referuntur, *hic eſt Sanguis meus*. Denique ratio Theologica omnia præfata verba ad eſſentialem formam non pertinere oſtendit; quandoquidem iis verbis conſecratur Euchariſticum vinum, quibus in Chriſti Sanguinem ſecundum Eccleſiæ fidem convertitur: atqui hæc verba, *hic eſt Sanguis meus*, etiam ab aliis Evangelicis, & in Canone contentis verbis præciſa, & non jam iſta ſine illis effectum præſtare valent: ergo ſufficiunt, ſimulque neceſſaria ſunt ad vini conſecrationem, ejuſque eſſentialem formam conſtituunt. Minoris propoſitionis aſſertum ſic oſtenditur. Illa verba ſe ſolis prædictam converſionem perfecte, completeque ſignificant, eadem prorſus vi, & efficacitate, qua panis in Corpus Chriſti tranſmutatio per iſta, *hoc eſt corpus meum*, exprimitur; tantundem enim ex trito Theologorum axiomate a D. Thom. deſumpto, *verba conſecrationis operantur*, *quantum ſignificant*: multo magis, ſi animadvertatur, ſequentia verba, quæ in Evangelio, aut formula communi adjunguntur, non ipſam ſanguinis ſubſtantialem præſentiam, ſed ejus dumtaxat proprietates, operationes, effectuſque repræſentare. Confirmatur. Nulla ſolida afferri poteſt ratio, nulla aſſignari idonea diſparitas, cur in conſecratione panis ſufficiant ea ſola verba, *hoc eſt Corpus meum*; & non ſufficiant ad vini conſecrationem hæc ſola, *hic eſt Sanguis meus*: cur peculiariter præſentia Sanguinis fuſiore oratione, quam præciſa rei ſignificatio requirat, & quæ ad atteſtandam præſentiam Corporis adhibeatur, ſit enuntianda. Cur verba illa, *quod pro vobis tradetur*, licet a Chriſto, teſtibus SS. Luca, & Paulo, primis illis verbis, *hoc eſt corpus meum*, adjuncta, & in Græcis Liturgiis accurate retenta, ſignificationem corporis magis determinantia, ſeu explicantia, nihi-

nihilominus eſſentialia ad priorem perficiendam tranſubſtantiationem non reputentur, ea potiſſimum ratione, quia in communi deſunt Liturgia; & neceſſaria credi debeant ad alterius converſionem ſubſtantiæ verba, quæ nec omnia ab Evangeliſtis, & nulla ab Apoſtolo, nec in pluribus Liturgiis memorantur, ſolum quia in communi formula continentur. Hæc ſunt argumenta, quæ mihi probabiliorem hanc efficiunt opinionem, liberum cuique relinquens ſpeculative aliter ſentire. Qui hac de re amplius erudiri cupit, legat Victoria, Dominicum Soto, Dominicum Gravina, Contenſonium ex noſtratibus, ex extraneis vero Bellarminum, Suarezium, Vaſquezium, & omnes pene recentiores Theologos, qui Eccleſiaſticæ antiquitatis notitia ſunt peritiores. Quoad praxim enim quid ſit tenendum, ſubjiciam, poſtquam oſtendero. D. Thom. quem ſibi faventem contrariæ ſententiæ Patroni arbitrantur, non ita aperte a poſita doctrina recedere.

IX. Siquidem D. Thom. hic q. 78. art. 1. hanc ſibi proponit quæſtionem, *utrum hæc ſit forma hujus Sacramenti, hoc eſt Corpus meum, & hic eſt Calix Sanguinis mei*, nullo alio prorſus addito verbo, & affirmative reſolvit hac valida adducta ratione: „ Quia forma hujus Sacramenti importat ſolam conſecrationem materiæ, quæ in tranſubſtantiatione conſiſtit, puta cum dicitur, *hoc eſt Corpus meum, hic eſt Calix Sanguinis mei* “. In hiſce igitur ſolis verbis juxta S. D. habetur effectus formæ conſecratoriæ, ſcilicet tranſubſtantiatio. Et revera nec in articuli titulo, neque in concluſione, neque in ratione, qua eam confirmat, ullam habet mentionem verborum, quibus in conſecratione Calicis formula communis redundat; ſed definite, & præciſe iſta tantum, *hic eſt Calix Sanguinis mei*, affert, & iterato recenſet. Et in reſponſione ad 4. falſam eorum opinionem pronuntiat „ qui dixerunt, hoc Sacramentum perfici non poſſe prædictis verbis prolatis, & *aliis prætermiſſis*, præcipue quæ ſunt in Canone “. Et hanc affert rationem, „ Quia Canon Miſſæ non eſt idem apud omnes, nec ſecundum omnia tempora “. Quæ D. Thom. ratio profecto extenditur etiam ad verba adjuncta formulæ conſecratoriæ, cum & illa, ut num. præcedenti vidimus, nec ſint apud omnes, nec fuerint omni tempore. Deinde ſubſequitur: „ Si Sacerdos *ſola verba prædicta* proferat cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum “. At quænam ſunt *prædicta ſola verba*? Profecto non alia, niſi ea, quæ in illo articuli & titulo, & corpore enuntiavit, quæ nec plura ſunt, nec pauciora illis, *hic eſt Calix Sanguinis mei*. In tertio vero articulo ejuſdem quæſtionis, ubi non jam de forma *abſolute* ad conſecrationem Calicis requiſita diſputationem inſtituit (hanc ſiquidem ſatius expenderat in art. 1. & ſupervacanee revocaſſet) ſed *de forma adhibenda*, nam articuli titulus ſic ſe habet, utrum hæc ſit *conveniens forma, hic eſt Calix Sanguinis mei* &c. quæ cætera ſtatim in 1. argumento deſcribit, nempe *Novi & æterni teſtamenti myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*; decernit quidem in corpore articuli omnia citata verba primis adjecta uſque ad iſta excluſive, *hæc quotieſcumque feceritis* &c. eſſe „ de *ſubſtantia* formæ (non ait de eſſentia) quia ſunt quædam determinationes prædicati, ideſt Sanguinis Chriſti, unde pertinent ad integritatem locutionis “. Sed mox addit: „ Per prima verba, *hic eſt Calix Sanguinis mei*, ſignificatur ipſa converſio vini in Sanguinem eo modo, quo dictum eſt in forma conſecrationis panis “. Quo loquendi modo A. P. parem omnino inſinuat ineſſe ſignificationem, & proinde efficaciam his verbis, *hic eſt Calix Sanguinis mei*, atque iſtis, *hoc eſt Corpus meum*, ad materiæ ſubjectæ tranſmutationem; ideoque in his ſolis totam vim conſecrationis reſidere.

X. At plura nobis opponunt Thomiſtæ aliter ſentientes deſumpta tum ex hoc articulo 3. tum ex Sententiariis in IV. diſt. 8. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 1. tum ex lect. 3. ſup. cap. 11. 1. ad Corinth. Verum nos arbitramur ſolum iis inſiſtendum, quæ docuit in Summa, quæ eſt ultimus ejus labor, & longe prævalet auctoritate iis, quæ alibi ſcripſit, proinde aut ad hujus ſenſum attemperandis, aut, ſi emolliri non poſſint, deferendis. Solum igitur expendemus ea, quæ ex præfato Summæ art. 3. quæſt. 78. opponunt. Inquiunt igitur. Nonne D. Thom. in corpore laud. art. ſtatuit, omnia illa verba, quæ in communi formula comprehenduntnr, *eſſe de ſubſtantia formæ?* Quid ergo adhuc de ejus mente litigamus? An quia non dixit *de eſſentia*, ſed de *ſubſtantia formæ?* At idem valet uterque terminus in uſu S. D. nam q. *60.* a. 8. generaliter docet, „ quod ſi diminuatur aliquid eorum, quæ ſunt de *ſubſtantia formæ* ſacramentalis, tollitur debitus ſenſus verborum; & ideo non perficitur Sacramentum “. Ubi ait *de ſubſtantia* manifeſte pro ſubſtantia formæ eſſentialia indicat formæ verba. Cur igitur non eſt in pari ſenſu intelligendus in caſu noſtro, ubi diſputat adverſus eos, qui eatenus controverſa verba eſſe de ſubſtantia conſecrationis negabant, quatenus neceſſaria ad ejus valorem minime reputabant?

XI. Reſpondent tamen alii Thomiſtæ, A. D. docere quidem omnia verba eſſe de *ſubſtantia* formæ, at inde non colligi recte eſſe de eſſentia formæ: nam poteſt aliquid pertinere ad rei ſubſtantiam, quin tamen pertineat ad eſſentiam; ſic manus in homine ad ejus ſubſtantiam pertinet, nec tamen ab illa eſſentia hominis pendet. Nec valet reſponſio, S. D. ſubſtantiam, & eſſentiam q. 60. pro eodem ſumere. Nam hoc concedimus eo loco, quia & hunc ſenſum ea phraſis habet; ſed non unicum hunc ſenſum habet, nec ſemper habet. Subſtantia enim aliquando rei eſſentiam, aliquando integrantem aliquam ejus denotat partem. Terminus æquivocus eſt, & ex contextu ſermonis, quomodo hic, aut illic ſit accipiendus, eſt dijudicandum. Quando in formis Sacramentorum aliquod verbum ita eſſe de ſubſtantia enuntiatur, ut eo deficiente tollatur debitus ſenſus, intelligo ſubſtantiam pro eſſentia poni. Quando vero eatenus aſſeritur *de ſubſtantia*, quatenus pertinet ad integritatem locutionis, & continuationem explicativam ſententiæ, ita tamen ut ſine illo hæc ſufficienter, licet minus explicite ſignificetur; idem non reputatur eſſe de ſubſtantia, & eſſe de eſſentia. In forma Baptiſmi, *Ego te baptizo* &c. pronomen *ego* non eſt certe extraneum, & accidentale, nec tamen dixerit nemo eſſentiale. Pariter in forma

ma

ma Sacramenti Pœnitentiæ, *abſolvo te a peccatis tuis*, hæc poſtrema verba, *a peccatis tuis*, multorum judicio, etſi reticeantur, abſolutionis veritatem, & efficaciam non auferunt; nec tamen accidentalia putaveris, quæ una cum prioribus perficiunt, & clariorem reddunt ſententiam. Ita in caſu noſtro putamus D. Thom. locutum, ne eodem fere halitu frigidum, & calidum efflaſſe videatur; cum & in art. 1. aperte dixerit, hoc Sacramentum perfici poſſe prædictis verbis prolatis, & aliis prætermiſſis, & quam propoſitionem licet maxime dirigat contra illos, qui prævia illa Canonis verba *qui pridie quam pateretur* ad conſecrationem aliquo pacto neceſſaria autumabant, nequaquam tollit eam ita ample, & indefinite acceptam, & alia ſequentia complecti & reſpicere. In hoc vero art. 3. aperte docet prima verba ſignificare ipſam converſionem vini in Sanguinem, proinde etiam efficere, cum formæ Sacramentorum, ut ipſe D. Thom. docet art. 5. q. 78. *id efficiant quod* ſonant & *ſignificant*. Nec ad hoc argumentum elavandum valet diſtinctio Salmanticenſium ſenſus grammaticalis verborum a ſenſu practico, & Sacramentali: primum quidem haberi affirmant ſolis dictionibus, *hic eſt Calix Sanguinis mei*; at ſecundum putant non accedere, niſi omnibus prolatis communis formæ verbis. Verum hac diſtinctione axioma Theologicum, immo ipſam S. Thom. doctrinam omnino peſſumdant. Nam ſenſus practicus Sacramentalis idem eſt ac efficacia, quam ſi negant cum ſignificatione grammaticali in Sacramentalibus formis pari paſſu procedere, axioma illud ad hanc nugatoriam tautologiam deducunt, *verba Sacramentorum id efficiunt, quod ſignificant, quando non mere ſignificant, ſed efficiunt*. Theologi autem, quos D. Thom. confutat, præfata verba fortaſſis nec ad ſubſtantiam pertinere arbitrabantur; quippe quæ effectus ſolum declarant Sacramenti, & Corpori Chriſti æqualiter conveniunt, prout eſt ſub ſpeciebus panis; cum & ipſum *myſterium fidei* ſit *novi, & æterni teſtamenti*, & tradatur, vel frangatur *in remiſſionem peccatorum*: & tamen hæc de illo in forma conſecrationis non enuntiantur: unde colligebant nec ad ſubſtantiam formæ pertinere, ſed ſolum ad ampliorem ſignificationem. At de hoc ſatis. Ad noſtra revertamur.

XII. Omnia communis formæ verba ſunt a Sacerdote recitanda, & eorum omiſſio, vel etiam aliquorum, immo & unius, a lethali peccato non excuſaret, & dubiam redderet conſecrationem. Manifeſta eſt veritas hujus propoſitionis. Nam prima verba ex omnium conſenſu ſunt eſſentialia, proinde ea omittere eſſet grave ſacrilegium, & nullitas Sacramenti. Cætera vero, licet fortaſſis ad eſſentiam formæ non pertineant, omnia tamen a Chriſto reipſa pronuntiata creduntur, & partim a ſingulis Evangeliſtis collecta ſunt, partim ab Apoſtolis traditione recepta exiſtimare pium eſt: tum quia pertinent ad eandem ſententiam, & præcedentium poteſtatem, ac valorem pergunt explicatius referre; tum demum quia ſunt verba ad formam convenientem, & uſquequaque perfectam pertinentia; immo pene certum eſt omnia ſic præcedentibus continuata etiam ad conſecrationem efficaciter cooperari, non quod ſine illis probabilius conſecratio haberi non poſſit, ſed quod per illa, dum adjunguntur, habeatur: tota enim forma efficit tranſubſtantiationem; licet ratione primorum verborum eam obtineat efficacitatem. Conveniantiam autem illorum verborum exponit D. Thom. hic a. 3. ſcribens: Euchariſtia „ ad tria ordinatur. Primo quidem & principaliter ad adipiſcendam æternam „ hæreditatem, ſecundum illud Heb. 10. *Habentes* „ *fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Chriſti*; & ad hoc deſignandum dicitur, *novi & æterni teſtamenti*. Secundo ad juſtitiam gratiæ, quæ „ eſt per fidem, ſecundum illud Rom. 3. v. 25. „ *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem* „ *in ſanguine ipſius, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui in fide eſt Jeſu Chriſti*: & quantum ad hoc ſubditur *myſterium fidei*. Tertio autem ad removendum impedimenta utriuſque prædictorum, ſcilicet peccata, ſecundum illud Heb. „ 4. *Sanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis*, ideſt peccatis, & quantum ad hoc ſubditur, *qui pro vobis, & pro* „ *multis effundetur in remiſſionem peccatorum*". Addidi, etiam omiſſionem illorum verborum dubiam reddere conſecrationem: 1. Quia opinio, quam ſuperius propugnavi, licet probabilior ſit, non eſt tamen certa, & in Sacramentis conficiendis ſemper tutior eſt eligenda, ut declaravit Innoc. XI. in damnatione propoſitionis primæ aſſerentis: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis*. 2. Quia in Rubricis Miſſalis de defectibus præcipitur, „ ut ſi Sacerdos dimidia conſecrationis forma pronuntiata moriatur, alius ſubſtituatur Sacerdos, „ qui proſequatur Miſſam, & de integro recitet „ formulam conſecrationis, incipiendo ab illis verbis *ſimili modo* &c." non decernens tamen, quando forma conſecrationis dimidiata cenſeri debeat. Immo ne periculum ſit, quod fruſtra repetatur forma Calicis, ſubdit: *Poſſet ſuper alium Calicem præparatum integram formam proferre, & hoſtiam primi Sacerdotis, & ſanguinem a ſe conſecratum ſumere, ac deinde Calicem ſemiconſecratum*.

CAPUT SEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quomodo pronuntientur verba formæ conſecratoriæ.*
II. *Particula* enim *non eſt de eſſentia formæ.*
III. *Quænam ſint in forma calicis mutationes, quæ obſunt, vel non nocent valori conſecrationis.*
IV. *Panis ſine vino, & vinum ſine pane valide conſecratur.*
V. *Valida eſt conſecratio unius ſpeciei etiam innolente aliam ſpeciem conſecrare.*
VI. *Ex divino præcepto non licet unam ſpeciem ſine altera, vel inverſo ordine conſecrare.*

Conſectarium Primum.

I. VErba formæ conſecratoriæ tum panis, tum calicis non mere hiſtorice, ſed ſignificative pronuntiantur a Sacerdote. Huic noſtræ doctri-

ctrinæ adverſantur 1. Nicolaus Cabaſilas, Marcus Epheſius, aliique Schiſmatici Græci, qui verba Evangelica in ſacris Liturgiis non ob neceſſitatem conſecrationis, ſed ſolum commemorandæ Dominicæ Cœnæ gratia recitari arbitrantur: unde verba formæ, non quatenus a Sacerdotibus proferuntur, vim habent conſecratoriam; ſed quatenus ſemel a Chriſto pronuntiata, tranſitorie quidem quoad linguæ motum, ſed virtute, & efficientia uſque ad finem mundi perennatura, proinde per Sacerdotum preces in ſingulari ad opus determinantur. Adverſantur etiam plures Theologi antiquiores, inter quos Innoc. III. in opere privato de Miſteriis Miſſæ lib. 4. cap. 7. Picus Mirandulanus in Apologia, Ambroſius Catharinus, Alphonſus Salmeronus, Jo. Major, aliique, qui verba quidem Evangelica ad ſingulas materiæ Euchariſticæ conſecrationes neceſſario repetenda eſſe, & ſine illis non fieri conſecrationem confitentur; at nihilominus a ſacerdote proferri defendunt mere hiſtorice, & narrative, hoc eſt, ſacerdotem in illis pronuntiandis ſe gerere ad inſtar illius, qui, quod ab alio dictum eſt, unice renunciat, & repræſentat; quemadmodum ſe habebat David, inquiendo: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*; non vero more quidpiam immediate affirmantis, & aſſerentis. At ineptam Schiſmaticorum phantaſiam refellimus doctrina SS. PP., qui tranſubſtantiationem elementorum non verbis Chriſti ſemel prolatis tribuunt, ſed ut a ſacerdotibus repetitis. Audiant S. Gregorium Nazianz. Orat. 2. in Paſchate: *Inter Sermones de carne, præcipui ſunt illi Chriſti*, hoc eſt corpus meum, *illis prolatis a Sacerdote: qui non credit eſſe Corpus Chriſti, ſine dubio fidem derogat*. S. Jo. Chryſoſt. hom. 2. in 2. ad Timoth. epiſt. dicit: *Quemadmodum verba, quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt, quæ ſacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita oblatio eadem eſt*. Addimus & S. Auguſt. ſerm. 28. de verb. Domini docentem: *Memini ſermonis mei, cum de Sacramentis tractarem. Dixi vobis, quia ante verba Chriſti, quod offertur, panis dicitur, ubi Chriſti verba deprompta fuerint, non jam panis dicitur, ſed Corpus Chriſti*. Euſebius quoque Emiſſenus paria habet: *Dixit hoc per ſe, & modo per ſuos miniſtros*, hoc eſt Corpus meum, *& tanta eſt ejus virtus & efficacia, ut ſtatim fiat quod dicitur*. En igitur quomodo non ex ſolis verbis ſemel a Chriſto prolatis fiat elementorum mutatio; ſed quatenus a ſacerdotibus ejus nomine, ejuſque perſonam gerentibus repetuntur. Theologorum autem opinio refellitur a D. Th. hic q. 78. a. 5. ſcribente: „ Quidam dixerunt, „ quod in hac locutione, *hoc eſt Corpus meum*, „ hæc dictio *hoc* importat demonſtrationem, ut „ conceptam, & non ut exercitam; quia tota „ iſta locutio ſumitur materialiter, cum recitative „ proferatur: recitat enim Sacerdos Chriſtum „ dixiſſe, *hoc eſt Corpus meum*. Sed hoc ſtare „ non poteſt: quia ſecundum hoc, verba hæc non „ applicarentur ad materiam corporalem præſentem; & ita non perficeretur Sacramentum. Dicit enim Auguſtinus tract. 80. ſuper Jo. *Accedit* „ *verbum ad Elementum, & fit Sacramentum* . . . „ Quare manifeſtum eſt, quod non materialiter, ſed ſignificative a Chriſto ſumebantur. „ Et ideo dicendum eſt, quod etiam quando „ proferuntur a Sacerdote, ſignificative, & non „ tantum materialiter ſumuntur. Nec obſtat, „ quod Sacerdos ea recitative proferat, quaſi a „ Chriſto dicta; quia propter infinitam virtutem „ Chriſti, ſicut ex contactu carnis ſuæ vis regenerativa pervenit non ſolum ad illas aquas, „ quæ Chriſtum tetigerunt, ſed ad omnes ubique „ terrarum, per omnia futura ſecula: ita etiam „ ex prolatione ipſius Chriſti hæc verba virtutem „ conſecrativam ſunt conſecuta a quocumque Sacerdote dicantur, ac ſi Chriſtus ea præſentialiter proferret. “ Quam doctrinam a SS. PP. D. Tho. hauſit, qui perpetuo docuerunt, ſermonibus Chriſti, ut in ejus perſona recitatis, fieri elementorum converſionem. Confirmavit & Eugenius IV. in Decreto dicens: *Sacerdos in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum*. Notanter tamen dixi in propoſitione, non *mere* hiſtorice a conſecrante pronuntiari. Nam & hiſtorice dici, licet negent aliqui Theologi, inter quos eſt Vaſquezius, probabilius exiſtimo, ut præcedentium in Canone verborum ſeries oſtendit, nempe illorum, *qui pridie quam pateretur &c.* & illa *ſimili modo poſtquam cœnatum eſt &c.* & intentio & ſtudium Eccleſiæ commemorandi, quod Chriſtus geſſit. Neque ulla prohibet abſurditas, eadem verba ſimul & ut ab alio dicta referri, & ut quid ſimile noviter ſignificantia uſurpari; quo pacto & Dominica Oratio ſimul & a Chriſto tradita memoratur, & orandi gratia a Sacerdote in Miſſa adhibetur: qui proinde etiam, dum verba conſecratoria pronuntiat, eodem modo ſe gerere putandus eſt, ac ſi diceret, Chriſtus Dominus accepit panem, dicens ſuper eum, quod ego in illius perſona profero, *hoc eſt corpus meum*. Nec diſſentit D. Tho. ſuper cap. 26. Matth. aſſerens, quod *dicuntur ſimul recitative, & ſignificative*.

Conſectarium Secundum.

II. Chriſtus Dominus in conſecratione panis particulam *enim* non adhibuit, quæ tamen in Calicis conſecratione prolata, teſte S. Matth., non eſt a Sacerdotibus ullo modo omittenda. Et quidem in prima conſecratione omiſſam a Chriſto patet manifeſte, reticetur enim ab omnibus Evangeliſtis, & a D. Paulo ad Cor. Adjecta tamen eſt ab Eccleſia ad ſermonis continuationem, & ut docet S. Th. q. 78. a. 2. ad 5. „ Hæc conjunctio enim ponitur in hac „ forma ſecundum conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, a B. Petro Apoſtolo derivatam “. Nunquam tamen dixi omittendam propter uſum, & præceptum Eccleſiæ. Quapropter voluntarie neglecta, vel omiſſa, etiam extra contemptum, omnium fere Theologorum judicio, lethale peccatum eſt, non excuſante levitate materiæ, quam in hujuſmodi circumſtantiis gravem omnes reputant, aliquibus dumtaxat benignioribus Theologis excuſantibus, qui tamen non ſunt audiendi, præcipue dum laxe docent, etiam omiſſam ex contemptu materiali, quia nimirum res levis eſt, non niſi levem culpam inducere.

Con-

Conſectarium Tertium.

III. Ex his, quæ diximus n. *6.* præced. Cap. pronum eſt colligere & in forma Calicis quænam ſint mutationes, tranſpoſitiones, omiſſiones, quæ formam corrumpere poſſunt. In illorum ſententia, qui omnia communis formulæ verba eſſentialia putant ad conſecrationem, non omnium tamen omiſſionem nullam, & invalidam efficere conſecrationem nonnulli arbitrantur: quia, inquiunt, licet ſint omnes de eſſentia, non eſt tamen de eſſentia, ut omnes explicite ponantur, quia in alio fortaſſis continentur. Exemplum exhibent Salmanticenſes, qui plus omnibus pro hujus ſententiæ pattocinio deſudarunt, in particula *ego* in Baptiſmo, & in Pœnitentiæ forma: quæ ſi quidem proferatur, eſt de eſſentia formæ; at omitti etiam poteſt ſine corruptione formæ, quia jam continetur in verbis *baptizo*, & *abſolvo*. Et hoc pacto putant tria illa verba, *æterni*, *myſterium fidei*, omiſſa non corrumpere formam, quia jam ſufficienter in aliis verbis contenta: quæ ratio, & doctrina quantum ſit extendenda, ipſi viderint. Qui autem ſola prima verba eſſentialia putant, præter corruptiones, & mutationes ſimiles priori formæ, nihil validitati officere cenſent, ſi quis ſcrupuloſus ſacerdos verba illa mala pronuntiatione, vel ignorantia inflecteret, dicens, *hoche eſte Cais ſanguiniſe mei*, cum in communi ſenſu probe intelligantur; licet ita proferentes ſe ridendos exhibeant, non ſine Sacramenti irreverentia, quam toto ſtudio vitare tenentur. Alias, quas verſant Theologi quæſtiones circa binas Sacramenti hujus formas, ut plane inutiles prætereo, cum ex poſitis doctrinis, & exemplis facile poſſint explicari: & etiam, ut optime animadvertit Franzoja, nulli in mentem venit, verba a Chriſto pro conficiendis Sacramentis inſtituta mutare; & ſi ex Diabolica impietate id in rariſſimo caſu fieri ſuſpicemur, nullum remedium ad Sacramentorum dignitati, & valori conſulendum relinquitur.

Conſectarium Quartum.

IV. Panis ſine vino, & vinum ſine pane, vel ante panem valide conſecrari poſſunt. Huic veriſſimæ doctrinæ adverſantur aliqui doctores memorati a D. Th. q. 78. a. *6.* qui, ut ipſe ſcribit „ dixerunt, quod hæ duæ formæ ſcilicet conſecrationis panis, & vini ſe invicem expectant in agendo, ita ſcilicet, quod prima non perficit ſuum effectum, antequam proferatur ſecunda. “ Cujus opinionis falſitas, & noſtræ veritas aſſertionis oſtenditur 1. ex facto Chriſti, qui peracta panis conſecratione, etiam antequam vini conſecrationem adjiceret, ſub illius ſpecie corpus ſuum adeſſe per verba de præſenti affirmavit. 2. Ratione a D. Th. l. l. a. *6.* adducta „ quia ad veritatem hujus locutionis, *hoc eſt Corpus meum*, requiritur præter verbum præſentis temporis, quod res ſignificata ſimul ſit tempore cum ipſa ſignificatione locutionis: alioquin ſi in futurum expectaretur res ſignificata, apponeretur verbum futuri temporis, non autem verbum præſentis . . . Significatio autem hujus locutionis, *hoc eſt Corpus meum*, completur ſtatim completa prolatione horum verborum. Et ideo oportet rem ſignificatam ſtatim adeſſe, quæ quidem eſt effectus hujus Sacramenti; alioquin locutio non eſſet vera “. 3. Ex abſurditate prædictæ opinionis, ſeu, ut juſtius eſt appellare, manifeſti erroris. Fieret enim, ut prima conſecratio irrita, atque fruſtranea redderetur ex contingentibus caſibus; ut ſi poſt illam repente moriatur Sacerdos, aut ſi alterius conſecrationis materia deprehendatur inepta, atque idonea, quæ opportune ſubſtituatur, præſto non ſit, aut aliis de cauſis ſine alicujus culpa fortaſſe occurrentibus. Quod ſi conſecratio panis independenter a ſequenti conſecratione Calicis firmitatem habet, vini quoque conſecratio, etiamſi præpoſtero ordine panis præmittatur conſecrationi, valebit, id poſtulante formæ ad eam adhibitæ ſignificatione, quæ eſt alia prorſus, ac independens ab alterius formæ veritate. Quod maxime perſpicuum eſt in caſu, quo panis conſecrationem irritam eſſe occulto materiæ vitio eveniret; ut comprobatur ex eo quod ſpecies vini conſecrationem ſuam retinent etiam conſumptis, aut corruptis ſpeciebus panis, quæ cum prioribus ab eodem Sacerdote, & ad idem ſacrificium aſſumptæ fuerunt. Nam quæ ſine alia manere poteſt conſecratio, cur non poterit & ante illam incipere, & perfici?

Conſectarium Quintum.

V. Valida eſt conſecratio vel panis, vel vini, licet fiat a Sacerdote unam tantum ſpeciem conſecrare volente. Noſtræ doctrinæ non aſſentitur Cardinalis de Lugo, qui defendit panem ſine vino, & vinum ſine pane invalide conſecrari, quoties Sacerdotis intentio ad alterutruam tantum conſecrationem determinata alteram ſubducere meditatur. Quæ tamen opinio eſt aliena a Theologorum communi ſenſu, & a principiis univerſim receptis. In omni ſiquidem Sacramento, ſi Miniſter intendat efficere, quod verba ſignificant, quodque de ſe efficere poſſunt circa materiam ſubjectam, illa intentio ſufficit ad effectum. Sicut Epiſcopus vere confert unum Ordinem etiam illi, cui in animo habet nunquam alium conferre. Si ergo velit Sacerdos ex pane Chriſti corpus efficere, etiamſi recuſet vini in Sanguinem converſionem adjungere, & ideo ſuper idoneam in Calice materiam requiſita verba non pronuntiet, cur, quæſo, ejus intentio carebit effectu? Quia, inquit de Lugo, intentio neceſſaria ad validam Euchariſtiæ confectionem debet ſaltem implicite totius Sacrificii, quod utraque ſpecie eſſentialiter, & ex Chriſti inſtitutione perficitur, integritatem atque perfectionem ſpectare. Concedimus, Sacrificium ex Chriſti inſtitutione utriuſque ſpeciei conſecratione indigere. Verum gratis de Lugo aſſumit intentionem totum peragendi ad ſingularum partium validam confectionem requiri; cum oppoſitum & hic, & in ſuperiori Conſectario, adducta rationum momenta plane evincant.

Conſectarium Sextum.

VI. Graviſſimo inquinaretur ſacrilegio, qui vel Panem ſine Vino, vel Vinum ante Panem conſecrare præſumeret. Ab omnibus hujus doctrinæ ve-

veritas admittitur, & oſtenditur ex Cap. *Comperimus* de Conſecrat. diſt. 2. ubi S. Leonis Papæ I. verbis dicitur: *Non poſſe abſque gravi ſacrilegio dividi Myſterium*. Idipſum ex praxi, & methodo perpetua Eccleſiæ cognoſcitur, ejuſque decretis, necnon ingenti ſollicitudine, ut ſpecies utraque conſecretur, vel alterius Sacerdotis opera ſubſtituta, ſi poſt unius conſecrationem celebrantem vel deficere, vel mori contingeret, ut Concil. Tolet. VII. decrevit. Unde etiam ordo in utraque conſecranda ſervandus elucet; quia cibus etiam in naturali refectione potum antecedit. Diſſentiunt tamen Theologi, num hæc utriuſque ſpeciei conſecratio injuncta ſit divino, vel ſolum Eccleſiaſtico præcepto. Solum hoc ſecundum agnoſcunt Alenſis, Adrianus, Major, & Auctores Summarum Tabienæ, & Piſanæ, aliique, quorum tamen opinio minus probabilis eſt habenda. Nam utriuſque ſpeciei conſecratio eſt 1. neceſſaria ad integritatem Sacramenti, quod Chriſtus ſub panis, & vini conjunctis ſpeciebus ideo inſtituit, ut ſub ſignis perfectæ, & abſolutæ refectionis corporalis, quam nec cibus ſine potu, nec potus ſine cibo præſtare intelligitur, integra, & perfecta ſpiritualis per Chriſti corpus, & ſanguinem alimoniæ repræſentatio haberetur: ideoque in una tantum ſpecie completa hæc ſignificatio nequaquam conſiſteret. 2. Eſt neceſſaria ad rationem ſacrificii, cujus interpoſita celebratione Sacramentum ipſum confici Chriſtus juſſit. Sacrificium enim iſtud (ut ſuo loco dicemus) eſt incruenta, & myſtica immolatio Chriſti Domini, ejus cruentam paſſionem, & occiſionem, ſeparatione Corporis a Sanguine peractam, quadam imagine repræſentans, quatenus vi, & ſignificatione verborum panis in ſolum Chriſti corpus convertitur, & vinum in Sanguinem (licet utrumque per concomitantiam ſub utraque ſpecie contineatur) ut ſic unius ab altero in ſigno, & Sacramento ſeparatio exhibeatur. Hæc autem intercidit repræſentatio, & mactatio myſtica, aut ſaltem obſcura redditur & involutior, uno verbo non qualem inſtituit Chriſtus, peragitur, una tantum conſecrata materia. His poſitis, ſtatim divinum de utriuſque materiæ conſecratione præceptum elicitur. Nam quæ ad integritatem Sacramenti, ſeu Sacrificii pertinere noſcuntur, ex Chriſti deſcendunt inſtitutione, conſequenter divinam ſecum deferunt juſſionem, quæ ulterius ex Concil. Tridenr. ſeſſ. 22. cap. 1. verbis evidenter eruitur. Ait enim ibi Concilium de Chriſto: „ Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſe„ dech ſe in æternum conſtitutum declarans, Cor„ pus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, „ & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem „ rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc Novi „ Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſume„ rent, tradidit; & eiſdem, eorumque in Sacerdo„ tio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit, per hæc „ verba: *hoc facite in meam commemorationem*, „ uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & do„ cuit “.

Quamobrem jure merito inferendum contra Gabrielem, Azorium, Henriquez, Fagundez, alioſque, nec a Summo Pontifice concedi poſſe, ut una ſpecies ſine altera conſecretur: nam præcepta, quæ ſunt juris divini abſolute, & immediate, nulla poſſunt humana poteſtate, qualis & Eccleſiaſtica noſcitur, auferri, minui, aut relaxari. Dixi, quæ ſunt juris divini *immediate*, *&* *abſolute*, ut ea exciperem, quæ ſub illo non comprehenduntur, niſi interveniente aliquo humano actu, ſeu voluntatis creatæ affectu, ut accidit in votis, juramentis, & contractibus, in quibus ideo diſpenſare poteſt Eccleſia, quia poteſt auferre materiam obligationis, ſeu actum humanum, ſuper quem illa cadit, irritum reddere. Hac igitur exceptione dimiſſa, verum eſt, illa, quæ nulla ſuppoſita conditione a divina auctoritate dimanant, qualis eſt conſecratio utriuſque ſpeciei, quæ eſt juris divini abſolute, immediate, & independenter, utpote ſine qua integritas Sacramenti, aut Sacrificii divinitus inſtituti ſtare non poteſt, diſpenſatoriæ Eccleſiaſticæ poteſtati non ſubjacere. Nec dicant, Summos Pontifices poſſe ſaltem hujuſmodi jura interpretari, & declarare illa in quibuſdam circumſtantiis non obligare. Non abnuo, ſi ea jura ſint obſcura, & indigeant interpretatione. At in caſu noſtro nimis apertum eſt præceptum de Sacrificio in utraque ſpecie peragendo, & conſequenter omnibus privatis, & publicis commodis illud præcedere; quod & ipſius Eccleſiæ judicio comprobatur, quæ neminem adhuc ab ejus obſervantia declaravit immunem. Nec fides adhibenda Volaterrano, qui in ſua Coſmographia narrat Innocentium VIII. permiſiſſe Norvegis ob vini penuriam, ut ſolum panem in Miſſa conſecrarent: cum nullum proferat de re univerſali, & perpetuæ Eccleſiæ conſuetudini plane adverſa, teſtimonium, nullum reperiatur monumentum, nullum extet veſtigium. Quin & hujus diſpenſationis nulla apparet neceſſitas, cum conſtet ex aliis Hiſtoricis, Norvegios vino aliunde traducto, quantum opus eſt, abundare, vel ſaltem non carere.

CAPUT SEPTIMUM.

De Euchariſtiæ tum conficiendæ, tum diſtribuendæ Miniſtro.

DOCTRINA.

I. *Soli Sacerdotes ſunt conficiendæ Euchariſtiæ Miniſtri.*
II. *Sicut & diſpenſandæ publice, & ſolemniter.*
III. *Diaconis hæc ſecunda poteſtas convenire poteſt.*
IV. *Non amplius hoc munus Clericis inferioribus, vel Laicis tribui poteſt.*
V. *Ad Euchariſtiam licite diſtribuendam & poteſtas juriſdictionis requiritur.*
VI. *Requiritur & ſtatus gratiæ.*
VII. *Requiritur immunitas a cenſura, & ſtatuti ritus obſervantia.*

I. Fide Catholica certum eſt, ſolos Sacerdotes eſſe conficiendæ, conſecrandæque Euchariſtiæ idoneos Miniſtros. Hoc ſiquidem dogma definitum legitur in Concil. Lateran. IV. ſub Innocent. III. quod de Euchariſtia loquens cap. 1. docet: *Hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui fuerit rite ordinatus ſecundum Claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus Jeſus Chriſtus.* Cui definitioni conformia decernunt tum Florentinum in De-

Decreto pro Armenis, tum Trident. ſeſſ. 23. cap. 4. ubi Lutheranorum errorem deteſtatur, qui omnes Chriſtianos promiſcue Novi Teſtamenti Sacerdotes eſſe, aut omnes pari poteſtate ſpirituali præditos affirmabant. Conſtat autem perpetua Eccleſiæ traditione, quæ reſervatam, & reſervandam ſolis Presbyteris, vel in ſuperiori gradu collocatis Epiſcopis Euchariſtiæ conſecrationem ſemper agnovit, docuit, ac prædicavit. Cujus teſtes ſunt S. Juſt. M., qui in Apol. 2. ſcribit: *Eum, qui fratribus* (ideſt Chriſtianis) *præeſt, rerum univerſarum Patri offerre per nomen Filii Euchariſtiam juxta mandatum Apoſtolis datum*: Tertull. lib. de Præſcript. qui hæreticos ab hac doctrina deſciſcentes, tanquam ordinis divinitus conſtituti, violatores, perſtringit: S. Cyprianus, qui in epiſt. 4. Sacerdotibus ad Martyres in carceribus Myſteriorum celebratione conſolandos introeuntibus cautela commendat: ſicut & omnes Patres, qui ea de cauſa Sacerdotum dignitatem ſupra ceteros Chriſtianos mirum in modum extollunt, quod Chriſti Corpus conficiendi polleant poteſtate. Legantur S. Baſilius lib. 2. de Baptiſmo cap. 8. S. Jo. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. & 5. S. Ambroſius lib. de eodem argumento, S. Gaudentius tr. 2. ad Neophytos, S. Hieronymus epiſt. 85. ad Evagrium, ubi Diaconos, alicubi ſe Presbyteris anteponentes his verbis caſtigat: *Quis patiatur Menſarum, ac Viduarum Miniſtrum, ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti Corpus, & Sanguis conficitur?* Et paſſim idem teſtantur ceteri Patres. Unde & Nicæna I. Synodus can. 18. abuſum in nonnullis locis inſurgentem, ut Diaconi darent Presbyteris Euchariſtiam, eliminandum juſſit hac adducta ratione: *Nec Canon, nec conſuetudo tradidit, ut qui offerendi poteſtatem non habent, iis, qui offerunt, dent Corpus Chriſti.* Accedit ad hanc illuſtrandam veritatem A. D. congrua ratio in a. 1. q. 82. ſcribens: „ Hoc Sacramentum „ eſt tantæ dignitatis, quod non conficitur ni„ ſi in perſona Chriſti .... Quicumque autem „ aliquid agit in perſona alterius, oportet hoc fie„ ri per poteſtatem ab illo conceſſam. Sicut au„ tem baptizato conceditur a Chriſto poteſtas ſu„ mendi hoc Sacramentum; ita Sacerdoti, cum or„ dinatur, confertur poteſtas hoc Sacramentum con„ ſecrandi in perſona Chriſti. Per hoc enim poni„ tur in gradu eorum, quibus dictum eſt a Domino „ Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemora„ tionem* ".

II. Diſpenſatio quoque publica, & ſolemnis Euchariſtiæ ſolis Epiſcopis, & Sacerdotibus eſt jure ordinario alligata. Veritas hujus doctrinæ, quæ communis eſt apud Theologos, patet ex verbis D. Pauli 1. ad Corinth. dicentis: *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*; inter quæ certe præcipuum locum tenet Euchariſtia. Itaque ſolemnis ejus adminiſtratio Apoſtolis, quibus Chriſtus in ultima Cœna dixit, *hoc facite in meam commemorationem*, eorumque ſaltem quoad Sacerdotalem dignitatem ſucceſſoribus devincta eſt, prout perpetua traditione innoteſcit. Ut enim ait Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 8. „ In „ Sacramentali ſumptione ſemper in Eccleſia Dei „ mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem „ reciperent, Sacerdotes autem celebrantes ſe ipſos „ communicarent ". Qui mos, tanquam ab Apoſtolorum traditione derivatus, jure ac merito retineri debet: unde & in Hymno de Chriſti corpore canitur:

Sic Sacrificium iſtud inſtituit,
Cujus officium committi voluit
Solis Presbyteris, quibus ſic congruit,
Ut ſumant, & dent ceteris.

Congruere autem triplici ex capite demonſtrat S. Th. hic q. 82. a. 3. 1. „ Quia (ſcribit) ipſe Sacer„ dos conſecrat in perſona Chriſti. Ipſe autem „ Chriſtus, ſicut conſecravit Corpus ſuum in Cœ„ na, ita & aliis ſumendum dedit. Unde ſicut ad „ Sacerdotem pertinet conſecratio Corporis Chriſti, „ ita ad eum pertinet diſpenſatio. 2. Quia Sacerdos „ conſtituitur medius inter Deum, & populum: un„ de ſicut ad eum pertinet dona populi Deo of„ ferre; ita ad eum pertinet dona ſanctificata di„ vinitus populo tradere. 3. Quia in reverentiam „ hujus Sacramenti a nulla re contingitur niſi con„ ſecrata, unde & Corporale, & Calix conſecran„ tur, & ſimiliter manus Sacerdotis; unde nulli al„ teri tangere licet ".

III. Diaconis quoque competere poteſt extraordinaria poteſtas diſtribuendi etiam ſolemniter Euchariſtiam. Et quidem hanc poteſtatem etiam Diaconis tribui poſſe colligitur ex S. Juſtino M. in Apol. 2. dicente: *Qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adſunt, panem, & vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt*. Et ex S. Cypriano in Serm. de Lapſis ajente: *Ubi vero ſolemnibus adimpletis, Calicem Domini Diaconus offerre præſentibus cœpit &c.* Nec non ex verbis S. Laurentii S. Pontificem Xiſtum ſic alloquentis, ut habetur ex ejus Actis: *Experire, utrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem*. Habet ſiquidem Diaconus aptitudinem, ut ad id muneris aſſumatur ex propria ordinatione; etenim dicitur cap. *Diaconus* Diſt. 33. *Diaconus, dum ordinatur, ad miniſterium conſecratur*, ſcilicet non ſoli Sacerdoti præſtandum, ſed & iis, qui de Sacrificio illius participare deſiderant. Extraordinarium tamen eſſe in Diacono hocce Miniſterium de Euchariſtiæ diſpenſatione, patet 1. ex dictis in præced. n. & ex capite 28. lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ Clementi Papæ I. tribuuntur, & quæ certe vetuſtiſſimæ ſunt, ubi de Diacono dicitur: *Diaconus non baptizat, non offert, oblatione vero ab Epiſcopo, aut Presbytero facta, ipſe Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, ſed tanquam qui miniſtrat Presbyteris*. Quia præſertim apud Latinos, non niſi abſente Presbytero, vel ejus juſſu, & neceſſitate impellente, licebat Diacono huic muneri ſe commiſcere. Concil. enim Arelatenſe can. 5. habet: *In Secretario Diacono inter Presbyteros ſedere non liceat, vel Corpus Chriſti præſente Presbytero tradere non præſumat*. Et can. 38. Concil. Carth. IV. ſtatuitur: *Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget*. Maxime autem hic caſus neceſſitatis in Eccleſia Occidentali deſideratur pro Euchariſtiæ ſub ſpecie panis diſtributione Diacono permittenda. Nam, ut obſervat S. Th. art. 3. qu. 82. ad 1. de Sancto Calice miniſtrare ipſi liberalius indultum fuit, „ eo quia, „ ait

„ ait S. Th., Sanguis Chriſti continetur in vaſe: „ unde non oportet, quod tangatur a diſpenſante (manibus non conſecratis) ſicut tangitur „ Corpus Chriſti: & quia Sanguis deſignat Redemptionem a Chriſto in populo derivatam; unde „ & Sanguini admiſcetur aqua, quæ ſignificat populum, intra quem, & Sacerdotem Diaconum „ medius eſt". Hinc, ex quo obſolevit Laicorum ſub utraque ſpecie Communio, Diaconorum opera, præſertim exiſtente tanta Sacerdotum copia, in Euchariſtiæ diſtributione ceſſaſſe omnino videtur. Quando vero etiam nunc temporis Diaconorum opera utilis eſſe poſſit, dicemus in Conſectariis.

IV. Licet olim inferioribus miniſtris, immo & ipſis de populo fidelibus conceſſum fuerit, vel ſibi, vel aliis Euchariſtiam miniſtrare; modo tamen Eccleſiæ lege omnino illis vetitum eſt. Inferioribus Clericis datam fuiſſe aliquando Euchariſtiam abſentibus deferendam, monumenta Eccleſiaſtica teſtantur. Ex Epiſt. enim Innoc. Papæ I. conſtat olim per Acolytos Euchariſtiam ad abſentes delatam, & de S. Tarſitio Acolyto, & Martyre referunt Martyrologia Adonis, Bedæ, Uſuardi, & Romanum ad 15. diem Auguſti, ipſum Sacramenta Corporis Domini deferentem, & Paganis occurrentibus, ac diſquirentibus prodere recuſantem, fuſtibus, ac lapidibus tandiu ab ipſis percuſſum, donec animam exhalaret. Quoad Laicos vero ex Euſebio lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 44. conſtat, ipſos aliquando Euchariſtiam miniſtraſſe. Narrat enim laud. lib. verbis Dionyſii Alexandrini, Presbyterum a Serapione ſene in extremis agente vocatum, cum morbo præpeditus eſſet, ſuo loco miſiſſe puerum, qui Euchariſtiæ buccellam aqua maceratam in os ſenis manu propria infunderet, quod revera præſtitit. Præterea notum eſt, perſecutionum tempore Laicis, & fœminis permiſſum fuiſſe domum Euchariſtiam aſportare, qua ſe quotidie adverſus ingruentia perſecutionum pericula reficiendo obarmarent; ut ex Tertull. lib. 2. ad Uxor. cap. 5., & ex S. Baſilio M. in epiſt. ad Cæſariam Patritiam, aliiſque veteribus conſtat. Immo & in publica Synaxi communicantes partem aliquam miniſterii obtinebant: non enim, ut nunc fit in Eccleſia, in ore accipiebant, ſed in cavo dexteræ manus a Sacerdote receptam ori admovebant, ut ex S. Cyrillo Hieroſolymit. Catech. 5. & Baſilio ubi ſupra, ex Theodoreto lib. 8. Hiſt. cap. 17., aliiſque intelligitur; ita tamen ut viri nuda manu (nam vaſcula, quantumvis pretioſa, Synodus Quiniſexta can. 105. prohibuit) fœminæ vero nitido linteolo cooperta recipiebant; ut ex S. Auguſtino ſerm. 122. & Altiſiodorenſis Concilii can. 36. colligitur. Sed diſciplina apud Latinos ab octingentis, & amplius annis ob Sacramenti reverentiam inducta, pluribus Eccleſiaſticis legibus corroborata, nedum Chriſti Corpus, ſed nec ſacra vaſa ſuis manibus attrectandi Laicis poteſtas eſt, ideoque nec ſibi, nec aliis Euchariſtiam porrigendi, aut diſpenſandi.

V. Ad licite conficiendam Euchariſtiam plura requiruntur, de quibus differemus Diſſertatione ſecunda de Sacrificio Miſſæ. Hic igitur ſolum ſermonem habebimus de licita adminiſtratione, ad quam nonnulla requiruntur. Et 1. quidem nedum poteſtas Ordinis, ſed & juriſdictionis, vel ordinariæ, qualis eſt in Parocho, & Superiore, vel delegatæ, hæc vel ab immediato Paſtore per licentiam expreſſam, aut tacitam, aut prudenter præſumptam, vel a ſupremo Hierarcha Romano Pontifice per privilegium, quale habent Regulares Euchariſtiam fidelibus in ſuis Eccleſiis miniſtrandi, excepta tamen Communione Paſchali, de qua ſatis diximus Tract. de Præceptis Eccleſiæ diſſert. 3. cap. 4. conſect. 9. & 10. & Viatico laicis moribundis, qui non ſunt de Familia, ut infra dicemus. Et ratio eſt de ſe plana, & manifeſta. Nam qui Euchariſtiam diſpenſat, ſpiritualiter paſcit. Porro fideles paſcere Paſtorum Eccleſiaſticorum officium eſt, quod ſine commiſſione ab eis accepta uſurpare injuriam gravem infert eorum muneri, & auctoritati.

Nec obſtat, Sacrificium Miſſæ eſſe de ſe, & intrinſece ordinatum ad colendum Deum, & paſcendum populum, qui jus habet, & quidem divinum ad Sacrificii participationem: hoc enim non impedit, quin pabulum præbendum ſit, & jus divinum illius participationis uſurpandum juxta Eccleſiæ leges, & diſciplinam, ſicut & ipſa Sacrificii oblatio legibus Eccleſiæ regitur, & ordinatur. Id patet manifeſte in Paſchali Communione, quæ, Eccleſiæ mandato, non in quocumque Templo, non in quocumque Altari, nec a quocumque Sacerdote peti, vel accipi poteſt; ſed in ſola propria Parochia, & a proprio Parocho, vel ab alio Sacerdote ab ipſo delecto, & ad hoc munus deſtinato. Confirmat alia lex Eccleſiæ vetans Regularibus, ne in die S. Paſchæ, ſive in Miſſa, ſive extra Miſſam, ſive impletum ſit, ſive non impletum præceptum Eccleſiaſticum Communionis, ſecularibus Euchariſtiam miniſtrent; licet eorum Miſſis & plures aſſiſtant, & fortaſſis aliqui etiam Communionem petant. Idem probant & plurium Epiſcoporum opportuna Decreta ſtatuentium, ne in privatis Oratoriis, ipſis inconſultis, vel repugnantibus Communio miniſtretur. Extra tamen prædictos caſus conceſſum eſt omnibus Sacerdotibus Communionem miniſtrare, quam petentibus in ipſo Sacrificio ob leve vitandum incommodum, vel ex mera pigritia negare ſine injuria non poſſunt. Dixi ob pigritiam: nam aliæ, & quidem plures occurrere poſſunt cauſæ, & juſta motiva denegandi Communionem in Miſſa etiam petentibus, cum jus divinum participandi de Sacrificio facultatem non tribuat, ut & ab hoc ſingulari Sacerdote, hoc determinato tempore, in deſignato loco de Sacrificio quis participet; præſertim ſi id vetent Eccleſiæ Præſules, vel nonniſi cum aliorum fidelium incommodo, turbatione, & offenſione miniſtrari poſſit.

VI. Requiritur etiam ſtatus gratiæ, ſine quo res tam ſacra, quale eſt Corpus Chriſti, ſancte ac digne, ut lex divina, & naturalis præcipit, tractari non poteſt. Hinc graviter peccare, diximus Tract. de Sacram. in gen. cap. 7. conſ. 3. Sacerdotem, vel Diaconum, vel Parochum, qui etiam ex neceſſitate hoc Sacramentum in ſtatu lethalis culpæ adminiſtrat. Solum inquirunt Doctores, num tot committat Sacerdos peccata, non ſolum quando pluries etiam uno mane Euchariſtiam diſtribuit (tunc enim conſentiunt omnes, tot multiplicari peccata, quot ſunt diſtributiones) ſed etiam quando una diſtributione pluribus adminiſtrat, quot ſunt Perſonæ com-

communicantes. Nos l. l. de Sacramentis in genere diximus, parum ad praxim conducere hujus quæſtionis qualemcumque determinationem, cum omnes, licet verbis diſcrepare videantur, re tamen conveniant: qui enim negant multiplicari peccata juxta numerum perſonarum, fatentur tamen ſacrum miniſtrum eo gravius peccare, quo pluribus adminiſtrat. At ſi rationum expendantur momenta, probabilior videtur ſententia, quæ aſſerit multiplicari peccata pro perſonarum numero. Et certe argumenta aliter ſentientium Theologorum non ſunt ad evincendum eorum intentum efficacia. Nam 1. dicunt aliqui, illa miniſtratio pluribus facta, eſt una actio moralis. At, ſi verbo *moralis* intellgant malitiam actionis, jam hæc eſt ipſa quæſtio, num videlicet illa tot habeat morales pravitates, quot ſunt perſonæ. Si autem intelligant actionem illam in communi exiſtimatione unam tantum haberi, concedimus quidem, at diximus in actione tali plures poſſe contineri malitias morales, cujuſmodi contingit in eo, qui uno actu interno odii pluribus perſonis mortem deſiderat, vel impudico deſiderio plures feminas liberas, uxoratas, affines deſiderat. Ita in noſtro caſu, una quidem eſt actio miniſtrationis; at plures ſunt miniſtrationes, ſicut plures ſunt perſonæ, quibus adminiſtratur. Alii, ut P. Fulgentius Cuniliati, dicunt numericam multiplicationem Sacramenti deſumi ex ſola multiplicatione refectionum; ac proinde, cum una ſit refectio, licet plures ſint, qui cibum reficientem ſumant, unum erit peccatum pluribus Euchariſtiam miniſtrare. Sed pius Auctor pro certo ſtatuit, quod plures Theologi, & quidem Thomiſtæ merito negant, & ut minus verum rejiciunt, ſcilicet Euchariſtiæ Sacramentum numero diſtingui ex unitate, vel pluralitate refectionum. Nam prævie ad quamcumque refectionem, ſeu ſumptionem Euchariſtiæ, Sacramentum, cum ſit permanens, exiſtit: quod autem exiſtit, vel unum, vel multiplex eſſe oportet: non poteſt ergo ejus unitas, vel multiplicitas ex numero refectionum deſumi. Præterea ſpecies conſecratæ a diverſis Sacerdotibus diverſis in locis, diverſis quoque temporibus, profecto diverſa ſunt numero Sacramenta; & tamen quid prohibet has omnes ſpecies in uno vaſe contentas ab eadem perſona continenter abſumi? At reponet forſitan Auctor, Sacramentum ſemper ſervat ordinem ad recipientes, & ſecundum hunc ordinem multiplicatur numero. Sed adhuc urget allatum argumentum: quia hoc pacto Sacramentum exiſtens Romæ, Viennæ, Venetiis, conſecratum a Sacerdotibus in Europa, in Aſia, in America, ante ſumptionem nonniſi unum numero eſſet; quo quid abſurdius? Præterea ordo ad unam, vel plures ſumptiones unde attendi debet? num ex divina inſtitutione, an ex ſola, & arbitraria Sacerdotis conſecrantis intentione? Si primum, diſtinctio numerica eſt myſterium ſoli Deo cognitum, nec a nobis perveſtigabile; quippe qui ſcimus generatim a Chriſto inſtitutum in ordine ad ſumptionem fuiſſe: utrum vero uni, vel pluribus, vel quot ſumentibus idem deſtinaverit eas, quas hic & nunc Sacerdos conſecrat, ſpecies, quis citra ſpecialem revelationem ſcire poterit? Quod ſi dicatur ex intentione Sacerdotis conſecrantis, qui ad unius, vel plurium uſum, & communionem in datis circumſtantiis decernit conficere Euchariſtiam, hujus numericam unitatem, vel multiplicitatem pendere, labimur in pejora. Nam 1. valor conſecrationis ſine hac intentione conſiſtit. 2. Fac Sacerdotem de nemine cogitantem, cui dandum ſit Sacramentum, nihilominus ſuper debita materia verba conſecrationis proferre, nonne verum Sacramentum conficit? Unum, quæſo, an multiplex? (alterutrum enim de eo quod vere exiſtit, dicendum eſt) cum nondum vel ab uno, vel a multis velle accipi determinaverit. Quid, ſi quod ille pro uno conſecravit, eo impedito, aut deficiente, alteri tradat, aut in multos ex inopinato apparentes, & poſtulantes diſtrahat; vel ſi quod pro pluribus confectum eſt, unius tantum uſui, reliquis dilabentibus, relinquere compellatur? An ſic a Sacerdotis conſilio & quidem fluctuante, & vario, a ſuſcipientium voluntate, a fortuitis caſibus pendet, ut Sacramentum Euchariſtiæ ex uno multiplex, ex multiplici unum evadat? Profecto hoc imaginari ab omni veriſimilitudine alienum eſt. A quo igitur, dices, deſumenda numerica diſtinctio, vel multiplicatio hujus Sacramenti? Reſp. ex phyſica ſpecierum conſecratarum penes quantitatem, ſeu extenſionem continuitate reſultare. Et ratio eſt in promptu; quia, ut ſuperius diximus, Euchariſtiæ Sacramentum in recto ſolum ſpecies conſecratas importat: igitur penes horum unitatem, vel numerum, unum, vel multiplex eſſe debet. Palam autem eſt, ipſas ſpecies ex phyſica ſuæ continuitatis ſimplicitate, aut diviſione unitatem, aut multiplicitatem nanciſci: nam antecedenter ad ſpecierum ſumptionem non aliud caput occurrit, unde Euchariſtiæ unitas, vel multiplicitas deſumatur, ut mox probavimus. At urgent Theologi. Quid hoc refert, ut multiplicari dicantur peccata a miniſtrante, quia vel plures ſunt, qui communicent, vel plura diſtribuuntur Sacramenta; cum ſemper verum ſit unum tantum, non multiplex eſſe convivium, licet & multi aſſideant, & plura ſint fercula, quæ apponuntur. Ergo unum peccatum in miniſtrante tale convivium. Præterea cui bono tanta multiplicare peccata, quando minui poſſunt? Sed reſp. ad 1. Convivium nomen eſſe etiam in uſu Scripturarum æquivocum: ſignificat enim modo appoſitos cibos, modo ciborum ſumptionem. Id apparet ex Evangelica parabola, in qua dicitur, Homo quidam fecit *cœnam magnam*, & *hora cœnæ* miſit ſervos, ut invitatos vocarent. Quomodo *cœna magna*, quomodo *hora cœnæ*, ſi nullus adhuc erat, qui cœnaret? Patet igitur ibi nomen cœnæ ſumi pro cibis præparatis, non pro ipſa comeſtione, ſeu cœnatione. Ita ergo in Euchariſtica communione habetur convivium ex ipſo parato cibo quod ſufficiens eſt non ſolum ad nutritionem, ſed ad augmentum, ad pinguedinem, ad oblectationem recipientis. Tot ergo ſunt convivia, quot ſunt ipſa fercula, quæ cuique apponuntur; & revera tot ſunt numero Sacramenta, quot ſunt diſtinctæ ſpecies, quæ diſtribuuntur. Patet itaque rationi magis congruum aſſerere tot multiplicari a Sacerdote miniſtrante peccata, quot ſunt perſonæ, quibus Sacramentum diſtribuit; quod certe numero multiplicatur juxta numerum perſonarum. Reſp. ad 2. non eſſe in noſtro poſitum arbitrio vel multiplicare, vel minuere peccata. Nam, quidquid dicamus, ut plura erunt, nec pauciora, quam Deus ipſe ſua

ſua ſapientia cognoſcit, & ſua juſtitia vindicabit, vel condonabit miſericordia. Sed dolemus ineptas afferri rationes, quæ ad hoc ſolum conducunt, ut horror peccati minuatur in Pœnitente, & qui in ſordibus eſt, tranquille ſordeſcat adhuc.

VII. Requiritur immunitas etiam a quacumque cenſura excommunicationis, vel ſuſpenſionis impediente Ordinis exercitium: qui enim illa innodatus præſumit miniſtrare, etiam irregularitatem contrahit. Servandæ ſunt etiam circumſtantiæ loci, temporis, & apparatus, ut dicemus in Conſectariis.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quo ritu Sacerdos ſacram Communionem recipere debeat.*
II. *Quo tempore vetitum ſit Euchariſtiam miniſtrare.*
III. *Non eſt vetitum extra Miſſam Communionem miniſtrare.*
IV. *Quinam ritus tunc ſint ſervandi.*
V. *Non licet plures hoſtias, vel majorem dare communicantibus.*
VI. *Non licet ſine licentia in privato Oratorio Euchariſtiam dare.*
VII. *Quando liceat Diacono Euchariſtiam præbere.*
VIII. *In extremo vitæ quibus conceſſum ſit omnibus Viaticum miniſtrare.*

Conſectarium Primum.

I. QUando Sacerdotes ſacram recipiunt Euchariſtiam, ſtolam a collo pendentem geſtare debent: ita enim Rubricæ præcipiunt, nec ſine culpa omitteretur hic ritus; cujus tamen omiſſio excuſari poteſt, ſi in promptu non ſit ſacra ſtola, vel tempus non eſſet requirendi. Diaconi quoque ſtolas in transverſum geſtare poſſunt. Conſuetudo tamen invaluit, ut ſine ea ad Communionem accedant, niſi actu in ſuo officio miniſtrent. Et revera Bened. XIV. de Sacrif. Miſſæ ſect. 2. cap. de Ritu ſuſcipiendi Euchariſtiam a Sacerdote, morem affert Sacerdotis recipiendi eam ſtola a collo pendente: at de Diaconibus omnino ſilet, ſicut & in Inſt. 38. ubi de Communione in die Cœnæ Domini, de ipſis nihil ſtatuit, aut docet. Num vero Sacerdos poſſit communicare ſeipſum, ſi Sacerdotem non habeat, a quo eam recipiat, omnes fatentur, urgente neceſſitate; ſed alii extra ipſam id concedunt Sacerdoti, duabus tamen conditionibus. 1. Niſi adſit Sacerdos, qui illam ei adminiſtret, licet forte ſit præſens Diaconus; quia ipſe Sacerdos eſt hujus Sacramenti ordinarius adminiſtrator, Diaconus vero ſolum extraordinarius. Immo in lib. de Synodo Diœc. affirmat Bened. XIV. non eſſe reprehendendum Sacerdotem, qui Viaticum ſuſcepturus, vellet ipſe ſuis manibus, annuente Sacerdote miniſtrante, ſacram hoſtiam accipere, & ori admovere: quod tamen extra hunc caſum non eſt dilatandum. At, ſi adſit Sacerdos, ab eo debet Communionem recipere. 2. Ut fiat ex rationabili cauſa, puta vel implendi præceptum Paſchale, ſi Sacerdos celebrare non poſſit, vel etiam ratione alicujus ſolemnitatis, in qua ſacro carere convivio Sacerdoti pio diſpliceret. Verum paſſim non eſt concedenda, nec privata devotio debet conſuetudini Eccleſiæ adverſari, quæ conſuevit etiam Sacerdotibus per Miniſtrum, & quidem ori admovendo ſacram Euchariſtiam miniſtrare.

Conſectarium Secundum.

II. Non licet nec in nocte Natalis Domini, nec Feria VI. in Paraſceve, nec Sabbato Sancto ſaltem extra Miſſæ ſacrificium, ſicut nec horis pomeridianis Euchariſtiam miniſtrare, niſi ad Viaticum præbendum. Et quidem in præfata nocte non licere probat Bened. XIV. de Sacrif. Miſſæ ſect. 2. c. 6. ex Clericato, & Meratio decreta exſcribens Sacræ Congregationis hoc vetantis. Decretum autem eſt hujuſmodi: „ Cum ſuperioribus diebus „ conſulta eſſet hæc Sacra Rituum Congregatio, „ an eſſet permittendum celebrare in media nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam „ ſucceſſive alias duas Miſſas, & in eis ſacram „ Communionem exhibere fidelibus illam depoſcentibus, reſpondit non eſſe permittendum, ſed „ omnibus utrumque prohibendum. Nihilominus „ nonnulli Regulares, aſſerentes hoc licere, ſupplicarunt audiri, & Sacra Rituum Congregatio „ ipſis auditis, cum Procuratoribus, & Advocatis, ad relationem Eminentiſſimi Palloti ſtetit „ in Decretis, & reſpondit, iterum prohibendum „ tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam „ confluentibus in media nocte ad Eccleſiam, & „ Communionem depoſcentibus ". Ita decrevit, & ſervari mandavit die 7. Decembris 1641. Licet vero mos olim fuerit etiam in die Paraſceve miniſtrandi Euchariſtiam fidelibus, ut teſtantur Mabillonius, & Martene, immo & modo, ut aſſerit Amatus Pougetius in ſuis Catholicis Inſtitutionibus Tom. 2. p. 84. *in quibuſdam Eccleſiis mos viget, ut Clerici omnes duobus biſce diebus* (ſcilicet Fer. V. in Cœna Domini, & in Paraſceve) *communicent; tamen ubique vetitum eſt in Paraſceve miniſtrare Euchariſtiam, tum ex conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, tum ex Decreto Congregationis Rituum, cujus licet non extet Regulam, ut ſcribit Meratius, non probat tamen editum non fuiſſe, & fortaſſe illud ex oblivione in ſyngraphis non recenſitum.* Tum denique ex ipſis Rupricis Miſſalis Romani jubentis, ut in Cœna Domini ſerventur particulæ pro infirmis. In Sabbato quoque Sancto licere Communionem miniſtrare probat Clericatus Deciſ. 15. de Sacramento Euchariſtiæ, quippe qui probare conatur nulla lege vetitum eſſe. Quod utique verum eſt de Communione in ipſa Miſſa diſtribuenda, ut de ſacrificio participent fideles, ſi velint. Verumtamen optime monet Bened. XIV. laud. Oper. de Sacrif. Miſſæ ſect. 2. cap. 6. non eſſe ullo modo recedendum a communi conſuetudine, nulli concedente Communionem, niſi infirmis per modum Viatici. Quoad horam vero recipiendi Euchariſtiam (excepto Viatico) ſicut pro Miſſa, ita & pro Communione fidelium ſtatutum eſt, ut non detur niſi ab aurora ad meridiem, ut ſuo loco de Sacrificio Miſſæ dicemus.

Conſectarium Tertium.

III. In ipſo Miſſæ ſacrificio decet ſacram Communionem petentibus miniſtrare; quam tamen juſta

ſta de cauſa præbere extra ipſam vetitum non eſt. Ita ſiquidem ſtatuit Romanum Rituale: „Communio autem populi ſtatim poſt communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, niſi quandoque „ex rationibili cauſa poſt Miſſam ſit facienda; „cum orationes, quæ poſt communionem in Miſſa dicuntur, non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad alios communicantes ſpectent". Et conformis eſt hic ritus veteri Eccleſiæ diſciplinæ, ut conſtat ex Ordine Romano, ex veteribus Sacramentariis, ac Liturgicis Libris, in quibus apparet Eccleſiam conſuevisse poſt celebrantis Sacerdotis communionem Euchariſtiam diſtribuere, primum Clericis juxta eorum Ordinum gradus, deinde Monachis, poſtmodum Diaconiſſis, ſacris Virginibus, & noviſſime populo petenti. Hinc merito Cardinalis Brancaccio opuſculo de ſacro Viatico dicit: „Damnandi noſtra ſententia videntur „Sacerdotes, qui contra Ritualis præſcriptum „præbent abſque neceſſitate populo ſacram Euchariſtiam in fine Miſſæ, privant enim Fideles „iis precibus, quæ poſt communionem Eccleſia „recitari jubet, quæque non ſolum ad celebrantem, ſed etiam ad cæteros communicantes aperte ſpectare noſcuntur". Quambobrem non licet ad placitum, & pro libito ſolum vel Sacerdotis miniſtrantis, vel fidelis petentis, vel ante Miſſæ inchoationem propere miniſtrare, vel poſt celebrationem differre. Ita docet & Natalis Alexander, & alii nobiliores Theologi. Ex juſta autem cauſa extra Miſſam communicare vetitum non eſt, ſi non ſit, qui Miſſam celebret, vel Sacerdos celebrans aliqua præpeditus infirmitate miniſtrare non poſſit: licet etiam poſt Miſſam communionem differre, quando tanta ſit Euchariſtiam petentium multitudo, ut in longum prolato fine Miſſæ auditores incommodum paterentur, ut docent Gavantus in Rubricis Miſſalis, Clericatus de Sacr. Euch. Deciſ. 20. Baruffaldus in notis ad Rituale Romanum tit. 24. §. 9. n. 78. & ſeq. Non eſt adminiſtranda Euchariſtia in Miſſa majore, dum in choro canitur vel Gloria in excelſis Deo, vel Credo. In Miſſis autem Defunctorum licet Euchariſtiam adminiſtrare ſaltem ex conſecratis in ipſa Miſſa.

Conſectarium Quartum.

IV. Quando extra Miſſam Euchariſtia miniſtratur, ſunt Eccleſiæ ritus ſervandi. Hujuſmodi ritus in Rituali Romano præſcribuntur, nimirum ut ſit Miniſter indutus ſuperpelliceo, & Stola, nec non duobus luminaribus accenſis, & præmiſſa generali confeſſione, & abſolutione, ac immittendo Sacram hoſtiam in os communicantis, adhibitis duobus digitis dexteræ manus, pollice ſcilicet, & indice. Et quidem, ſi ſermo ſit de communi modo, extra omnem caſum neceſſitatis adminiſtrandi hoc Sacramentum, cenſeo nullum ex ritibus omitti poſſe ſine gravi irreverentia erga tantum Sacramentum. Certe in communi etiam Clericali habitu, ſed ſine ſuperpelliceo, & ſtola adminiſtrare gravem culpam agnoſcunt fere omnes Theologi: quorum aliqui ſolum dubitant, ſi adhibito ſuperpelliceo deſit Stola, & plures hoc etiam modo graviter illicitum putant, cum ſtola ſit Sacerdotalis veſtis communiter in Sacramentis miniſtrandis adhibenda. Pari pacto non ſunt omittendi ceteri ritus, & cereorum accenſorum, & præmiſſæ Confeſſionis, & abſolutionis, cum ſint magni momenti, nec pro Sacerdotis commodo, libito, & voluntate omittendi. Nunquam eſt permittendum, ut, qui Sacerdotes non ſunt, in manibus Sacram hoſtiam accipiant, & ori admoveant, unico excepto caſu, nimirum ſi particula in ſinu fœminæ decidat: tunc enim permittendum eſt, ut ipſa ſuis manibus quærat, accipiat, ori admoveat, ut docet Bened. XIV. de Sacrif. Miſſæ p. 2. cap. 6. §. 6. Quod ſi in terram decidat inter Monialium Clauſuram, ipſa Monialis non manibus, ſed ore de terra ſumat, & communicet. Primi caſus ratio eſt neceſſitas: nam ſine manuum opera, & contactu Sacramenti non poteſt haberi Sacra Communio, nec decens eſt, ut manum apponat Sacerdos. Et S. Th. hic q. 82. art. 3. concedit laicis tangere Euchariſtiam in caſu neceſſitatis. Secundi ratio eſt reverentia Sacramento debita, quod nulli præter Sacerdotem, & Diaconum tangere licitum eſt; & haberi poteſt Communio ſine contactu laicæ manus. Adhibendi autem ſunt duo digiti, pollex, & index dexteræ manus. Quod ſi Sacerdos chiragra, vel alio morbo præpeditus ita miniſtrare non poſſit, non debet, ſi alius adſit Sacerdos, niſi gravi urgente neceſſitate, vel ſaltem gravi, & rationabili cauſa; puta ſi implendum eſſet Paſchale præceptum; ſi petens diu carere deberet ſumptione Euchariſtiæ: & quidem non ea ratione, quæ ab aliquibus affertur, nimirum ſolum præfatos digitos Sacro oleo fuiſſe inunctos, cum certo conſtet ex Pontificali Romano ambas, integraſque manus Sacerdotis ſacra unctione conſecrari. Sic enim jubet Pontificale: *Pontifex cum Oleo Catechumenorum inungit unicuique ambas manus in modum Crucis, producendo cum pollice ſuo dextero in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet a pollice dexteræ manus uſque ad indicem ſiniſtræ, & a pollice ſiniſtræ uſque ad indicem dexteræ, ungendo mox totaliter palmas.* En igitur, quomodo non duo ſoli digiti dexteræ manus index, & pollex, ſed & lævæ, immo & ambas manus conſecrantur, & actioni correſpondent verba *conſecrare, & ſanctificare .... manus iſtas.* Sed alia duplici ratione, 1. quia periculum eſt, ne aliis digitis adminiſtrata Euchariſtia in terram decidat. 2. Quia non eſt ſine neceſſitate, & gravi cauſa urgente a ritu ab Eccleſia præſtituto recedendum. Quod pariter intelligendum cenſeo de Sacerdote, qui non niſi ſedens poſſet Euchariſtiam diſtribuere; quod pariter cum majori difficultate eſt concedendum ex gravi cauſa, & neceſſitate urgente.

Conſectarium Quintum.

V. Non licet plures particulas uni communicanti eodem tempore tradere, vel majorem hoſtiam, vel particulam ipſius hoſtiæ a Sacerdote ſumendæ. Et primum quidem vetitum eſt Decreto Congregationis de Quotidiana Communione, adprobato a Venerabili Pontifice Innoc. XI. ubi ſic dicitur: *Epiſcopi Parochos, ſeu Confeſſarios inſuper admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas.* Nam ut docet S. Th. hic q. 79. a. 7. ad 3. „Ex hoc, quod Sacerdos plures hoſtias conſecrat „in una Miſſa, non multiplicatur effectus hujus „Sa-

„ Sacramenti; quia non eſt niſi unum Sacrificium: „ nihil enim plus eſt virtutis in multis hoſtiis „ conſecratis, quam in una, cum ſub omnibus, „ & ſub una non ſit niſi totus Chriſtus. Unde nec „ ſi aliquis ſimul in una Miſſa multas hoſtias con- „ ſecratas ſumat, participabit majorem effectum „ Sacramenti “. Proinde talis uſus, ſeu deſiderium plures hoſtias, vel unam ſolita majorem recipiendi ſuperſtitionem, vel ſaltem ſupinam ignorantiam redolet. Quod pariter dicendum de illo, qui vellet communionem ſumere ex illa eadem hoſtia majore, quam Sacerdos pro ſe ipſo conſecravit, & ſumere debet; cum & hoc ſuperſtitionem redoleat. Sed quid, ſi quis petat communionem, nec adſint minores formæ, vel conſecratæ, vel conſecrandæ, licebit ne illi partem hoſtiæ majoris per Sacerdotem pro ſe conſecratæ tribuere? Reſpondeo cum Juvenino ex Rituali Pariſienſi, id non licere, niſi urgente neceſſitate, vel gravi de cauſa, cujuſmodi non eſt cenſenda ſola devotio communicantis. Sic itaque dicitur in præfato Rituali: *Si deſit minor hoſtia, Sacerdos de majore, qua utitur ad Sacrificium, particulam non frangat, niſi ad communionem ejus, qui eſt in periculo mortis, vel alia gravi cauſa*. Si deſint minores formæ, conſecrari poterunt majores, & illas in partes diviſas communicantibus diſtribuere, diviſione facta vel ante, vel poſt conſecrationem, ut celebranti magis videbitur expedire, eritque illi opportunum.

Conſectarium Sextum.

VI. In privatis domeſticis Oratoriis ſine Parochi ſaltem licentia Euchariſtiam adminiſtrare non conceditur. Oppoſitum quidem non contemnendis argumentis defendit Clericatus in Deciſ. de Sacr. Euchar. deciſ. 8. qui cenſet, conceſſo privilegio Oratorii privati poſſe in eo Celebrantem Euchariſtiam a ſe conſecratam diſtribuere. Immo id videtur conceſſum in Decreto S. Congregationis Concilii Innoc. XI. juſſu edito, ubi dicitur num. 10. „ Doceant Epiſcopi in Eccleſiis, *ſeu Oratoriis pri-* „ *vatis* ex diſpenſatione, ſeu privilegio Summi „ Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam SS. „ Euchariſtiam, nec eam ullo modo deferendam „ in crumena, aut ſecreto tam ad exiſtentes do- „ mi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, „ qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta ac- „ cedere non valent. Et ad eos ſi ab Eccleſia de- „ feratur, publice cum pompa juxta formam Ri- „ tualis; ſi vero ab *Oratorio privilegiato*, cum „ forma decenti “. In quo Decreto, ut patet, nulla eſt mentio de licentia ſive Parochi, ſive Epiſcopi petenda. Nihilominus cum in pleriſque Diœceſibus, & præcipue Romana, & Bononienſi, teſte Lambertino Inſt. 39. & 53. n. 1. 2. conſuetudo ſit invecta non miniſtrandi Euchariſtiam niſi de licentia vel Parochi, vel Epiſcopi, ubi hujuſmodi, ſive lex, ſive conſuetudo vigeat, eſt ſancte ſervanda. Et certe Parochi licentia requiritur, cum Sacramenta adminiſtrare ſit Parochialis juris, & in Brevi conceſſionis privilegii pro domeſtico Oratorio clauſula ſit appoſita *ſine quorumcumque jurium Parochialium præjudicio*. Quapropter non videtur licitum privato Sacerdoti in privato Oratorio ſine ipſius conſenſu Euchariſtiam diſtribuere. Quod ſi Epiſcopus hanc conceſſionem ſibi reſervet, nec ipſi Parocho licebit. Standum eſt igitur legi, & conſuetudini Diœceſum.

Conſectarium Septimum.

VII. Licet Diacono, deficientibus Presbyteris, vel Parocho injuſte denegante, Viaticum morituro miniſtrare; at non æque licitum apparet ratione magnæ ſolemnitatis, & concurſus populi, deficientibus Presbyteris, Diaconos ſubrogare. Primæ noſtræ propoſitionis parti conſentiunt plerique, & nobiliores Theologi: quia cum tunc urgeat Divinum præceptum de Euchariſtia ſumenda, & habeatur ſaltem extraordinarius Miniſter idoneus ad eam miniſtrandam, nulla apparet erga Sacramentum irreverentia, nec eccleſiaſticæ diſciplinæ diſconvenientia. Alteri vero parti adverſari videntur nonnulli Theologi benigniores, qui cenſent in præfatis caſibus Diaconos aſſumere ad miniſtrandam Euchariſtiam licere. At illis conſentire non audeo, quia privata populi devotio cedere debet Eccleſiaſtica ritibus, & invaleſcenti diſciplinæ, quæ Euchariſtiæ non concedit adminiſtrationem Diaconibus, niſi in caſu urgentis neceſſitatis. Præterea, ut optime advertit Franzoja, ſi hujuſmodi eventus prævideatur, facile eſt ſine Diaconorum Miniſterio in tanta Sacerdotum frequentia, populi devotioni, & concurſu conſiſtere. Si ex improviſo, facile etiam ab uno Sacerdote plurimis diſtribui poteſt, & præſertim ſi aliæ Eccleſiæ functiones, puta Concio Sacra, muſicus concentus brevientur. Denique conſultius foret ad aliam diem ſolemnitatem protrahere, quam inſolitum adhibere Diaconorum miniſterium. Videant tamen illi, ad quos pertinet, quid magis videatur & divino cultui, & populi ſpirituali bono decentius, & opportunius, in caſu ceteroquin rariſſimo.

Conſectarium Octavum.

VIII. In extremo conſtitutis licet cuique Sacerdoti Euchariſtiam miniſtrare; nunquam tamen Subdiaconis, vel inferioribus Clericis, multoque minus Laicis. Viaticum moribundis præbere jus eſt omnino Parochiale, quod nullus ſibi uſurpare poteſt; proinde nec Regulares Viaticum adminiſtrare poſſunt, cum nullum niſi apocryphum Privilegium producere valeant: immo illis hoc expreſſe vetitum eſt in Clement. tit. 38. c. 1. *Religioſis extra propriam Eccleſiam, vel Monaſterium Euchariſtiam ad communionem deferre non licet*. At urgente neceſſitate, & deficiente Parocho, vel injuſte denegante, ex lege Caritatis, ſicut ceteri Sacerdotes omnes, poſſunt, & tenentur proximi ſpirituali neceſſitati ſubvenire: ſiquidem ſi cuique Sacerdoti conceſſum eſt Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare; pari jure & illi conceſſum cenſetur urgente neceſſitate & Viaticum præbere. At nec in pari caſu, & neceſſitate unquam licet Subdiacono, vel inferioribus Clericis, multo minus Laicis hominibus Euchariſtiam miniſtrare; quia licet olim, ut ſuperius vidimus, permiſſum fuerit Laicis & ſecum Euchariſtiam deferre, & etiam aliis miniſtrare; modo tamen hæc diſciplina eſt omnino mutata. Et ideo S. Th. qui permittit Laico ſpecies conſecratas *e loco immundo contingendo extrahere*,

non permittit tamen infirmo diſpenſare. Nec præceptum divinum de Viatico ſumendo urget, quoties impleri non poteſt ſervatis Eccleſiæ ritibus, & ſi legitimus deſit Miniſter. Solum itaque Summi Pontificis indulto cenſent plures Theologi, quod olim Laicis permittebatur, nunc quoque poſſe concedi juſtis de cauſis. Sic Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ, ab Angliæ Regina Eliſabetha Catholicæ Religioni infenſiſſima in carcere detentæ, narratur a Sancto Pio V. conceſſum, ut SS. Sacramentum ad ſui uſum in capſula retineret, quo & ſemetipſam manibus propriis cibavit, antequam capite obtruncaretur. Et hic adnotare lubet, nec Regularibus, nec aliis Sacerdotibus conceſſum, inſcio Parocho, prima vice pueros a ſe inſtructos Sacræ Menſæ admovere; hoc enim quoque ad jus Parochiale pertinet: ſicut enim ad ipſum dumtaxat pertinet vitam ſpiritualem dare per Baptiſmum; ita & pertinet ad alimoniam hujus vitæ eos admittere: & quemadmodum ipſi ſoli competit poſtremum Viaticum dare; ita & ipſi competit primum Viaticum præbere. Nullus itaque præſertim ex Regularibus hoc munus ſibi arroget. Inſtruant quidem pueros, & piis exhortationibus ad ſacram menſam diſponant: at ad illam eos accedere non ſinant, niſi proprio Paſtori ſe ſiſtant, & ab eo ad Sacram Euchariſtiam admoveantur, quam etiam ipſe ſua manu exhibere deberet, & communicaturus prima vice ab eo humiliter poſtulare.

CAPUT NONUM.

De Subjecto Euchariſtiæ.

DOCTRINA.

I. *Quodnam ſit ſubjectum idoneum Euchariſtiæ ſumendæ.*
II. *Non licet Infantibus Euchariſtiam miniſtrare.*
III. *Energumenis non eſt deneganda Communio.*
IV. *Num & perpetuo amentibus ſit danda Communio.*
V. *Imbecillibus, & ſemiſatuis, nec non mutis, & ſurdis non eſt abſolute deneganda Communio?*
VI. *In morte pœnitentibus non eſt deneganda Euchariſtia.*
VII. *Mortuis non eſt danda Euchariſtia.*

I. OMnis, & ſolus homo viator, & baptizatus, ac in ſtatu gratiæ conſtitutus, eſt ſubjectum capax Euchariſtiæ fructuoſe ſumendæ. Ex dictis in tract. de Sacram. in gener. jam oſtendimus, pro ſolis hominibus, & quidem viatoribus, Sacramenta inſtituta fuiſſe; proinde ſolos homines, ſicut ceterorum Sacramentorum, ita & Euchariſtiæ utiliter ſuſcipiendæ eſſe capaces, in quibus tamen Baptiſma præſupponitur, cum per ejus characterem idonei fiant ad cetera ſuſcipienda Sacramenta. Eſt etiam Euchariſtiæ Sacramentum vivorum, proinde gratiæ ſtatum poſtulat. Et revera ſpiritualis vita, ad quam Euchariſtia noſcitur inſtituta, non poteſt conſervari, & augeri, niſi in homine capaci, & indigente talis augmenti, ideoque viatore; in homine jam ſpiritualiter nato, adeoque baptizato; denique in homine ſpiritualiter vivo, adeoque in ſtatu gratiæ exiſtente; ut fuſius oſtendemus, ubi de diſpoſitionibus ſermo erit.

II. Licet olim infantibus baptizatis valide, & utiliter Euchariſtia miniſtrata fuerit; modo tamen in Eccleſia Latina ea invaluit diſciplina, quæ vetat ante annos diſcretionis Euchariſtiam pueris miniſtrare. Et quidem valide, ac utiliter ſuſcipi poſſe etiam ab infantibus Euchariſtiam ex præcedenti conſtat aſſertione; cum nulla in illis deſideretur conditio ad utiliter hocce Sacramentum recipiendum: ſunt enim homines viatores, & in gratia conſtituti per Baptiſmum, & defectum actualis voluntatis ſupplet conſenſus interpretativus Eccleſiæ, immo illorum, quibus ſubjacent, quique eis miniſtrant, formalis; ſicut in eorumdem baptiſmo ſufficit offerentium, & Miniſtrorum intentio. Hinc per duodecim ſecula (licet Maldonatus ad ſolum ſex prima ſecula coarctet) tam in Orientali, quam in Occidentali Eccleſia inolevit conſuetudo, ut infantibus ſub ſpecie vini infunderetur in os Euchariſtia ſtatim poſt Baptiſmum. Teſtes hujus conſuetudinis III. Seculo ſunt S. Cyprianus lib. de Lapſis, IV. Seculo S. Ambroſius de initiandis cap. 8., V. Seculo S. Auguſtinus epiſt. 217. ad Vitalem; VII. VIII. IX. & X. Concilium Tolet. XI. Ordo Romanus, Jeſſe Ambianenſis Epiſcopus in epiſt. ad Sacerdotes, duo MMSS. Codices ab Hugone Menardo in Notis ad Sacramentarium Sancti Gregorii citati, Rodulphus Ardens in ſermone pridie Paſchatis habito. Tandem XII. ſeculo nondum ubique in Occidente deſiiſſe Hugo a S. Victore lib. 1. de Sacram. cap. 20. indicat, ajens: „ Pueris recens natis idem Sacramentum in ſpecie Sanguinis eſt miniſtrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter fugere poſſunt . . . . ſi ſine periculo fieri poteſt ". Qui tamen ibidem notat, alicubi a Presbyteris, antiquæ conſuetudinis ſpeciem retinentibus, ſed non rem, & veritatem, dari eis loco ſanguinis vinum. Immo hunc morem etiam nunc obtinere apud Græcos conſtat ex Euchologio etiam nunc a Græcis adhibito, in quo communio infantium præſcribitur, nec non ex Arcudii Græci lib. de Sacram. Euchariſtiæ cap. 40. conſona teſtificatione. Hunc autem morem tandiu in Eccleſia etiam Latina ſervatum, attenta temporum ratione, licitum, laudabilemque fuiſſe agnoſcit Tridentina Synodus ſeſſ. 21. cap. 4. ſcribens: *Non eſt damnanda antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit; ut enim Sanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt &c.* A XII. autem ſeculo ea conſuetudo abolita omnino eſt, cum in Ritualibus latinis, ab eodem ſeculo ſcriptis, nulla habeatur de infantium communione memoria. Et ideo Sanctus Thomas ad vigentem hanc XIII. Seculi diſciplinam reſpiciens ſcribebat, hic quæſt. 80. art. 9. ad 3. „ Infantibus non eſſe Sacramenta danda, quamvis quidam Græci contrarium faciant ". Et revera Calicis uſu, Laicis apud Latinos non amplius communi (videlicet a XII. ſeculo) infantum quoque Communio, quæ aliter, quam ſub ſpecie vini commode peragi poterat, ceſſare debuit. Porro hæc veteris moris abrogatio circa infantium communionem induxiſſe quoque prohibitionem graviter obligantem præſumitur, pueris ante rationis uſum Euchariſtiam impertiendi; ideoque pec-

cati

cati mortalis reum fore Sacerdotem, qui eam talibus porrigeret, utpote in re graviſſima Eccleſiæ praxi adverſantem, communis Theologorum ſententia non ambigit. Potuit vero Eccleſia Occidentalis, non obſtante antiquiori conſuetudine, pueros, donec annos diſcretionis obtingerent, atque a Paſtoribus edocti, ac probati fuiſſent, nedum eximere a Sacra Menſa, ſed & arcere. Immo laudabiliter ſe geſſit in hac veteris diſciplinæ innovatione ad conſulendum reverentiæ Sacramenti, ad cujus ſuſceptionem nulla præcepti divini, aut medii neceſſitate illos noſcebat adſtrictos, qui baptiſmalem gratiam ob ætatis impotentiam nequeunt amittere, ut advertit Trid. Syn. l. cap. 4. ſeſſ. 21. præſtat enim Euchariſtiam decenter, atque devote, & cum uberiori proventu ab adultis accipi, quam innocentes pueros aliqua gratiæ ad ſalutem minime neceſſariæ acceſſione donari.

III. Energumeni a Sacra Menſa non ſunt excludendi, dummodo & uſu fruantur rationis, & devote, ac reverenter poſſint accedere; licet olim eis fuerit denegata, præter quam in vitæ exitu, & fortaſſis non ratione ſtatus, ſed cauſæ. Et certe in Oriente morem viguiſſe primis ſeculis arcendi Energumenos a ſacra Menſa, colligunt Recentiores eruditionis Eccleſiaſticæ indagatores ex Can. 78. illorum, qui Apoſtolici audiunt, nec non ex Auctore Conſtitutionum Apoſtolicarum, qui lib. 4. teſtatur, adveniente oblationis tempore Diaconos alta voce clamare conſueviſſe: *Omnes Catechumeni, omnes obſeſſi diſcedite*, & ex Can. 29. Illiberitani Concilii, & etiam ex Auctore libri de Eccleſ. Hierar. cap. 3. & D. Joan. Chryſoſtomo hom. 3. & 4. de Incomprehenſibili Dei natura. Non tamen certum eſt, Energumenos ab Euchariſtia depulſos ratione talis obſeſſionis; ſed quia, ut obſervat S. Th. nondum erant baptizati. Quamobrem putat in laudatis Canonibus, & in libro de Eccl. Hier. ſermonem haberi de Energumenis adhuc Catechumenis, ut dicit in IV. ad Anibaldum diſt. 9. a. 9. ad 2. vel de illis Energumenis, qui ob aliquod inſigne crimen a Dæmone torqueri cognoſcerentur, ut ſenſit in IV. ſent. diſt. 9. q. 1. art. 5. quæſtiuncula 3. ad 2., vel fortaſſis etiam lata fuit lex, vel invecta conſuetudo pro illis, qui a dæmone in furorem ſubinde agerentur, & de quibus timendum eſſet, ne ſuis inconditis motibus, & clamoribus Sacrificio turbarent. In morte vero nunquam illis denegatam Euchariſtiam, manifeſtum facit Can. 37. Illiberitanæ laud. Synodi ſtatuentis: *Eos, qui ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet; ſi vero fideles fuerint, dandam eis eſſe Communionem*. Contrariam autem conſuetudinem & olim in pluribus Eccleſiis obtinuiſſe, & nunc quoque obtinere deducitur ex can. 4. I. Synodi Arauſicanæ V. Seculo celebratæ ſic ſtatuente: *Energumeni jam baptizati, ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſollicitudini Clericorum tradant, monitiſque obtemperent, omni modo communicent, Sacramenti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu dæmonum, quo infeſtantur, vel purgandi, quorum jam oſtenditur vita purgatior*. Joannes quoque Caſſianus a D. Th. loco cit. ad Anibal. laudatus Collat. 7. cap. 29. & 30. apud Orientales in more fuiſſe teſtatur, Energumenos adverſus dæmonis impetus, ſacra Communione munire, cui hæc addit diſerte: *Eis, qui ab immundis vexantur ſpiritibus, Communionem Sacroſanctam a ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam*: quod non parum memoratam paulo ante Angelici Doctoris interpretationem confirmat. Jam vero ab illo tempore eandem ad nos uſque perduraſſe diſciplinam dubitationi non ſubeſt: eamque, ut vidimus, D. Th. cui ceteri ſubſcribunt Theologi, in locis laudatis tuetur.

IV. Perpetuo amentibus olim, ſaltem in fine vitæ, concedebatur Euchariſtia, extra tamen expuitionis, ſimiliſque irreverentiæ periculum; ſed modo non eſt illis danda, niſi tempore lucidi intervalli, cupientibus, & diſpoſitis, vel ſaltem poſt illud cum ſenſu pietatis decurſum, ſi de vita periclitarentur. Quemadmodum olim, ut n. 2. diximus, mos erat Eccleſiæ infantibus Euchariſtiam miniſtrare, ita & perpetuo amentibus; neque enim pejoris conditionis iſti habebantur: quapropter ut can. 18. Concil. Arauſ. ſtatuitur: *Amentibus quæcumque ſunt pietatis conferenda Sacramenta*. At in præſenti Eccleſiæ diſciplina extra mortis caſum, ſolum rationis uſu fruentes ad hujus Sacramenti ſuſceptionem admittuntur, in quibus videlicet alicujus devotionis, & reverentiæ præſumi poſſunt affectus. Dixi extra mortis periculum: nam urgente extremo vitæ agone ſtatuit Concil. Carthag. IV. can. 76. dari poſſe, indicens: *Is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuit, vel in phreneſim converſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; &, ſi continuo credatur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia*. Et confirmat S. Th. hic q. 80. a. 9. communi accedente Theologorum conſenſu ſcribens: Si prius, quando erant compotes ſuæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, niſi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis". In hujus doctrinæ confirmationem canonem recitat Concilii Carthagin. quem dedimus. S. D. ſententiam adprobavit & Catechiſmus Romanus de Euchar. n. 64. docens: *Si antequam in amentiam inciderint, piam, & religioſam animi voluntatem præſetulerint, licebit eis in fine vitæ, ex Concilii Carthaginenſis Decreto, Euchariſtiam adminiſtrare; modo vomitionis, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum nullum timendum ſit*. Ex quo infertur, tum ex D. Th. tum ex Catechiſmo, perpetuo amentibus non dandam Euchariſtiam, nec in fine vitæ ,, quia in eis (inquit A. P.) nullo modo præceſſit hujus Sacramenti devotio", & juxta Catechiſmum, amentibus, qui tunc a pietate alieni ſunt, Sacramenta dare minime decet. Caute tamen Sacerdos advertere debet, ne amentibus, qui etiam pie petierant, vel deſideraverant, in animum veniat ſacram hoſtiam expuendo repellere; proinde, niſi moraliter certus ſit de deglutitione, non miniſtret.

V. Semifatuis, menteque imbecillibus, ſicut & ſurdis, ac mutis non eſt abſolute deneganda Euchariſtia. Nam hujuſmodi ſemifatui, ſeu imbecilles non prorſus luce carent rationis; ſiquidem & peccandi capaces ſunt. Quamvis autem perfecta diſcretione non polleant, & aſſimilentur adoleſcentibus inexperti, atque immaturi judicii; poſſunt tamen aliquam hujus Sacramenti devotionem concipere, quibus pro-

proinde tum in vita, ſi aliquando ſenſu pietatis inveniantur imbuti, tum maxime in deceſſu e vita expedit tantum bonum non denegare. Ita docet S. Th. l. q. 80. a. 9. ſcribens: „ Aliqui di„ cuntur non habere uſum rationis dupliciter. „ Uno modo, quia habent debilem uſum ratio„ nis; ſicut dicitur non videns, qui male videt. „ Et quia tales poſſunt aliquam devotionem hu„ jus Sacramenti concipere, non eſt eis hoc Sa„ cramentum denegandum ". Muti vero, & ſimul ſurdi ab aliquibus Theologis omnino ab Euchariſtiæ ſumptione repelluntur, quippe quos in eadem claſſe cum fatuis, & ratione deſtitutis reponunt. At quamvis plerumque prædictos intelligentia deſtitui, & in fide erudiri non poſſe contingat; experientia tamen compertum eſt, id non eſſe univerſaliter verum, & nonnullos inveniri, qui per nutus, & motus viſibiles, ſeu palpabiles de rebus etiam in ſe difficillimis inſtruuntur. Non debent igitur, qui tali vitio laborant, indiſcriminatim a ſacra Communione repelli, ſed debet Parochus attente expendere, quid in aliis rebus humanis valeant, quam præſeferant mentis intelligentiam, quam vitam gerant, num devotionem aliquam, & pietatem oſtendant, & juxta has diſpoſitiones vel dare, vel ſubtrahere Euchariſtiam.

VI. Omnibus in morte pœnitentibus, licet graviorum ſcelerum reis, ſi Euchariſtiam petant, mos eſt Eccleſiæ eam non denegare, ſicut nec ipſis reis publico ſupplicio damnatis; quamvis in Galliis, & Hiſpaniis contraria vigeat diſciplina. Antiquitus reis quorumdam graviſſimorum criminum, etiam in vitæ diſcrimine poſitis, denegatam fuiſſe Euchariſtiam teſtantur plures Canones Illiberitani Concilii, & S. Cyprianus Martyr epiſt. 52. ad Antonianum, ubi in Africa mœchos, & adulteros ad Eccleſiæ pacem, adeoque & Communionem, nunquam recipi conſueviſſe teſtatur. Et licet idem S. Martyr, habito Coepiſcoporum Concilio, rigorem hujuſmodi temperaverit; eis tamen, qui Pœnitentium numero ſe aggregare neglexerint, neque, ſi infirmitate urgente, poſtulaſſent, præbendam Communionem permiſit: *quia*, inquit, *rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio impellit; nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*. Quod & Arelatenſe I. Concil. confirmavit, ſtatuens in ult. Canone: *Apoſtatis, qui ſe Eccleſiæ non præſentarunt, nec pœnitentiam agere curarunt, ſi poſtea infirmitate correpti petunt pœnitentiam, placuit eis non dandam Sacram Communionem, niſi revaluerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ*. Immo eruditiſſimi Viri Petavius, Albaſpinæus, Joannes Morinus, aliique plures cenſent, illos quoque, qui poſt actam pœnitentiam publicam in eadem atrocia crimina relabebantur, alicubi locorum intra Eccleſiam Catholicam, a ſocietate chriſtiana perpetuo excluſos fuiſſe, adeoque & ab Euchariſtiæ participatione repulſos. Verum ſeverior hæc diſciplina, quæ nunquam ubique, & ſpeciatim in Eccleſia Romana obtinuit, Nicænæ Synodi can. 13. ſublata fuit, quæ juxta Dionyſii Exigui interpretationem generaliter indixit: *Omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi gratiam Communionis tribui, Epiſcopus ex oblatione dare debebit*. Idem conſtituerunt Innoc. I. in ep. ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum; Siricius in epiſt. ad Himerium Tarraconenſem cap. 5. Gregor. II. epiſt. ad Bonif. Innoc. III. extra. de Pœnitentia, & Remiſſ. cap. *Quod inde*, dicens: *In illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus, Viaticum etiam, quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipſum decedentibus denegetur*. Quoad reos vero ultimo ſupplicio afficiendos, in Galliis communionem illis denegari tradunt indigenæ Auctores, Tournelius, & Juveninus. In Hiſpaniis quoque hunc eundem morem, a ſe tamen improbatum, ſuo tempore viguiſſe teſtatur noſter Dominicus Soto in IV. diſtinct. 12 quæſt. 1. artic. 11. Nonnulli tamen poſteriores Auctores fidem faciunt nunc temporis deſiiſſe. At in aliis omnibus Eccleſiis contrariam omnino diſciplinam ſemper viguiſſe, nec hujuſmodi reis denegatam fuiſſe Euchariſtiam oſtendunt Conciliorum Moguntini, & Vormatienſis decreta. Nam in priori Concilio IX. ſeculo celebrato in can. 7. dicitur: *Quæſitum eſt ab aliquibus fratribus de iis, qui in patibulo ſuſpenduntur pro ſuis ſceleribus: poſt confeſſionem Deo peractam, utrum cadavera eorum ad Eccleſiam deferenda, ſicut & oblationes pro eis offerendæ, & Miſſæ celebrandæ, an non? Quibus reſpondimus, ſi omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & vere pœnitentibus communio in fine ſecundum Canonum inſtitutum danda eſt: cur non eis, qui pro peccatis ſuis pœnam externam perſolvunt?* Contendit quidem Gaſpar Juveninus *Communionis* nomen hic poſitum ad abſolutionis beneficium reſtringi. Verum gratis omnino, inutiliter: nam eo, quo hæc Concilia agebantur, tempore iſtud vocabulum Euchariſtiam potiſſimum deſignabat; & præterea probabile non videtur eis unquam ab Eccleſia Euchariſtiam denegatam, quos abſolutione Sacramentali non reputaſſet indignos. In Galliis enim ideo olim denegabatur Euchariſtia, quia & abſolutio ipſa non dabatur, ut patet ex Caroli VI. Francorum Regis Pariſino edicto ſub finem XIV. Seculi dato, quo ad petitionem Eccleſiaſticorum virorum ſublata fuit durior conſuetudo eiſdem neque abſolutionem Sacramentalem impertiendi. At cum circa Euchariſtiam illo edicto nihil ſtatutum ſit, perſeveravit mos Euchariſtiam denegandi.

VII. Mortuis hominibus non eſt danda Euchariſtia. Invaluit olim abuſus tum in Oriente, tum in Occidente Euchariſtiam cum defunctorum corporibus ſepeliendi, prout ex Amphilochio in vita S. Baſilii cap. 8. & D. Greg. M. lib. 2. Dial. cap. 24. aliiſque ſcriptoribus hujuſmodi inconſultæ devotionis exempla referentibus intelligitur. Sed illum funditus evertere curarunt plura Concilia, nimirum Carthaginenſe V. ſub finem IV. ſeculi celebratum decernens: „ Placuit, ut corporibus defun„ ctorum Euchariſtia non detur: dictum eſt enim „ a Domino: *Accipite, & edite*: cadavera vero „ nec accipere poſſunt, nec edere ". Quod Decretum renovarunt Concilium Altiſiodorenſe can. 2. Trullanum can. 80. Rejiciendi ſunt quoque a ſacræ Menſæ participatione, nedum Pagani, & Judæi, ſed & ipſi Catechumeni, quippe qui nondum ſpiritualem vitam per Baptiſmum ſunt conſecuti. Nec audiendus Marſilius, qui putat Catechumenis dari poſſe Euchariſticum cibum, præſidium ſui erroris quærens in verbis Innoc. III. cap. 3. de Presbytero non baptizato dicentis: *Sacramentum conjugii*,

jugii, *& Euchariſtiæ a non baptizantis recipi poteſt*. Hæc enim verba, præterquam non aſſerendo, ſed diſputando a Pontifice dicta ſunt, exponi poſſunt, & debent de ſumptione materiali Euchariſtiæ, non vero de Sacramentali, quæ ſcilicet ad ſpiritualem animæ nutritionem ex opere operato prodeſſe valeat.

CAPUT DECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Sacrilegium committit*, *qui cum lethali peccato Euchariſtiam ſumit*.
II. *Quomodo ſint a Sacra Menſa publici Peccatores repellendi*.
III. *Non licet ſimulare adminiſtrationem Euchariſtiæ*.
IV. *Quando repellendus*, *qui publicus peccator uno in loco*, *& occultus in altero hic petit*.

Conſectarium Primum.

I. GRaviſſimo polluuntur Sacrilegio, qui cum conſcientia lethalis peccati, etiam dubia, ad ſacram ſumendam Euchariſtiam accedere præſumunt. Nullus profecto eſt, qui ambigat de hujus veritate doctrinæ, quam aperte tradit Apoſtolus ad Corinth. 1. cap. 11. „ Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis „ Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de „ pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim „ manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini ". Eamdem veritatem confirmat S. Th. etiam de conſcientia mere dubia, ſcribens 4. ad Anibaldum Diſt. 9. a. 2. in corp. „ Si alicui accedenti „ ad Sacram Communionem dictat conſcientia, „ quod ſit in peccato mortali, peccat mortaliter; „ quia cuilibet conſcientia dictat, quod immundus Sacramentorum participatione indignus eſt. „ Unde quicumque cum conſcientia peccati mortalis ad Euchariſtiam (quæ eſt Sacramentum Sacramentorum) accedit, contra conſcientiam agit. Nec differt quantum ad hoc, utrum habeat certam conſcientiam, vel cum dubitatione; „ quia qui dubitat, diſcrimini ſe exponit: ſi autem „ ſit aliqua levis cogitatio, quæ *dubitationem* non „ inferat, contrariis rationibus repulſa, non impedit Euchariſtiæ perceptionem; impedit autem, ſi dubitationem inferat, quantumcumque „ levis ſit ". Sed de hoc iterum ſequenti capite.

Conſectarium Secundum.

II. A Sacra Menſa repellendi ſunt publici Peccatores, niſi de eorum pœnitentia, & emendatione conſtet, & publico ſcandalo ſatisfecerint. S. Th. hic q. 80. a. 6. publicos peccatores in duas dividit claſſes, nimirum, qui publici ſunt notitia facti, & qui notitia juris: „ Quidam (ſcribit) „ manifeſti ſunt per evidentiam facti, ſicut publici uſurarii, aut publici raptores; vel etiam per „ aliquod judicium eccleſiaſticum, vel ſeculare ". His autem peccatoribus alterutro modo publicis, notiſque denegandam eſſe Euchariſtiam, ſive publice, ſive privatim, & occulte petant, res eſt apud omnes Theologos omnino certa, & a D. Th. comprobata ſcribente l. l. „ Manifeſtis peccatoribus non debet etiam petentibus dari ". Et teſtimonium adducit S. Cypriani epiſt. 1. lib. 10. *Pro dilectione tua conſulendum me exiſtimaſti*, *quid mihi videatur de hiſtrionibus*, *& Mago illo*, *qui apud vos conſtitutus*, *adhuc in artis ſuæ dedecore perſeverat*, *an talibus Sacra Communio cum ceteris chriſtianis debeat dari*. *Puto nec Majeſtati divinæ*, *nec Evangelicæ diſciplinæ congruere*, *ut pudor*, *& honor Eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur*. Quinam autem ſint hujuſmodi publici peccatores a Sacra Communione repellendi, declarat Rituale Pariſienſe his verbis: *Arcendi ſunt publice indigni*, *quales ſunt nominatim excommunicati*, *interdicti*, *manifeſteque infames*, *ut Meretrices*, *Concubinarii*, *Comœdi*, *Fœneratores*, *Magi*, *Sacrilegi*, *Blaſphemi*, *& alii ejus generis peccatores*, *niſi de eorum pœnitentia*, *& emendatione conſtet*, *& publico ſcandalo prius ſatisfecerint*. Quod & confirmat Rituale Romanum. His addit etiam A. P. illos, qui ex fama publica gravem ingerunt de ſua turpitudine ſuſpicionem. Scribit enim in IV. diſt. 9. q. 1. art. 3. „ Quod ſi ſit ſuſpicio procedens ex fama publica, non debet ei „ dari Communio, neque in occulto, neque in „ manifeſto ". Hic tamen advertendum, ſi reus aliquis capite damnatus ob crimen illi impactum, quod tamen perfracte inficiatus eſt, Sacerdotem acerſeat ad ſuam excipiendam confeſſionem, debet accerſitus Miniſter accurate expendere tum ex modo confitendi, tum ex contritione, quam oſtendit, tum ex reſponſionibus ad interrogata, num vere ſit innocens: quod ſi de ejus innocentia prudenter dubitet, jam dubitat etiam de veritate, & ſinceritate Confeſſionis, proinde nec abſolvere debet, nec ad Communionem admittere, ſi occulte petat. At, ſi manifeſte, denegare non poterit, licet abſolutionem non dederit; tunc enim notitia ex confeſſione accepta uteretur, & ille, licet ſit pertinax in negando crimine, tamen cum pœnitentiæ publica indicia præbuerit, & Sacerdotem admittendo, & illi ſe confeſſione ſubjiciendo, non ſe notorie in peccato perſiſtentem oſtendit; proinde deneganda illi non eſt publica Communio. Unde ſubdit D. Thom. „ Si autem ſit ſingularis ipſius Sccerdotis ſuſpicio, *quantumvis violenta*, „ debet dari in publico, *ſed non in occulto* ". Quod ſi prudenter, divino invocato lumine, ejus deprehendat innocentiam, non obſtante publica infamia, abſolutionem impertiri poterit, & Communionem exhibere. Legatur Breve Bened. XIV. ad Clerum Gallicanum anni 1756.

At ſi peccator occultus ſit, & publice petat, non eſt illi deneganda Communio, exemplo Chriſti, qui Judam proditorem a ſui Corporis communione non repulit; & imitatione Eccleſiæ, quæ ſimilem ſervavit ſemper circumſpectionem, ne illorum famæ, qui jus ad illam retinent, detrimentum inferatur, Sacramentum denegando. Hinc ſubdit S. Th. l. l. „ Si vero peccatores ſunt occulti, „ non poteſt eis petentibus Sacra Communio denegari. Cum enim quilibet Chriſtianus ex hoc „ ipſo, quod eſt baptizatus, ſit admiſſus ad dominicam Menſam, non poteſt ei jus ſuum tolli, „ niſi pro aliqua cauſa manifeſta ". Si vero occul-

te petat, ſubdit D. A. „ debet & denegare, & „ monere, ne in publico petat, quia peccato oc„ culto pœnam inferens publicam, *revelator eſt* „ *Confeſſionis*, vel proditor criminis “. Ex quibus poſtremis verbis A. P. patet, peccatori, cujus indignitas ex ſola ejus confeſſione innoteſcit, non eſſe denegandam Communionem, ne odioſum reddatur Sacramentum. Quare merito damnata fuit ab Innoc. XI. propoſitio, quæ aſſerebat: *Scientia in confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multo gravius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur*. Et confirmat Bened. XIV. de Synodo lib. 7. cap. 11. n. 6. Num autem metu mortis liceat peccatori publico Sacram Communionem dare, expendimus P. P. de Sacr. in gen. cap. 6. num. 10. omnino legendo.

Conſectarium Tertium.

III. Non licet peccatori occulto, etiam publice petenti, Hoſtiam non conſecratam exhibere, vel ſimulare datam, licet ſubtractam. Hanc quoque veritatem oſtendimus lo. laud. n. 11. & hic confirmamus adducto D. Thom. teſtimonio Quodl. 5. art. 12. in corp. ſcribentis: „ Veritati non eſt a„ liqua fictio adjungenda; quia *nulla eſt conventio* „ *lucis ad tenebras*, ut Apoſtolus dicit 2. ad Co„ rinth. 6. Et propter hoc Auguſtinus probat in „ lib. 83. quæſt. “ quod Corpus Chriſti non fuit „ phantaſticum, quia veritas, quæ eſt Chriſtus, „ non potuit fallere. Et ideo in Sacramentis Ec„ cleſiæ nihil eſt per fictionem agendum, & præ„ cipue in Sacramento Altaris, in quo totus Chri„ ſtus continetur. Eſſet autem quædam fictio, ſi „ hoſtia non conſecrata loco conſecratæ daretur “. Quæ fictio pariter haberetur, ſi in publica Communione alicui ficte porrigeretur hoſtia, quaſi eam eſſet recepturus, quam mox Miniſter ſubtraheret.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui uno loco publicus eſt peccator, etiam ſola notorietate facti, ſi alibi, ubi occultus eſt, Communionem publice petat, a Miniſtro indignitatem ejus ſciente jure repelli poteſt. Huic doctrinæ adverſantur nonnulli Theologi, qui cenſent, repelli non poſſe; quia cum eo loci ſit occultus peccator, jus habet ad ſuam famam. Verum quam ſtatui opinionem, puto probabiliorem, & eam docent Suarez, & Bonacina, quibus adhæret & Concina. Nam, ut diximus tract. de Præceptis Decalogi part. 8. cap. 3. reg. 7. num. 17. jus ille ad famam amiſit, proinde injuſtitiam minime violat, qui ejus crimen alibi detegit: & licet ſequente Conſect. 7. oſtenderimus, illum contra Caritatem peccare, qui ejus crimen in loco, ubi occultum eſt, manifeſtat; tamen hæc regula hic locum non habet: nam tunc ſolum qui ſine juſta cauſa crimen pandit, caritatem violat; non vero qui id facit juſtiſſima urgente ratione, cujuſmodi eſt, ne quis graviſſimo ſacrilegio Deum offendat: ex caritate enim tenemur Dei offenſam, quando poſſumus, impedire, & avertere; & ſuæ imputet temeritati, & iniquitati, qui famæ umbra, qua tegitur, juſte ſpoliatur. Duo tamen ſunt animadvertenda, 1. nimirum, ut certus ſit nullam ab illo peractam pœnitentiam, nullam habitam emendationem criminis, pro quo de facto in loco infamis erat: quod ſi merito credere poſſit pœnitentem illum & emendatum, repellere non poterit ſaltem ſine Caritatis læſione. 2. Ut prius privatim, ſi poſſit, moneat, ne publice petat; alioquin publice repellendus, ſi admonitus audeat ad Sacramentum accedere.

CAPUT UNDECIMUM.

De Præcepto ſumendi Euchariſtiam, & de uſu licito, & frequenti ejuſdem.

DOCTRINA.

I. *Datur divinum præceptum de Euchariſtia ſumenda.*
II. *Quod obligat & per ſe, & per accidens.*
III. *Obligat in mortis articulo.*
IV. *Impletur præcepto ſola unius ſpeciei ſumptione.*
V. *Nec aliter licet a non celebrantibus ſuſcipi.*
VI. *Juſte præcipit Eccleſia, ut non celebrantibus ſola panis ſpecies detur.*
VII. *Extat & præceptum Eccleſiaſticum de ſumenda Euchariſtia.*
VIII. *Frequens Euchariſtiæ uſus pius ex ſe, & laudabilis.*
IX. *Quibus ſit concedendus.*
X. *Quotidiana Communio non eſt de facili concedenda.*

I. DAtur divinum præceptum omnes adultos adſtringens ad ſumendam Euchariſtiam non ſolum ſpiritualiter per deſiderium, ſed realiter per Sacramenti ſumptionem. Certa eſt hæc noſtra doctrina omnium fere Theologorum conſenſu, & non obſcure traditur a Tridentino, ubi ſeſſ. 13. cap. 2. ait: „ Salvatorem noſtrum in Euchariſtiæ ſum„ ptione recolere nos ſui memoriam *præcepiſſe*, „ ſuamque annuntiare mortem, donec ad judican„ dum mundum veniat “. Etenim qui præcepiſſe creditur, ut per certum opus fiat commemoratio beneficii a ſe impenſi, ipſum quoque opus mandaſſe non dubitatur. Colligitur vero ex illo textu Jo. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Nam ſive Chriſtus per hæc verba comminetur mortem ſpiritualem non communicantibus; ſive denunciet vitam ſpiritualem aliter conſervari non poſſe; ex utrolibet ſenſu divini præcepti graviter obligantis exiſtentia deducitur; nequit enim illa, ſine quibus ſupernaturalis vita conſervari non poteſt, ille qui vult omnium ſalutem, omnibus non præcipere. Dixi ad homines adultos hoc præceptnm determinari: quoniam infantes præcepti capaces non ſunt, nec illis eſt Euchariſtia medium abſolute ad ſalutem conſequendam neceſſarium; & certe Chriſti verba *niſi manducaveritis &c.* reſpiciebant adultos. Audiatur D. Thom. qui aſſertionem noſtram ſua auctoritate & doctrina confirmat; ſcribit ſiquidem hic q. 80. art. 11. in corp. „ Duplex eſt modus perci-

„ pien-

„ piendi hoc Sacramentum, ſcilicet ſpiritualis, & „ Sacramentalis: Spiritualis manducatio includit „ votum, ſeu deſiderium percipiendi hoc Sacramentum. Et ideo ſine voto, ſeu deſiderio percipiendi hoc Sacramentum non poteſt homini eſſe ſalus: „ fruſtra autem eſſet votum, niſi impleretur, quando opportunitas adeſſet. Et ideo manifeſtum eſt, „ quod homo tenetur hoc Sacramentum ſumere „ non ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato „ Domini dicentis Lucæ 22. *Hoc facite in meam* „ *commemorationem* ". Quæ Chriſti verba etiam ab Apoſtolo 1. ad Corinth. recitata, nedum ad Sacerdotes, ſed etiam ad Laicos, de quorum præſertim Communione in laud. epiſtola agit Apoſtolus, diriguntur. Vel ſi immediate ad Sacerdotes in Apoſtolis repræſentatos, mediate tamen etiam ad reliquam multitudinem ſunt referenda: fruſtra enim prioribus Dominus impoſuiſſet, ut diſtribuerent aliis, quod ipſi acceperant, niſi ad accipiendum reliquos obſtrinxiſſet.

II. Porro hoc divinum præceptum obligat & per ſe & per accidens juxta aliorum præceptorum normam. Et quidem *per ſe*, quando ex divino hoc præcepto teneantur fideles ad Euchariſtiæ ſumptionem, facile non eſt definire. Certe ut laxæ, & falſæ ſunt rejiciendæ Theologorum ſententiæ, qui docent ſolum ſemel in vita, & ſemel in morte obligare præceptum communionis ſumendæ; vel qui non niſi ſingulis quinquenniis, ut de præcepto virtutum Theologicarum aſſeruere, quæ doctrina fuit ab Eccleſia proſcripta. Verum cum Eccleſia Communionis annuæ legem impoſuerit, hoc pacto & divinum obligare præceptum cenſendum eſt; neque enim frequentius nos divinitus obligari, quam Eccleſia determinaverit, ſaltem generaliter loquendo, credibile eſt. Per accidens vero urget hoc præceptum vel ex particularibus alicujus Ordinis decretis, & Conſtitutionibus reſpectu illorum, qui præfatis Ordinibus nomen dedere; vel generaliter illos, qui vehementioribus obnoxii tentationibus, & periculis ad conſervandam Dei gratiam uberiori indigent hujus Sacramenti ſubſidio, ſicut quædam corpora ſæpius, quam alia, nutrimento refici neceſſe habent.

III. Urget præceptum divinum ſumendæ Euchariſtiæ in articulo mortis. Communis eſt ſententia, quæ ſolum pauciſſimis non placet: & probatur ex perpetua Eccleſiæ ſolicitudine, ne diſceſſuri ex hac vita, quamvis alioquin a Sacra Menſa ob delicta nondum plene expiata repulſi, ſalutari hoc viatico deſtituerentur; licet ſeveriori diſciplina, in aliquibus tamen dumtaxat Eccleſiis, communio denegaretur iis, qui gravioribus criminibus rei publice agnoſcerentur, ſicut & illis, qui in vita nunquam pœnitentiam amplexi, eam in morte efflagitarent, juxta S. Cypriani regulam, *non eſt dignus in morte recipere ſolatium*, *qui non cogitavit ſe moriturum*. Verum hæc rigidior diſciplina obſolevit, & modo pia Mater Eccleſia nulli vere pœnitenti etiam in extremo agone conſtituto ſalutarem cibum denegat; ut fuſius oſtendimus cap. præced. num. 6. Confirmatur noſtra aſſertio etiam theologica ratione. Quia res aliqua præcepta pro eo maxime tempore indicta intelligitur, quo uſus ejus eſt maxime neceſſarius ad finem præcepti exequendum. Porro Euchariſtia maxime in mortis articulo eſt neceſſaria, cum tunc potiſſimum homo ſeſe Deo, & Chriſto per dilectionem conjungere, atque contra ſalutis ſuæ hoſtes ſeſe defendere debeat; adeoque gratia nutriente, & corroborante, & caritatem accendente, quæ per Euchariſtiam confertur, maxime indiget. Tunc igitur hujus Sacramenti præceptum divinitus impoſitum urget.

IV. Impletur divinum præceptum etiam Corpus Chriſti ſub unica panis ſpecie ſumendo. Adverſantur Huſſitæ, Lutherani, & Calviniſtæ, contra quos noſtræ doctrinæ veritas in pluribus definita fuit Conciliis, Conſtantienſi ſeſſ. 13., Baſileenſi ſeſſ. 30., & Tridentino Seſſ. 21. can. 1. indicente, & ſtatuente: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis, omnes, & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere*; *anathema ſit*. Et revera ex Scriptura evangelica patet, quæ ſolum panem Euchariſticum accipientibus id omne, quod utramque ſpeciem ſumentes conſequuntur, repromiſit; ajebat ſiquidem Chriſtus, *qui manducat hunc panem*, *vivet in æternum*; &, *qui manducat me*, *& ipſe vivet propter me*; &, *ſi quis manducaverit ex hoc pane &c.* quod certe non conſequerentur, ſi alteram ſpeciem omittentes, legem Dei violarent. Confirmatur etiam ex Apoſtolorum Actis cap. 2. ubi primorum fidelium Communio ſub una tantum ſpecie uſitata memoratur: *erant*, inquit, *perſeverantes in doctrina Apoſtolorum*, *& communione fractionis panis*. Apoſtolus, quoque Paulus 1. ad Corinth. 11. ſub disjunctione pronuntians, *quicumque manducaverit panem hunc*, *vel biberit calicem Domini indigne &c.* indicat, licuiſſe alteram tantum ſpeciem accipere. Traditio quoque catholicam doctrinam confirmat, quæ unius duntaxat ſpeciei ſumptionem divino implendo mandato ſufficientem ſemper agnovit: nam, ut omittam infantibus poſt Baptiſmum Euchariſtiam ſub ſola vini ſpecie infundi conſueviſſe, ut colligitur ex S. Cypriano lib. de Lapſis, & Hugone a S. Victore; ad infirmos pro Viatico ſolam ſpeciem panis deferri, atque ad hunc uſum in Eccleſiis aſſervari conſueviſſe, diſcimus ex Euſebio Cæſar. lib. 6. Hiſtor. cap. 44., a Paulino Diacono in vita S. Ambroſii, a Gregorio Turonenſi Miracul. lib. 1. cap. 86. Item ſub ſpecie panis perſecutionum tempore domi Euchariſtiam a fidelibus pro quotidiano uſu retineri permiſſum, haurimus ex Tertul. lib. 2. ad uxorem cap. 5. ex Sancto Cypriano de Lapſis, ex S. Hieronymo ep. 30. ad Pammachium, ex S. Baſilio M. epiſt. ad Cæſariam Patritiam. Immo & in publicis Synaxibus communicandi ſub ſola ſpecie panis factam populo poteſtatem demonſtrant Leonis M. & Gelaſii Pontificum Summorum Decreta, quibus illi ad detegendos Manichæos, vino pertinaciter abſtinentes, qui, ut Romæ tutius laterent, ſe Catholicis in Eccleſiaſticis cæremoniis immiſcebant, utriuſque ſpeciei ſumptionem juſſerunt. Denique veritatem evincit conſuetudo in Fer. 6. Majoris Hebdomadæ, qua Sacrificium ſemper intermiſſum teſtatur Innocent. I. epiſt. 1. cap. 3., Corpus Chriſti ſine Sanguine, vel ab ipſo Sacerdote officium celebrante ſumendi, ut patet ex Sacramentario Greg. M. ac Officio illius Feriæ: qui mos longe frequentior apud Græcos, utpote ſervatus toto Quadrageſimali tempore, præter dies

Do-

Dominicos Sabbata, & Feſtum Annuntiationis in Miſſis, quas vocant Præſanctificatorum. Hæc vero conſuetudo evincit, Eccleſiæ nunquam perſuaſum fuiſſe, utriuſque ſpeciei ſumptionem ei, qui Sacrificium non celebrat, divinitus imperatam.

V. Immo Miſſæ Sacrificium non celebrantibus non alio modo licet hoc divinum implere præceptum, etſi olim ſub utraque ſpecie & laicis communicare conceſſum fuerit. Et ut ab hoc, quod poſteriore loco dixi, exordiar, nemo eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria hoſpes adeo, & tyro, qui ignoret in publicis Synaxibus per plura ſæcula, & fere ad 13. uſque, Laicis quoque Sanguinis ex Calice communionem conceſſam fuiſſe; cum id conſtet ex Auctorum teſtificationibus, qui per totum dicti temporis ſpatium de Sacra Communione ſcripſere. Legantur SS. Juſtin. M. 2. Apolog. Cyprian. lib. de Lapſis, Cyrill. Hieroſoly. Catech. 5. Myſtagogica, Chryſoſt. de Jejunio, & hom. 83. in S. Matth. Leo Papa ſerm. 4. in Quadr., Gelaſius Papa, Ordo Romanus &c. Et quidem XI. Chriſti ſeculo adhuc vigebat mos iſte: nam Paſchalis Papa II. in epiſt. 2. quæ eſt ad Pontium Cluniacenſem Abbatem, & Urbanus Papa II. in can. 28. Concilii Claromontani præcipiunt, Corpus, & ſanguinem ſeparatum communicantibus tradi ad corrigendum abuſum, qui & VII. Seculo a Bracarenſi IV. Synodo reprobatur (ſed a ſeptingentis fere annis apud Orientales ita obtinens, ut in legitimum morem tranſierit) utrumque conjunctum, puta ſpeciem panis ſacroſancto Sanguine intinctam porrigendi. XII. vero Seculo Sugerius Abbas S. Dionyſii in vita Ludovici Craſſi Francorum Regis deſcribit, hunc Principem in extrema ſua infirmitate utraque eccleſiaſtica ſpecie ſe ſe munientem. Immo ſeculo quoque XIII. nondum ubique eandem diſciplinam ceſſaſſe teſtis eſt S. Th. qui obiit anno 1274. Nam in art. 12. q. 80. quærens, *utrum liceat ſumere Corpus Chriſti ſine Sanguine*, affirmantem partem hoc argumento tuetur. *Contra eſt multarum* (non dicit omnium) *Eccleſiarum uſus, in quibus populo communicanti datur Corpus Chriſti ſumendum, non autem Sanguis.* Verum Conſtantienſis Concilii tempore utriuſque ſpeciei uſus jam ubique apud Catholicos Latinos abolitus ſupponebatur; quippe quod ſeſſ. 13. ſub pœna excommunicationis præcepit, ut *nullus Presbyter communicet populum ſub utraque ſpecie panis, & vini.* Ex quo Decreto veritas patet noſtri primo loco aſſerti. Quoniam in iis, quæ non ſunt divini juris in Sacramentis, & ad eorum ſubſtantiam non pertinent (quamvis & in iſtis Eccleſiæ, divinarum legum interpretis, atque Sacramentorum cuſtodis, judicio, & definitioni ſubeſſe oporteat) eum modum præterire minime licet, qui pro illorum reverenti adminiſtratione, & receptione ab eadem Eccleſia præſcriptus cognoſcitur. Nam veriſſime Trid. Concilium ſeſſ. 21. cap. 2. declaravit *hanc poteſtatem in Eccleſia perpetuo fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*; quam poteſtatem comprobat S. Synodus verbis Apoſtoli: *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Porro hoc poſito, cum paulatim conſuetudo ſub una tantum ſpecie panis extra Sacrificii celebrationem communicandi evaſerit univerſalis in populo; & hanc ipſam conſuetudinem, temporis diuturnitate corroboratam, attentis ejus utilitatibus, Eccleſia adprobaverit, ut poſt laudatum Conſtantienſis Concilii decretum Tridentina quoque Synodus lo. mox cit. confirmavit; ſequitur eum hanc Eccleſiæ legem, ac præceptum infringere circa rem ejus poteſtati ſubjectam, adeoque grave peccatum committere, qui veteris moris obtentu, vel etiam majoris devotionis gratia Communionem ſub utraque ſpecie nunc temporis recipere, vel adminiſtrare præſumeret, multoque magis, ſi crederet, ad hoc divino præcepto teneri.

VI. Juſte, & legitime præcepit Eccleſia, ut Laicis, vel Sacerdotibus extra Sacrificium communicantibus ſolus panis ſine Calice porrigeretur. Et quidem ad hanc comprobandam veritatem ſatis, ſuperque eſſe debent utriuſque Concilii, Conſtantienſis ſcilicet, & Tridentini Decreta, quæ nonniſi prudentiſſime, & ſaluberrime lata præſumuntur. Et revera talia eſſe oſtendunt incommoda, & abſurditates, quæ popularem ſub utraque ſpecie communionem, cum Sacramenti maxima irreverentia, comitabantur; nempe frequentiſſima in tanta communicantium multitudine Dominici Sanguinis effuſio in barbam, veſtem, ſinum accipientium, & etiam in humum; difficillima vini ad uſum communicantium conſervatio ſine aceſcentiæ, & corruptionis periculo; penuria quoque conſecrandi liquoris in regionibus Septentrionalibus; horror, quo delicatiores afficiebantur, bibendi ex eodem Calice, vel ſugendi ex eadem fiſtula, cui os applicuiſſent viles, & fœtidi homines, & contagioſis aliquando morbis infecti; & alia, quæ brevitatis gratia prætereo. Addendum, ſpeciali poſtea ratione antiquam repetentes conſuetudinem a Calicis uſu prohiberi debuiſſe; quia plerique iſtorum, errore pervicaci, quo non totum Chriſtum ſub qualibet ſpecie ſumi, vel quo non niſi utramque ſpeciem ſumendo divinum præceptum impleri poſſe credebant, Calicem poſtulabant. Hæc tamen Decreta, & prohibitionis juſtiſſima argumenta minime impediunt, ne aliqui Clerici, Sacerdotes, vel non Sacerdotes, immo & Laici ſpeciali donentur privilegio ſub utraque ſpecie communicandi. Hujuſmodi ſiquidem privilegia Romano Imperatori in ſua Coronatione, Regibus Galliarum, & Anglorum pro certis ſolemnitatibus conceſſa a Summis Pontificibus referuntur. Monachis quoque S. Dionyſii prope Pariſios ſimile indultum conceſſum quidam commemorant. Immo integris nationibus idem etiam poſt Conſtantienſe Concilium permiſſum narratur, ut Bohemis poſt Huſſitarum hæreſim ad Catholicam redeuntibus a Paulo II., Germanis, & Ruthenis a Pio IV. &c. Iiſdem tamen ob abuſus, & errores iterum adempta fuit hæc facultas. Et quidem eam dandi poteſtatem penes Eccleſiam eſſe, ejuſque ſupremos Rectores Romanos Pontifices, dubitatione res vacat: illam tamen vix alicui populo, abſque magnis incommodis, & perturbationibus nunquam tributam, aut tribuendam animadvertunt homines doctiſſimi, experimentis præteritis eruditi.

VII. Præter divinum ſumendæ Euchariſtiæ præce-

ceptum extat & eccleſiaſticum, graviter obligans ad digne communicandum quoslibet fideles, tam mares, quam fœminas, qui ad annos diſcretionis pervenerint, ſaltem ſemel in anno, & Paſchali tempore, niſi rationabilis cauſa differre coegerit, vel impedimento prævifo anticipare in propria Parochia, & de manu proprii Sacerdotis. Omnia, quæ in hac propoſitione collegimus, fuſe pertractavimus Tract. 9. de Præceptis Eccleſiæ Diſſ. 3. duobus capitibus 3. & 4. ibi legenda, ubi etiam de pueris egimus, quando ex præcepto obligentur ad Communionem ſuſcipiendam: & licet ibi ſolum de præcepto eccleſiaſtico diſputavimus; quæ tamen ibi ſunt dicta, & divinum præceptum reſpiciunt, & illi debent aptari.

VIII. Frequens Euchariſtiæ uſus pius eſt ex ſe, & laudabilis, & plerumque communicare cupientibus, & cum magno pietatis affectu accedentibus perutilis. Hæc eſt doctrina, de qua ſub finem elapſi, & ſub initium præſentis ſeculi acriter, & plurimis utrinque editis voluminibus controverſum fuit; cum tamen potius Directorum ſpiritualium prudenti judicio relinquenda videretur, quam univerſalibus regulis dijudicanda; ut patet ex Innoc. XI. circa quotidianam Communionem decreto, incipiente *Cum ad aures* edito 12. Feb. *1679.* de quo inferius agemus. Nihilominus in ſequentibus, quæ ſubjiciemus, cordatiorum Theologorum complectemur ſententiam. Et quidem pium, laudabilemque eſſe frequentem ad Communionem acceſſum evincitur ex ipſa Sacramenti indole, atque efficacia, quæ maximam digne accipientibus gratiam, & bona confert; & ex primorum fidelium praxi, qui, ut Act. 2. dicitur, *Erant perſeverantes in Communione fractionis panis*, ſcilicet conſuetudine, & praxi quotidianæ Communionis, non ſolum primo, & ſecundo, ſed etiam tertio, quarto, & quinto Seculo in Oriente, & Occidente uſitata. De qua legendi S. Cyprianus in lib. de Orat. Dominica, S. Hieron. Epiſt. 50. ad Pammachium, S. Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 6. S. Baſilius M. in epiſt. ad Cæſariam Patriciam, S. Auguſtinus Serm. 28. de Verb. Dom. Confirmat & Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 2. ſic votum ſuum exprimens: *Optaret quidem Sancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret*. Hinc ſequitur verum eſſe, quod ſubjecimus, videlicet non eſſe denegandam frequentem Communionem illis, qui cum magno pietatis affectu ad eam accedunt. Nam egregie ſcribit D. Thom. IV. Diſtinct. 12. quæſt. 3. art. 1. quæſtiuncula 1. „ Ea, „ quæ in Sacramento Euchariſtiæ geruntur, ha„ bent ſimilitudinem cum his, quæ accidunt in „ corporali nutrimento: quia enim fit quaſi con„ tinuata deperditio naturalis humiditatis per a„ ctionem caloris naturalis, & exercitium laboris; „ ideo oportet frequenter corporalem cibum aſſu„ mere ad reſtaurationem deperditi, ne perditio „ continua mortem inducat. Similiter ex concu„ piſcentia innata, & occupatione circa exteriora „ fit deperditio devotionis, & fervoris, ſecundum „ quæ homo in Deum colligitur; unde oportet, „ quod pluries deperdita reſtaurentur, ne homo „ totaliter alienetur a Deo “.

IX. Frequens Communio non eſt concedenda illis, qui ex ejus perceptione nullum fructum reportare noſcuntur: cujuſmodi ſunt, qui in mortalia ſæpius relabuntur, aut ad certa venialia ſemper retinent affectum. Hujus doctrinæ veritatem quoad primam partem confirmat S. Iſidorus lib. 1. Sententiarum ſcribens: „ Qui ſcelerate vivunt in Eccle„ ſia, & communicare non deſunt, putantes ſe ta„ li Communione mundari, diſcant nihil ad emun„ dationem proficere, dicente Propheta: *Quid* „ *eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcele*„ *ra multa? Nunquid carnes Sanctorum auferent* „ *a te malitias tuas* “? Proinde merito Innoc. XI. hanc in ordine 56. propoſitionem damnavit: *Frequens Confeſſio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis*. Nec minus verum eſt, frequentem Communionem illis minime eſſe concedendam, qui ad certa quædam peccata, etiam ſolum venialia, affectum retinent, nec de emendatione curant. Licet enim venialia vitare difficillimum ſit in hac miſera vita, in tanta ad malum pronitate, & inter tot pericula; illis tamen, & præſertim certis, & gravioribus, cujuſmodi ſunt mendacia officioſa, jocoſa, leviores iræ, deliciarum etiam conceſſarum uſus, & ſtudioſa cura, non adhærere, & ea eradicare, & difficile non eſt, & neceſſarium volentibus Communionem frequentare. Ita docet S. Franciſcus Saleſius etiam de illis, qui ſolum Dominicis diebus ad Euchariſtiam accedere cupiunt, ſcribens Introduct. P. 2. c. 20. „ Omnibus die„ bus Dominicis communicandum ſuadeo, *ſi ta*„ *men mens ſine peccandi affectu fuerit* .... Ut „ quis octavo quoque die Euchariſtiam percipiat, „ ab omni mortalis peccati labe, *ab omni pecca*„ *torum venialium ſtudio*, ac voluntate immunem „ eſſe, ac præterea ſacræ Euchariſtiæ vehementi „ deſiderio flagrare oportet “. Hauſit S. Præſul hanc doctrinam ex Gennadio lib. de Dogm. Eccleſiæ ſcribente: „ Omnibus diebus Dominicis com„ municare ſuadeo, & hortor: Si tamen *mens ſine* „ *affectu peccandi ſit* .... Sed hoc de illo dico, „ quem capitalia, & mortalia peccata non gra„ vant “.

X. Quotidiana Communio, licet optabilis laicis, tamen non eſt concedenda, niſi cum magna circumſpectione, & ubi evidens appareat fructus ex Sacramento; difficilius adhuc integræ etiam Religioſorum Communitati concedenda, & certe nunquam præcipienda. Et quidem quam optandum ſit, ut fideles ita vivant, ut quotidie ſumere Euchariſtiam ſint digni, oſtendunt & votum Tridentinæ Synodi ſuperius expoſitum, & S. Ambroſii 4. de Sacramentis cap. 6. monitum: *Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit; ſic vive, ut quotidie merearis accipere*. Verum optime animadvertit S. Thom. tantam in hominibus laicis communiter non reperiri devotionem, fervorem, & affectum in Deum, quo digni ſint quotidiana Communione: ideo raro, & caute concedenda. Sic itaque ſcribit hic q. 80. a. 10. „ Circa uſum hujus Sacramenti „ duo poſſunt conſiderari. Unum quidem ex parte „ hujus Sacramenti, cujus virtus eſt hominibus ſa„ lutaris: & ideo utile eſt quotidie ipſum ſumere, „ ut homo quotidie ejus fructum percipiat... Alio „ modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in „ quo requiritur, ut cum *magna devotione*, & re-

„ ve-

„ verentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo ſi „ aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, „ laudabile eſt, quod quotidie ſumat ... Sed quia „ multoties in pluribus hominum plura impedi- „ menta hujus devotionis occurrunt propter corpo- „ ris indiſpoſitionem, vel animæ, *non eſt utile o-* „ *mnibus quotidie* ad hoc Sacramentum accedere, „ ſed quotieſcumque ſe ad illud homo invenit „ præparatum ". Quod vero etiam Religioſorum Communitati non ſit præcipienda quotidiana Communio, patet manifeſte. 1. Quia nulla prorſus invenitur approbata ab Eccleſia alicujus Inſtituti, vel Religionis Regula, in qua quotidiana Communio præcipiatur, quæ ſolum aliquibus tantum diebus, vel in menſe, vel ad ſummum in hebdomada ſumenda ſtatuitur. Præterea, cum in Communitate ſemper ſint imbecilles, & infirmi, non omnibus convenire poteſt cibus fortium, nec omnes ſunt adigendi ad quotidianam ſumendam Euchariſtiam, quæ maximam animæ munditiem poſtulat, fervens deſiderium, ardentem famem, & ſitim, &, ut vidimus ex D. T. *magnam devotionem*, *& reverentiam*. Quamobrem ſapientiſſime ſtatuit Innoc XI. laud. Decreto n. 6. „ Moniales quotidie ſacram „ Communionem petentes admonendæ ſunt, ut in „ diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis com- „ municent: ſi quæ vero puritate mentis eniteant, „ & fervore ſpiritus ita incaluerit, ut dignæ fre- „ quentiori, aut quotidiana Sanctiſſimi Sacramenti „ perceptione videri poſſint, id illis a Superioribus „ concedatur ". Ex quo ſaluberrimo & ſapientiſſimo ſtatuto duo jam a me conſtituta confirmantur, nimirum 1. in nulla Regula quotidianam Communionem indici. 2. Nec toti Religioſorum Communitati concedendam; ſed iis ſolum, qui puritate mentis eminent, & fervore ſpiritus incaleſcunt.

CAPUT DUODECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quomodo neceſſaria ſit Euchariſtia in voto, & in re.*
II. *Quando adoleſcentes rei fiant violati præcepti de Euchariſtia ſumenda.*
III. *Ad hoc implendum præceptum non eſt neceſſario facienda Communio in ipſo Sacrificio.*
IV. *Num Viaticum ſit dandum illi, qui eodem die communicavit.*
V. *Num quotidie periclitanti dari poſſit.*
VI. *Quando pueris dandum ſit Viaticum.*
VII. *Non eſt miniſtrandum Viaticum ſub ſpecie vini.*
VIII. *Quomodo ſit dandum Viaticum infirmis.*
IX. *Qui Viaticum indigne ſumit, non implet præceptum.*
X. *Ante Euchariſtiam Lampas ardere debet.*

Conſectarium Primum.

I. Pia admodum, & probabiliſſima eſt multorum Thomiſtarum, aliorumque Theologorum ſententia, quæ contra Suarez, Vaſquez, Dicaſtillo, pluresque Recentiores, nec non Danielem Concina (qui tamen quæſtionem potius diſſimulavit, quam expendit) tuetur, Euchariſtiam reipſa ſuſceptam, aut in caſu, quo haberi non poſſit, explicito voto deſideratam, eſſe neceſſariam neceſſitate medii adultis poſt rationis uſum vitam diu producturis ad perſeverandum in ſtatu gratiæ. Hæc ſententia, quæ limitat præfatam Euchariſtiæ neceſſitatem ad effectum diuturnæ in gratia perſeverantiæ, non jam pro pueris, qui, ut advertit Tridentinum, per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam amittere non poſſunt, ideoque nec alimento indigent ſpirituali, quo a caritatis jactura præſerventur; ſed pro adultis, iiſque non modico poſt juſtificationem tempore, ſed diutius diaboli, mundi, carnis impugnationes paſſuris, & alias hujus Sacramenti ſuſcipiendi copia non deſtitutis; hæc, inquam, ſententia maxima veriſimilitudine educitur ex illis locis Evangelii, quæ ex una parte aliquam Euchariſtiæ neceſſitatem inſinuant, ex alia de hac ſola, quam modo indicamus, poſſunt intelligi; ut ſunt pluries laudata Chriſti Domini verba: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ſcilicet permanentem, atque diuturnam: *Et ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, ideſt perſeverabit in gratia; *gratia* enim *Dei vita æterna*: & iterum, *qui manducat meam carnem . . . in me manet, & ego in illo.* Nam ſi diuturna in gratia perſeverantia eſt effectus Euchariſtiæ; profecto ſine hujus perceptione, per ſe loquendo, non obtinebitur. Confirmatur ex Trid. Concilio, quod ſeſſ. 13. cap. 2. Sacramentum hoc declarat a Chriſto inſtitutum, *tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo aluntur, & confortantur viventes vita illius, qui dixit*: Qui manducat me, & ipſe vivet propter me, *& tanquam antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervamur.* Confirmatur per cibi, potuſque, ſine quibus mortalis vita diu protrahi nequit, analogiam, quæ in ſymbolis Euchariſticis delecta, & aſſumpta ſpectatur, ad denotandum ſpiritualem Euchariſtiæ effectum, atque ſcopum. Accedit 3. ipſum divinum præceptum, & eccleſiaſticum adultis hominibus de illa ſumenda impoſitum; hoc enim in præſuppoſita ejus neceſſitate fundatum exiſtimare par eſt. Nec diſſentit D. Thom. qui in IV. Sent. diſt. 12. q. 3. a. 2. quæſtiuncula 2. ad 1. docet: „ Etiam „ inſtitutione Eccleſiæ remota, *neceſſarium* effici „ hoc Sacramentum, non ſimpliciter, & ſine quo „ non eſſet ſalus, ſed ex ſuppoſitione finis, ſi ſci- „ licet homo in vita ſpirituali firmus perſiſtere „ velit ". Ceterum, cum contingere poſſit, adultos etiam per longum tempus a reali Euchariſtiæ ſumptione inculpabiliter impeditum iri; in eo caſu ejus defectum expreſſo Sacramenti voto ſuppleri poſſe pro ſubſidiis perſeverantiæ impetrandis, eadem ſententia ſubjungit. Et valde quidem rationabiliter, ſive divinæ providentiæ benignitas, & miſericordiæ propenſio cogitentur; ſive aliorum Sacramentorum, quæ neceſſaria neceſſitate medii dicuntur, inſpiciatur exemplum, quorum ſi non ſuppetit copia, nihilominus effectus voto, & deſiderio conceditur; ſive tandem experientia conſulatur, qua plures Catholici in Infidelium, vel Hæreticorum regionibus diu ſine culpa Euchariſtico cibo privati, attamen innoxiam, & ſine labe vitam ad longum tempus ducere comperiuntur.

tur. Hujus autem explicati voti neceſſitatem confirmat, & adſtruit D. A. & quidem non uno in loco, ſcilicet hic q. 80. a. 11. in corp. cujus verba dedimus cap. 11. n. 1. & cui aliud addimus ex q. 79. a. 1. ad 1. ubi ſcribit: „ Hoc Sacramentum ex ſeipſo virtutem habet gratiam conferendi: nec aliquis habet gratiam ante ſuſceptionem hujus Sacramenti, niſi ex aliquo voto ipſius, vel per ſeipſum, ſicut adulti, vel voto Eccleſiæ, ſicut parvuli". In his tamen non aliud votum poſtulat D. A. niſi implicitum in ipſa Baptiſmi ſuſceptione, ut declarat hic q. 73. a. 3. ſcribens: „ Per Baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam: & ideo ex hoc ipſo, quod pueri baptizantur, ad Euchariſtiam ordinantur per Eccleſiam; & ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ita ex fide Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam". At inquiunt nobis adverſantes Theologi. Si res ita ſe habet, ille, qui Euchariſtiæ copia ad longum tempus deſtitutum ſe advertens, ejus ſuſcipiendæ votum explicitum non emitteret, gravi peccato ſe obſtringeret, utpote qui neceſſarium conſervandæ gratiæ medium non adhiberet. At hujuſmodi peccatum certe plurimi, nedum Chriſtiani, ſed nec & Theologi agnoſcunt. Nec ergo debitum admittunt. At reſpondemus, certe ab iis, qui nobiſcum ſentiunt, & Euchariſtiæ ad vitam gratiæ conſervandam neceſſitatem aut perſpiciunt, aut probabiliſſime aſſertam exiſtimant, peccatum non evitari, explicito Sacramenti deſiderio in illius diuturna carentia neglecto. Qui vero præfatam neceſſitatem non credunt, eſto non deſiderando id, quo impune carere poſſe ſe putant, a reatus culpa fortaſſis invincibili ignorantia, vel contraria doctrina ſibi probabiliſſima ducti excuſentur; damnum tamen omiſſionis ſuæ non evadunt: quandoquidem ignorantia, vel erronea opinio, quæ fortaſſis improbitatem avertit, & malam fidem; providentiæ tamen ordinem non immutat, nec ſuffragari poteſt ad neceſſitatem rerum divinitus inſtitutum commutandam.

Conſectarium Secundum.

II. Divini, & eccleſiaſtici præcepti de Communione ſumenda violatores ſunt juvenes, & adoleſcentes illi, qui, cum perfecto polleant uſu rationis, & diſcernere poſſunt inter panem & panem, tamen vel ex accidia, & inertia, vel ex pertinaci adhæſione aliquibus peccatis, præſertim impudicitiæ, vel differunt accedere ad ſacram Menſam, vel illa ſe indignos voluntarie reddunt. Certum omnino puto hanc doctrinam: quandoquidem licet non ſit præciſe tempus conſtitutum, quo teneantur fideles ad Communionem ſuſcipiendam, ut diximus lo. laud. de Præceptis Eccleſiæ; certum tamen eſt, eos tunc urgeri, quando apti eſſe poſſunt ad illam ſuſcipiendam, niſi vel ex accidia, vel ex pravo, quem retinere volunt, habitu indignos ſe redderent. Porro tunc ipſi plene voluntarium ponunt impedimentum, quod auferre tenentur. Sunt igitur violati præcepti rei habendi. Nec dicas, eos non data opera hoc apponere impedimentum; ſed impedimentum conſequi indirecte, eo quia indigni ſunt Euchariſtiam accipere. Nam & hoc verum non eſt de illis, qui ex mera accidia, inertia, & faſtidio rerum ſpiritualium accipere remorantur; in illis vero, qui ex pravo habitu indigni redduntur, adhuc verum eſt, eos voluntarium plane, & volitum impedimentum apponere, quod removere debent. Sunt igitur violati præcepti rei habendi, & etiam ex hoc capite a ſtudioſo Miniſtro & arguendi, & monendi, & ad emendationem urgendi.

Conſectarium Tertium.

III. Nullum extat præceptum, ſive divinum, ſive eccleſiaſticum recipiendi Euchariſtiam in ipſa Sacrificii actione; ſed integre utrumque impletur præceptum, ſi Communio fiat ex præſanctificatis, ſive ante, ſive poſt Miſſam, ſive etiam extra illius celebrationem. Huic doctrinæ contradicit O. N. Theologus mihi compertus, & tum pietate, tum ſtudio commendabilis, cujus etiam familiaritate aliquandiu ſum lætatus, qui putat, ſaltem aliquando in vita, & quando non impediantur, fideles teneri in ipſa Sacrificii actione, & de ſanctificatis in ipſa Miſſa communionem ſumere. Porro, ſi pius hic Theologus ſolum doceret, hoc præſtare pium eſſe, ſuſcipienti utile, & juxta etiam Eccleſiæ mentem, nihil diceret reprehenſione dignum, immo quod a Conciliis, a Patribus, a Theologis etiam Aſceticis admodum probatur, laudatur, & conſulitur, & nos quoque ſuperius cap. 8. conſect. 1. laudavimus, ſenſimus, & inculcavimus. At præceptum, & quidem divinum inducere res eſt omnino nova in Eccleſia per decem, & octo ſecula ignota, quæ quidem & tempus ſtatuit, quo ſuſcipienda ſit Euchariſtia, nimirum in Paſchate, locum etiam determinavit ſuſceptionis, nimirum in propria Parochia; at de ipſa ſumenda Sacrificii tempore nihil omnino ſtatuit, quod profecto omittere non debuiſſet, cum agatur de divino præcepto, cujus ſtatuta Eccleſiæ non ſunt niſi determinationes. Sicut autem, quia Eccleſia præceptum agnovit divinum de Euchariſtia ſumenda, ideo ſtatuit, ut ſaltem ſemel in anno hoc impleretur præceptum; ita pariter, ſi præceptum agnoviſſet de ea ſumenda intra Sacrificium, hoc quoque ſtato tempore, vel loco determinaſſet. Immo, cum decreverit, fideles omnes in Paſchate ad ſacram menſam accedere, plane impoſſibilis redditur hujus præcepti impletio. Nam exceptis majoribus Urbibus, ubi maxima eſt Sacerdotum frequentia, in parvis Civitatibus, in Oppidis, ac Villis non poſſunt omnes intra Sacrificium Miſſæ Communionem recipere; proinde nec teneri dicendum eſt. Accedit, quod ſi plurima, quæ agglomerat, argumenta pro hoc præcepto aſſerendo valida forent, multo magis valerent pro præcepto divino ſumendi ſaltem aliquando in vita non ſolum Corpus, ſed & Sanguinem Chriſti; cum multo fortius de hoc præcepto locuti ſint Patres, Pontifices, Concilia: & tamen certum eſt ex definitione Eccleſiæ, nullum eſſe præceptum de Calice ſumendo. Immo, ſicut mos, & conſuetudo per tredecim ſecula in Eccleſia conſtanter vigens dandi Euchariſtiam laicis ſub utraque ſpecie, nec leve indicium præbuit divini præcepti de utraque ſumenda, licet non ſolum Miſſæ aſtantibus daretur, ſed etiam extra ipſam; ita mos vigens a pluribus ſeculis dandi Euchariſtiam extra ipſam Miſſam nec levem præbet ſuſpicionem de ne-

neceſſitate præcepti divini eam ſumendi & ſacrificii tempore, & de ſanctificatis in ipſo Sacrificio. Addo, & apertum Chriſti præceptum, *Hoc facite in meam commemorationem* (quo maxime innituntur adſtruentes præceptum communicandi intra Miſſam) immo & aliud luculentius expreſſum, *bibite ex eo omnes*, ſicut non probat, fideles ſaltem aliquando in vita, teneri ad Communionem ſub utraque ſpecie, ita nec evincit præceptum de Euchariſtia aliquando in ipſo Sacrificio ſumenda. Nec ſatisfaciunt, dum reſpondent Calixtianis, totum Chriſtum ſumi, & de toto Sacrificio participare ſub una tantum ſpecie ſumentes. Nam iſti regerere poterunt, etiam extra Miſſam totus Chriſtus ſumitur, etiam extra Miſſam de Sacrificii victima participant ſumentes; & tamen adhuc inculcatis præceptum de illo ſuſcipiendo in ipſo Sacrificio, quia Chriſtus non ſolum præcepit, ut ſumeretur, ſed & ſumeretur eo modo, quo ipſe tunc præbebat, *hoc facite in meam commemorationem*, *bibite ex eo omnes*. Urget itaque præceptum ſaltem aliquando Communionem ſumendi ſub utraque ſpecie. Vim perſenſit hujus argumenti nuperrimus Scriptor, qui ſex ſpiſſis articulis cap. 3. ſect. 4. illud declinare conatur. Sed incaſſum, & fruſtra: nam falſa innixus doctrina de eſſentia Sacrificii Miſſæ in conſummatione conſtituta, non niſi verba multiplicat, & aerem verberat; accita etiam in ſuæ Apologiæ ſubſidium fabella de conceſſa Norvegis facultate conſecrandi in ſolo pane. Dein clariſſimum Boſſuetum reprehendit, nunquam tamen vim argumenti eludit, quod quacumque facta hypotheſi, quacumque poſita doctrina, ſic illum invicte premit: Chriſtus Sacramentum ſub duplici ſpecie inſtituit, ſub duplici ſpecie tradidit, ſub duplici ſpecie tradendum præſtituit, ſub duplici ſpecie per tredecim ſecula ſemper omnibus fuit adminiſtratum; & tamen nullum indictum eſt præceptum de utraque ſpecie ſaltem aliquando ſumenda. Ergo licet in Cœna traditum, licet in Sacrificio per plura ſecula miniſtratum, nunquam præceptum agnitum eſt in Eccleſia de Euchariſtia ſumenda Sacrificii tempore, & ex ſanctificatis in ipſo Sacrificio. Atque ita cauſam, quam tuetur, in ſe æquiſſimam, piiſſimam, laudandam, inculcandam, ſua tamen nimia præfidentia odioſam, invidioſamque reddit, præceptum inducens, ubi præceptum non eſt. Quod ſi aliquod etiam admitti velit hac de re præceptum, hoc profecto non fideles ſpeciatim reſpicit, ſed totum cœtum fidelium, inter quos aliqui eſſe debent, qui in commemorationem Dominicæ Cœnæ ſimul de Sacrificio participent, & in Miſſa communicent. Et hic ritus, ſeu, ſi ita vocari lubet, præceptum, jam in Eccleſia viget, & cuſtoditur: nam in die Cœnæ Domini & privatæ Miſſæ ideo prohibentur, & indicitur omnibus Sacerdotibus Eccleſiæ famulatui addictis, ut Communionem a Sacerdote in ipſa Miſſa recipiant: qui ritus, cum magni momenti ſit, certe in Cathedralibus, Collegiatis, Parochiis, Monaſteriis, ſine gravi peccato, & populi ſcandalo omitti nequaquam poteſt, unde & verum præceptum dici queat. Hoc quoque præceptum cuſtoditur in omnibus pene Religioſorum Monaſteriis, quibus pluries in anno indicitur Communio generalis, in qua Religioſi omnes, non Sacerdotes, in Miſſa majori communicant. Sunt & quam plurimæ Laicorum (ut vocant) Confraternitates, qui in Miſſa communicant, qui Euchariſtiam ſuſcipiunt in Templis, vel publicis Oratoriis, ubi in Tabernaculo non aſſervatur Sacramentum. Ut autem omnes omnino fideles in Miſſa communicent, optat quidem Tridentina Synodus; at non jubet, nec mandatum a Chriſto declarat. Si qui forte irrepſere abuſus in miniſtranda ex præſanctificatis Euchariſtia, ſunt Prælatorum ſtudio corrigendi, non rumoribus, non falſis, vel ſaltem dubiis doctrinis turbanda Eccleſia, multoque minus famoſis libellis Summos Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, Theologos nunquam ſatis deteſtanda temeritate fœde denigrantibus. Verum, ut audio, hæc controverſia ſub Eccleſiaſtico Judice eſt. Expectanda igitur ejus definitiva ſententia, cui omnes Eccleſiæ filii ſe ſubmittere debebunt, & ipſe primus prompto animo me ſubjiciam, & modo obediens ſubſcribo. Proinde hæc indigitaſſe potius, quam pertractaſſe, ſufficiat.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui paucis diebus ante periculum mortis Euchariſtiam ſumpſit, urgente periculo Viaticum ſumere debet. Adverſantur huic doctrinæ nonnulli benigniores Theologi, inter quos & Suarezium numerari diſplicet, cenſentes, eum, qui biduo, vel triduo, vel etiam octiduo ante periculum mortis Communionem accepit, non teneri in diſcrimine vitæ conſtitutum iterum Viaticum Corporis Chriſti ſumere. Verum doctrinam noſtram docent, & tuentur nobiliores Theologi, cenſentes per eam Communionem non impletum divinum præceptum de Communione in extremo vitæ ſumenda: ſicut enim non impleret Eccleſiaſticum præceptum, qui ſabbato diem Palmarum præcedente ex devotione communicaret, & non liberaretur onere communicandi intra Paſchale quindennium; ita multo minus a præcepto liberatur, qui ex devotione ante periculum mortis Communionem ſuſcipit; cum in utroque caſu par ſit ratio, nimirum deficientia præcepti, quod in primo non urget, in altero ſupervenit. Accedit communis ſenſus, & praxis fidelium, & Parochorum, qui licet paulo ante communicaverint, tamen & priores iterum Viaticum petunt; & ad eum recipiendum ſe teneri merito putant; & poſteriores non ſolum miniſtrant, ſed ad Sacramentum ſuſcipiendum fideles hortantur monent, & ut opportune recipiant pia ſollicitudine ſatagunt. Et hic communis ſenſus dici poteſt totius Eccleſiæ, cum in eo conveniant & populus, & Miniſtri: proinde ineluctabile eſt argumentum noſtræ doctrinæ, tenues in auras diſſolvens contradicentium Theologorum oppoſita potius ſophiſmata, quam argumenta; & illud præcipue, quod regulæ innititur certe univerſaliter falſæ, nimirum per opus ſupererogatorius impleri poſſe præceptum; quod innumeris pene in caſibus deficit, ut dictum eſt de Paſchali Communione. Quid, ſi eodem die quis Communione ſumpta ex devotione, poſtea in periculum incidat moriendi, iterum ne Communionem ſumere vel poterit, vel debebit? Et primo quidem probabilius non teneri videtur: nam præceptum divinum, juxta Eccleſiæ interpretationem, quæ non ſolet, immo vetat eodem die bis communicare, implendum

eſt,

eſt. Immo hoc præceptum certo non extare, docere videtur Bened. XIV. de Synod. lib. 7. cap. 11. n. 2. qui libero eſſe dicit relinquendum Parochi arbitrio ſacrum Viaticum eo in caſu vel denegare, vel concedere: ſi enim divinum certo urgeret præceptum, profecto integrum non eſſet Parocho eam ſententiam amplecti, quæ aſſerit non eſſe dandum ex præcepto divino tunc Viaticum. Supereſt igitur, num liceat petere, vel miniſtrare. In tanta Doctorum diſciſſione, aliis licitum autumantibus, aliis illicitum, putarem eſſe diſtinctione utendum. Nam, ſi ille, qui mane communicavit, ſit vir pius Sacramenta frequentans, & ex fervore devotionis, ac viva in Chriſtum fiducia, ut magis roboraretur in extrema lucta contra Diabolum tunc accedentem cum ira magna, ſcientem quia tempus non habebit amplius, efflagitaret Viaticum; putarem prudenter concedendum. Si vero non devotus fuiſſet, vel pius, & Communionem mane ſumpſiſſet, vel quia urgebat paſchale præceptum, vel quia ex quadam devotione tali die communicare conſueverat; cenſerem nec interrogandum de Viatico ſumendo, ſi non ſponte peteret; vel ſi poſtularet ſibi dari, oſtenderem, præceptum divinum tunc certo non urgere, proinde poſſe ab eo ſumendo abſtinere, & ardenti amore ſolum ejus ſumptionem deſiderare, & acquieſcenti dictis non præberem. At quis ſum ego, qui Parochos audeam, & velim inſtruere, quorum prudentiæ, ſapientiæ, pietati putavit Bened. XIV. relinquendam Viatici in præfato caſu vel miniſtrationem, vel denegationem? Proinde hæc a me dicta libentiſſime eorum judicio remitto.

Conſectarium Quintum.

V. Non eſt illicitum infirmo in extremo periculo per plures dies conſtituto, Viaticum quotidie, etiam non jejuno, miniſtrare, præſertim ſi ex devotione, & ardenti amore hoc petat, & deſideret. Huic meæ doctrinæ adverſari videntur & praxis Eccleſiæ, & plurium Synodorum Decreta, nec non Rituale Romanum. Nam mos non eſt, ut infirmo quotidie ſacrum deferatur Viaticum; immo nonniſi novo urgente periculo defertur: & Synodorum Decreta ſtatuunt, ut diutius durante morbo, ſolum poſt octo, vel decem dies iterum Viaticum miniſtretur; & in Rituali Romano dicitur: *Quod ſi æger ſumpto Viatico dies aliquot vixerit ...... & communicare voluerit, ejus pio deſiderio Parochus non deerit.* Ex quibus verbis videtur, Communionem non eſſe concedendam, niſi poſt aliquot dies a ſumpto Viatico. At conſtitutæ doctrinæ non deſunt magni nominis Patroni, Clericatus de Sacr. Euch. Deciſ. 19. Cardin. Brancatius Opuſc. de ſacro Viatico, Baſſeus, Serra, & noviſſime Cavalerius T. 4. c. 5. n. 10. Et revera, ſi licet cuique quotidie communicare ex fervore devotionis, & ad munimen adverſus vel tentationes, vel infeſtationes Dæmonis, quanto magis id licebit in periculo mortis, quando & major urget neceſſitas pugnandi adverſus tentationes, & major eſt neceſſitas divinæ gratiæ, & auxilii? Et ſi in extremo morbi corporalis Medici remedia, & pharmaca ingeminant; quanto magis Eccleſia pia mater ſpiritualia remedia, & perſeverante periculo, & urgente neceſſitate non ſuppeditabit? Nec obſtat deficientia jejunii. Nam certum eſt Viaticum ſumi poſſe etiam a non jejunis, & tunc dandum eſſe, ut loquitur Rituale Romanum, *cum probabilis eſt, quod Euchariſtiam amplius ſumere non poterit:* quod profecto verum eſt de illo, qui in mortis periculo verſatur, quacumque die illam ſumat. Mos autem, ſicut & Decreta Synodorum ideo ſtatuunt, ut nonniſi durante per aliquot dies morbo iterum præbeatur Viaticum, ut reverentiæ conſulant Sacramenti, & populi, & Parochi incommodo: cum enim & mos ſit, & jubeant Synodalia Decreta, ut decenti pompa, & cum convenienti comitatu & populi, & luminarium deferatur infirmis Euchariſtia; profecto id fieri quotidie erga omnes infirmos nequaquam poſſet. Solum igitur tunc licet quotidie Viaticum infirmo præbere, quando adminiſtratio cum decenti Sacramenti delatione, & ſine populi incommodo fieri poſſet; cujuſmodi eſſet, ſi infirmus Oratorii privati privilegio frueretur: tunc enim poſſet Parochus, celebrata in eodem Oratorio Miſſa, infirmum per Viaticum communicare; & ita revera præſtitum cum Philippo IV. ab ejus Confeſſario narrant apud Cavalerium citati Auctores, ita pariter & Religioſis in valetudinario Conventus conſtitutus prope Infirmorum Oratorium licite & poſſet ſumere, & licite illi miniſtraretur quotidie ſacra Communio per modum Viatici. Dum autem dicitur in Rituali Romano, quod ſi æger ſumpto Viatico &c. ſolum ſermo eſt de Communione non per modum Viatici miniſtranda, ſed de Communione infirmo jejuno concedenda, ut patet manifeſte, quia ſubdit poſt laudata verba *dies aliquot ſupervixerit, vel periculum mortis evaſerit, ejus pio deſiderio Parochus non deerit*: quæ verba clare indicant, ſermonem non eſſe de Viatico, ſed de Communione. Neque urget animadverſio Cavalerii l. l. nimirum pro communione jejuno danda neceſſe non eſſe aliquot dies expectare; cum nec pro ſanis id opus ſit, quibus quotidie miniſtratur. Nam non eſt ſermo de Communione quoquo modo danda, quæ quotidie in Eccleſia jejunis miniſtratur; ſed de Communione ſolemniter ad domum ægroti deferenda, quæ non ſemper eſt ferenda ad placitum petentis, ſed ſpectanda & reverentia Sacramenti, & populi opportunitatis, & incommodi habenda ratio. Quamobrem infirmis, perpetuo etiam per plures annos decumbentibus, & eam expetentibus, ad ſummum nonniſi ſemel ſingulis menſibus miniſtratur. Proinde nihil ibi ſtatuitur, quod quotidianæ Viatici ſumptioni, vel miniſtrationi adverſetur. Immo noſtræ doctrinæ aperte aſſentitur Bened. XIV. qui laud. Oper. de Synodo lib. 7. cap. 12. n. 4. docet: „ Debet Epiſcopus conſtituere, ne Parochi renuant Sanctiſſimam Euchariſtiam iterato deferre ad „ ægrotos, qui perſeverante eodem morbi periculo „ ſæpius per modum Viatici, cum naturale jejunium ſervare nequeant, percipere cupiunt. Quamvis enim Vaſquez in 3. p. diſp. 224. cap. 2. in „ fine doceat, divino præcepto ſatisfieri per unicam „ perceptionem SS. Viatici eadem ægritudine; nullum tamen invenimus alicujus nominis Theologum, qui neget & licitum, & pium, & laudabile eſſe illam ſæpius repetere. Ita quidem expreſſe tradunt Sylveſter V. Euchariſtia: Tabiena „ V. Communicare n. 4. Sotus in IV. Diſt. 12. q. 1. „ Henriquez lib. 8. cap. 4. n. 1. & cap. 50. n. 1. „ Sua-

,, Suarez Diſp. 68. ſect. 5. Layman lib. 5. Summ.
,, Tract. 3. cap. 6. qu. 6. n. 20. Diana T. 1. tract.
,, 7. Reſol. 57. Card. de Lugo diſp. 15. ſect. 3. nu.
,, 64. qui male traducit Vaſquez, quaſi auctorem
,, contrariæ ſententiæ; cum hic ſolum loquatur de
,, obligatione, ut diximus, & legenti patebit ".

Conſectarium Sextum.

VI. Pueris, qui inter panem, & panem aliquo pio modo diſcernere poſſunt, non eſt in extremo periculo deneganda Euchariſtia, licet iiſdem ſanis, & benevalentibus dilata fuiſſet. Hujus Conſectarii doctrina ex integro deſcripta eſt ex Bened. XIV. l. l. n. 3. ſic Epiſcopos inſtruente: ,, Etſi Doctores
,, inter ſe diſſentiant, fere tamen communiter fa-
,, tentur, tantam non deſiderari ætatem, ut quis
,, in mortis articulo poſſit, & debeat ſanctiſſimo
,, Viatico muniri; quin immo laudatus Suarez ex-
,, preſſe docet, in vitæ diſcrimine illud eſſe omni-
,, bus, qui ſunt doli capaces, ex divino præcepto
,, porrigendum. Citatam quippe ſectionem in hunc
,, modum abſolvit: *At vero de Communione fa-*
,, *cienda in articulo mortis non eſt eadem ra-*
,, *tio .... Unde exiſtimo in illo articulo dan-*
,, *dam eſſe Communionem cuicumque homini haben-*
,, *ti uſum rationis ad peccandum, & capaci Con-*
,, *feſſionis, & Extremæ Unctionis. Quod Navarrus*
,, *quidem fatetur eſſe omnibus conſulendum. Ego*
,, *vero exiſtimo eſſe obligationem, tam ex parte*
,, *petentis, quam diſpenſantis &c.* Suarezii ſenten-
,, tiam pluribus comprobat Cardinalis de Lugo *de*
,, *Euchar.* diſp. 13. ſect. 4. n. 37. eidemque ſuf-
,, fragatur Auctor Anonymus, in Carmine MS.
,, prolato a Martene *De Antiquis Eccleſiæ Riti-*
,, *bus* Tom. 1. lib. 1. cap. 4. art. 10. §. 4. in-
,, quiens:

,, *Non pueris infra bis quinque manentibus*
,, *annis*
,, *Des Corpus Chriſti, quamvis ſint corpore pu-*
,, *ri:*
,, *Quid ſumant, cum ignorent, ergo probiben-*
,, *tur.*
,, *Excipe, quos urget fera mors, anni licet hi*
,, *ſint*
,, *Octo, ſive novem, vel ſeptem, dum ſibi con-*
,, *ſtet*
,, *Scire* Pater noſter, & *eorum vita probata.*

,, Quare nulli controverſæ opinioni calculum adji-
,, ciat Epiſcopus; qui in ſua Synodo, Parochos
,, ſerio adhortatur, & monet, ne patiantur omnes
,, pueros indiſcriminatim interire ſine Chriſti Cor-
,, poris Viatico, illudque iis præbendum præcipit,
,, quos iidem Parochi, diligenti præmiſſo examine,
,, tanta compererint pollere ingenii perſpicacia,
,, ut latentem ſub ſpeciebus Sacramentalibus Chri-
,, ſtum & firmiter credant, & reverenter adorent.
,, Tunc vero ſecurius id in Synodo decernitur,
,, cum non determinatur certa ætas, in qua de-
,, ceſſurus puer ſit Chriſti corpore reficiendus, cir-
,, ca quam unice vertitur Theologorum diſſenſio;
,, ſed ipſiuſmet prudentis Parochi judicio permitti-
,, tur definire, an moriturus puer, ſpectata ejus
,, indole, ſit tanti Sacramenti capax: hoc ſiquidem
,, adhibito temperamento, nemo facile contradicet
,, Synodali Conſtitutioni, cui pene omnes Theologi
,, ſuffragantur ". Magiſtro tam ſapienter docenti nihil eſt addendum, ſed omnino acquieſcendum; cum conformis ſit doctrinæ S. Thom. in IV. Sent. diſt. 9. q. 1. art. 5. quæſtiunc. 4. ſcribentis: ,, Pue-
,, ris jam incipientibus habere diſcretionem, etiam
,, ante perfectam ætatem, puta cum ſint decem,
,, aut undecim annorum, aut circa hoc poteſt da-
,, ri, ſi in eis ſigna diſcretionis appareant, & de-
,, votionis ".

Conſectarium Septimum.

VII. Infirmo, non valenti panem conſecratum deglutire, dandum non eſt Viaticum ſub ſpecie vini: nec eſt deferenda Euchariſtia infirmo non valenti eam ſumere, ut adoret, vel oſculetur. Olim conceſſum erat, ut infirmis non valentibus ſub ſpecie panis Euchariſtiam ſumere ſub ſpecie vini præberetur, ut videre eſt in Canone 11. Concilii Toletani XI. anno 675. celebrati; ſicut & mos aliquando fuit dandi conſecratum panem intinctum in vino conſecrato, ut teſtantur Martene lib. 1. de Sacris Ritibus cap. 4. art. 10. nu. 13. & Cardinalis Bona *Rerum Liturgicarum* cap. 18. At, cum abſolute in præſenti diſciplina vetitum ſit ſacrum Calicem ſive Laicis, ſive etiam Sacerdotibus porrigere; non amplius licet infirmo non valenti ſacrum panem deglutire illi Euchariſtiam porrigere ſub vini ſpecie. Et ita docent Suarezius 3. par. To. 3. diſp. 71. ſect. 3. circa finem, & Cardinalis de Lugo, nec non Clericatus Deciſ. 14. caſu 2. nu. 16. quorum doctrinæ ſubſcribit & Benedictus XIV. in lib. de Sacrif. Miſſæ ſect. 2. cap. 6. §. 4. a quo, quæ diximus, ex integro mutuati ſumus. Quamobrem merito Franzoja & Amicum docentem, & Buſembaum eum ſine refutatione referentem redarguit, qui a mortali conantur excuſare vel Sacerdotem miniſtrantem, vel infirmum poſtulantem Viaticum ſub ſpecie vini; cum, ut ipſe egregie animadvertit, & rem in præſenti diſciplina novam, Eccleſiæ vigente conſuetudine, immo & lege abſolute vetitam facere præſumeret. Non licet pariter ad infirmum ſacram Euchariſtiam deferre reſpiciendam, & adorandam, quando Viaticum ſumere non poſſit. Id enim vetuit Sacra Congregatio Cardinalium, & ſtatuit Rituale Romanum: *Alicui ad adorandum ſolum, ſeu devotionis, ſeu cujuſvis rei prætextu ad oſtendendum, non deferatur:* multoque minus ad oſculandum, cum inanis, & ſupervacaneus reputetur a D. Bonaventura mos aliquorum Sacerdotum, qui hoſtiam & poſt conſecrationem, & poſt elevationem oſculabantur; idque multo minus eſt laicis concedendum, quippe qui ſacram Euchariſtiam non niſi lingua, & ore contingere poſſunt. Num vero ſive Cardinalium Decretum, ſive Ritualis Rubrica adeo rigide ſint intelligenda, ut non liceat infirmo in extremis agente ex Oratorio privato Sacramentum deferre adorandum, illo ſic flagitante, quia, ut mallet, non poteſt ſuſcipere, libenter addiſcerem. Negat quidem perfracte, & rigide Franzoja, reprehendens Buſembaum, qui hoc non vetitum ſibi videri affirmat: putat enim hanc eſſe arbitrariam legis emollitionem, nec a pio Sacerdote unquam obtinendum, ut vel ipſe ab Altari diſcedat gratia oſtendendi præfato infirmo ſacram hoſtiam adorandam,

dam, vel alteri ad hoc Sacerdoti tradat. At, ut imbecillitatem meam fatear, me miſeratione adeo commoveri ſentio erga pium Religioſum, vel Laicum, qui cum chriſtiane, & religioſe ſemper vixerit, Euchariſtiam vel in quotidiano Sacrificio, vel in ſæpius repetita Communione frequentavit: videns autem ſe divino, ſed occulto Dei judicio in extremo agone tam ſalubri cibo privari, maximopere dolet, conqueritur, & divinæ quidem voluntati ſe ſubmittens hanc tamen privationem ſalutaris cibi amaram ſentit: quamóbrem in qualecumque ſuæ famis, & deſiderii ſolamen Chriſti Corpus videre, adorare, venerari enixe efflagitat; hoc illi denegare durum mihi videtur. At obſtant leges Eccleſiaſticæ, quibus quilibet, quo magis pius eſt, & religioſus, eo magis obedire humiliter debet. Fateor. Verum has leges ad hunc peculiarem caſum non cenſerem adeo rigide dilatandas; cum latæ ſint ob communem uſum fidelium, ad quos ex Eccleſia cum pompa, & populi incommodo Euchariſtiam deferre ſolius viſionis, & adorationis gratia minus decens agnoſco. At ex privato Oratorio, cum eo decenti luminarium apparatu, qui adhiberetur ad Viaticum dandum deferre, non mihi adeo indecens videtur, ut a pio Religioſo non poſſit ſine culpa præſtari. In hac mea qualicumque cogitatione, ſeu opinione me retinet, quod refert Benedict. XIV. lib. laud *de Sacrif. Miſſæ*, nimirum Eccleſiarum Belgii nonnulla Ritualia permittere, ut Parochus delatam ad eum pyxidem aperiat, & ſacrum Chriſti Corpus adorandum oſtendat, quem morem ipſe nec rejicit, nec reprehendit. Hæc tamen a me ſunt dicta diſcendi potius animo, quam docendi.

Conſectarium Octavum.

VIII. Cum debita reverentia eſt Viaticum miniſtrandum, & juſta cautione infirmis peſtilentia infectis. Mens mihi non eſt ritus in adminiſtratione ſanctiſſimi Viatici exponere, & explicare: nam hoc argumentum fuſe, docte, & erudite tractant, qui de ſacris Ritibus ſcripſere, Gavantus præſertim, & Cavalerius, ille duobus in folio Tomis, hic quinque, ſolum nonnulla delibabo. Quando Viaticum defertur civibus in loco Eccleſiæ commorantibus, ſunt ſervandæ Ritualis Rubricæ, quæ ſtatuunt „ deferri debere hoc ſanctum Sacra„ mentum ab Eccleſia ad privatas ægrotantium „ domos decenti habitu, ſuperpoſito mundo vela„ mine, manifeſte, atque honorifice, cum omni „ reverentia, & timore, ſemper lumine præceden„ te “. Veſtes autem decentes hæ proculdubio ſunt. 1. Veſtis talaris, & Clericalis, cui, ut præſcribit Rituale, Sacerdos ſuperpelliceum, & ſtolam ſuperponat, &, ſi poteſt haberi, pluviale albi coloris. Deferat vero ſacram Euchariſtiam in pyxide, ſeu parva cuſtodia, quam proprio ſuo velo cooperiat, & velum ſericum ſuperimponat. Ipſe vero Sacerdos, impoſito ſibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum Sacramento, & deinde umbellam, ſeu baldachinum ſubeat, nudo capite proceſſurus. Qui profecto ritus ſunt in Civitatibus, & terris, ubi frequentes ſunt habitatores, & domus ſancte ſervandi. At, ſi contingat Viaticum longius deferendum, 1. non licebit equum etiam manſuetum conſcendere, niſi neceſſitas vel longioris itineris, vel viarum, & montium ſalebræ cogant, vel Miniſtri infirmitas, ſenectus, debilitas poſtulent. Si equum conſcendit, omittere non debet ſacras veſtes, ſuperpelliceum ſcilicet & ſtolam, licet breviori clericali veſte induatur. Sacramentum vero deferri debet non in corporali, ſed in pyxide, vel vaſe, quod ob formam amygdala dicitur, vel etiam theca, ſuo proprio operculo tecta, quam poſtea burſa decenter ornata includat, & ad collum appenſam deferat, ita etiam alligatam ad pectus, ut neque decidere, neque ex vaſe excuti Sacramentum queat. Nunquam debet illum Clerico, vel Laico portandum dare obtentu laſſitudinis, & laboris; ſed ipſemet Sacerdos debet deferre. Non debet Sacerdos, licet urgeat adminiſtratio Viatici, cum ſacris veſtibus per publicam viam currere: ſed ea debet gravitate incedere, quam poſtulat Sacramenti dignitas, & veneratio; licet forte contingat infirmum ſine Viatico mori. Quod ſi currere permittitur, dum Baptiſmus, vel Sacramentum Pœnitentiæ eſt exhibendum mox morituro, id eſt ob diſpares valde rationes: tum quia neceſſitas leges decentiæ præterire ſinit; tum quia ad hæc Sacramenta in neceſſitate miniſtranda nullæ requiruntur ſacræ veſtes, & ornamenta, quæ curſus indecorem augerent. Porro hi ritus non ſunt ſervandi, ut plures docent benigniores Theologi, cum *commode* poſſunt, quaſi adiaphori ſint, & indifferentes; ſed ſunt ſemper toto ſtudio adhibendi. Si vero Viaticum ſit dandum capitali ſententia damnato, licet S. Carolus Borromæus in V. Mediolanenſi Concilio dicat: „ Reus capitis da„ mnatus, quo die pro Viatico Sanctiſſimum Do„ mini Corpus ſumpſit, Chriſto Redemptori, qui „ pro illius etiam anima Sanguinem in ara Cru„ cis profudit, a piis Judicibus, Magiſtratibuſque „ illo ipſo Sanguine redemptis, tribuitur, ne eo „ die ſupplicii afficiatur, multis locis piæ, & lau„ dabilis conſuetudinis eſt “; attamen, ſi mos alicubi ſit, ut eodem die ſententia executioni demandetur, nihil vetat, quod per aliquot horas ante mortem Viaticum illi miniſtretur: tum quia datur cuilibet ægroto etiam eodem die morituro; tum quia ſic declaravit Congregatio Cardinalium anno 1590. ſtatuens: „ Reis capitali ſententia da„ mnatis etiam mane, quando exequenda eſt, po„ teſt dari Euchariſtia “. Quando vero miniſtrandum eſt Viaticum infirmis lue infectis, num alio modo porrigi poſſit, quam manibus Sacerdotis, diſputant Theologi. Sunt, qui putant conſuetum miniſtrandi ritum & eo tempore eſſe ſervandum; &, ut ſcribit Franzoja, qui huic ſententiæ ſubſcribere videtur: „ Vitæ præſervandæ majorem fidu„ ciam ponendam eſſe in majori erga Auguſtiſſi„ mum Sacramentum propriis ſacris manibus a „ Sacerdote miniſtrandum veneratione, quam in „ majori cautela abſtinendi a tactu eorum, qui „ peſte infecti ſunt “. Pie quidem, & religioſe, ſi Miniſter ſolum vitæ ſuæ proſpicere deberet, & non etiam ſpirituali saluti plebis, & populi ſibi commiſſi, qui tunc maxime opera, & officio indigent Paſtoris, & Miniſtri, qui ſi nimis liberaliter periculo ſe exponet tractando, & miniſtrando infectis, ab illorum conſortio repelletur, qui ſani ſunt, & timent, ne inficiantur; proinde pau-

paucioribus prodeſſe poterit. Quamobrem non irreligioſe plures, & quidem magni nominis Theologi arbitrantur, licere alio decenti, & religioſo modo: quam propriis manibus, infirmis miniſtrare. Plures, & quidem diverſos recenſet modos ſapientiſſimus Pontifex Bened. XIV. in ſuo Opere de Syn. lib. 13. cap. 19. a n. 20. ad 26. & partim rejicit, partim permitti poſſe cenſet. Sed denique poſtremo numero ſic ſcribit: „ Muratorius in Tr. „ de Peſte lib. 3. cap. 4. pag. 366. & ſeq. valde „ proclivem ſe oſtendit in aliquam idoneam, ho„ neſtamque rationem, qua & miniſtretur peſti„ lenti morbo laboranti Euchariſtia, & ſimul mi„ niſtrantium indemnitati conſulatur; ſcite anim„ advertens, haud oportere ex ritibus, qui ſecun„ dis rebus, atque temporibus religioſe ſervantur, „ metiri, ac definire eos, qui luctuoſiſſimorum „ temporum duræ neceſſitati poſſunt congruere". Vult tamen id omne moderandum, ac definiendum eſſe judicio Epiſcopi cujuſque loci, nec integrum eſſe ſingulis Sacerdotibus eam, quam quiſque maluerit, rationem ſeligere. Deinde ſubdit Pontifex: „ Congruenter ad hoc idem ſyſtema, poſt accu„ ratum rei examen, reſcriptum fuiſſe poſtulato „ Vicarii Apoſtolici Juliæ Cæſareæ, qui ſcilicet „ poſtulaverat, num duo Sacramenta Euchariſtiæ, „ & Extremæ Unctionis fidelibus peſte correptis „ eadem plane ratione miniſtranda forent, qua „ benevalentibus adminiſtrantur". Immo ipſe Franzoja fatetur, in Actis Eccleſiæ Mediolan. de Cur. peſt. cap. 5. n. 2. ut teſtatur Gavantus in Manuali Epiſcoporum voce *Peſtis* pag. 31. ſtatutum fuiſſe, ut medio aliquo inſtrumento peſtilentia ictis Communio adminiſtraretur.

Conſectarium Nonum.

IX. Qui indigne Viaticum ſumit, divinum non implet præceptum; non eſt tamen illi occulte miniſtrandum Euchariſtiæ Sacramentum: qui vero poſt ejus per modum Viatici ſumptionem, in peccatum lethale labitur, non tenetur eodem, vel altero die communicare; ſed ſolum, ſi ſupervixerit, opportune tempore iterum vel Viaticum, vel Communionem petere poterit, & ſuſcipere. Quod primo loco ſtatuimus, manifeſte patet ex damnata propoſitione 55. quæ aſſerebat: *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem:* tum quia præfatum præceptum non eſt niſi determinatio temporis pro divino implendo mandato; tum quia divinum præceptum eſt de digna, & ſalutari Euchariſtiæ perceptione. Si vero ſacrilegii pœnitens ſcelus ſuum confiteatur, non eſt illi occulte, & clam deferendum Viaticum, cum tali modo nec innocenti ſit deferendum: ſed peccatum ſuum amare defleat, divinam imploret miſericordiam, & Euchariſtiam ardenti animo deſideret. Præceptum enim divinum de Viatico ſumendo non urget, quando ſine debita reverentia, & decentia non poteſt adminiſtrari. Si vero poſt aliquot dies ſupervixerit, poterit iterum, etiam per modum Viatici, Euchariſtiam digne ſumere. Qui vero poſt ejus ſumptionem lethaliter peccavit, non tenetur nec eadem die, nec ſequenti communicare; cum jam prima ſumptione præceptum impleverit: at ſi aliquot diebus in vivis perſeveret, iterum decenti, & debito modo petere, & miniſtrare Euchariſtiam vetitum non eſt.

De frequentia vero Communione dicemus in ſequentibus, poſtquam explicaverimus tum animi, tum corporis neceſſarias, & opportunas diſpoſitiones ad illam cum fructu ſuſcipiendam. Solum ad complementum reverentiæ tanto Sacramento debitæ hoc addimus poſtremum

Conſectarium Decimum.

X. Ad reverentiam Sacramenti pertinet, ut ante ipſum una ſaltem lampas perpetuo diu, noctuque ardeat: unde gravis culpæ reus eſt Parochus, vel Sacerdos, ad quem hæc pertinet cura, ſi ob ejus negligentiam integro die, vel per aliquot noctes lumen ante Tabernaculum non luceat. Ita ſentiunt communiter Theologi etiam benigniores, ut Diana par. 9. tract. 6. reſ. 34. cum tranſgreſſionem importat præcepti de re gravi, quam Epiſcopi in ſacra Viſitatione punire gravi pœna ſuſpenſionis poſſunt. Quidam tamen ad præcepta ſemper extenuanda propenſi, addunt 1. ſi accidat ob negligentiam *graviter culpabilem*. 2. Hanc obligationem, & conſuetudinem eſſe univerſalem negant, ut Marchantius, aliique. At 1. exceptio injuſta eſt: nam negligentia ſemper eſt graviter culpabilis, inquit S. Thom. 2. 2. q. 54. art. 3. quando *prætermittitur per negligentiam, quod eſt de neceſſitate ſalutis, ſive ſit actus, ſive circumſtantia:* cujuſmodi eſt quidquid obligationem gravem importat. Secunda vero contemptus Sacramenti ſpeciem præſeferre videtur. Quandoquidem Sacramentum & ubique debita veneratione eſt proſequendum; & lex aperte lata indicitur omnibus in Romano Rituali per illa verba, *Lampades coram & plures, vel ſaltem una diu, noctuque perpetuo colluceant*. Denique perpetua conſuetudo unam ſaltem accendendi lampadem, quæ coram Auguſtiſſimo Sacramento ſemper colluceat, univerſalis eſt, & ubique fideliter cuſtoditur. Quod ſi alicubi negligitur, hæc ipſa negligentia culpabilis eſt, utpote legi, & univerſali conſuetudini plane adverſa. Dixi tamen, *ſi integro die*, vel *per plures noctes* non luceat. Nam interdiu facile cognoſci poteſt, num ardeat, & cauſam detegere, cur non ardeat; at noctu & difficilius detegitur defectus, & difficilius cauſa illius cognoſcitur; proinde facilius in ſecundo, quam in primo caſu datur legitimæ locus excuſationi.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De diſpoſitionibus tum animi, tum corporis requiſitis ad digne ſumendam Euchariſtiam.

DOCTRINA.

I. *Ad digne communicandum neceſſaria eſt mundities ab omni peccato lethali.*

II. *Et immunitas a Cenſuris.*

III. *Reus lethalis peccati accedere non debet, niſi præmiſſa Confeſſione.*

IV. *Nec qui vel eſt alicujus peccati oblitus, vel dubius.*

V.

V. *Num aliquando liceat communicare, non præmiſſa Confeſſione.*
VI. *Non eſt neceſſe, ut integra præmittatur ſatisfactio Communioni.*
VII. *Non omnes Pœnitentes ſunt ſtatim poſt Confeſſionem ad Euchariſtiam admittendi.*
VIII. *Quibus non ſit danda frequens Communio.*
IX. *Præmittendum jejunium.*
X. *Et quidem naturale.*
XI. *Regulæ pro ejus cuſtodia. Regula I.*
XII. *Regula II.*
XIII. *Regula III.*
XIV. *Regula IV.*
XV. *Num nocturna pollutio impediat Communionem.*
XVI. *Num maritalis copula.*

I. IN hocce articulo ſolum de diſpoſitionibus agemus tum ex parte animæ, tum ex parte corporis requiſitis ad digne communicandum. Licet autem fere omnes, etiam ad digne celebrandum, prærequirantur; tamen, quatenus Miſſæ oblationem ſpeciatim reſpiciunt, illas accuratius expendemus ſequenti Diſſertatione, in qua de Sacrificio ſpeciatim tractabimus. Et primo quidem ex parte animæ requiritur ad digne communicandum mundities ab omni inquinamento lethalis peccati. Hujus doctrinæ veritatem omnes agnoſcunt Theologi, & ſolus rejicit Lutherus, qui homines ad Euchariſtiam ſumendam eo paratiores imprudenter affirmat, quo fuerint criminibus inquinatiores. Nos jam ſupra capite decimo confectar. 1. oſtendimus Catholicam veritatem ex Apoſtolo, reum Corporis, & Sanguinis Domini, & judicii divini illum faciente, qui abſque ſui probatione hunc panem manducat, & calicem Domini bibit indigne, & ex Evangelio ſanctum canibus dare, & margaritas porcis prohibente. Confirmat etiam Eccleſiæ perpetua ſollicitudo, ut ſacrum hoc Myſterium ſolis ſanctis, & a peccato emundatis traderetur. Necnon poſtulat & ipſa Sacramenti conditio, quod eſt vivorum cibus, adeoque ſtatum gratiæ in eo, qui mortalia poſt Baptiſmum patravit, ſolo Pœnitentiæ Sacramento, vel perfecta contritione parabilem prærequirens. Denique, cum res ſit de ſe comperta, ulteriori non indiget probatione.

II. Requiritur immunitas ab omni Eccleſiæ cenſura, quæ ſuſceptionem impediat Sacramentorum, cujuſmodi eſt præſertim excommunicatio, & interdictum; licet cenſura occulta omnino ſit, & quantumvis ſe contritum præſupponat, qui ad Communionem accedere intendit: quandoquidem harum eccleſiaſticarum pœnarum inſtitutio eo tendit, ut præſertim eis innodatos ab hujus potiſſimum Sacramenti participatione excludat graviſſimo Eccleſiæ interdicto. Immo etſi fortaſſis excommunicatio injuſte lata ſit, adhuc a percipienda publica ſaltem Communione ille abſtinere debet ob reverentiam Eccleſiæ debitam. Sed de hoc iterum ſuo loco.

III. Qui lethalis peccati reum ſe ſentit, accedere non debet ad Euchariſtiam ſumendam, non præmiſſa Confeſſione, ſi adſit copia Confeſſarii, ex præcepto quidem divino, naturali, & eccleſiaſtico. Hoc aperte docuit Tridentina Synodus, & definivit can. 11. Seſſ. 13. indicens: „ Ne tantum „ Sacramentum indigne, atque adeo in mortem, „ & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atque declarat ipſa Sancta Synodus, illis, quos ſcientia „ peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium „ docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, „ ſeu etiam publice diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat". Porro hanc Confeſſionis præmittendæ neceſſitatem plerique, & quidem nobiliores Theologi, qui poſt Tridentinum ſcripſerunt, non ex mera Eccleſiæ inſtitutione, ſed ex divino inductam præcepto merito affirmant, & docent. Hanc veritatem indicat memoratum Concilium, cum ipſam ex illa probatione deducat, quam Apoſtolus communicaturis indixit, utique ex divino, quod explicabat, mandato, quod a Domino acceperat, & 1. ad Corinthios denunciabat cap. 11. Sic enim loquitur Trident. Synodus l. l. cap. 7. „ Communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus (ſcilicet Apoſtoli Pauli) præceptum, *probet autem* „ *ſeipſum homo*. Eccleſiaſtica autem conſuetudo „ declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut „ nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam „ accedere debeat". Agnoſcit igitur Tridentina Synodus de præmittenda Confeſſione præceptum ex divino, & naturali mandato, non ex eccleſiaſtica ſolum ſanctione prodire.

IV. Hoc divinum, naturale, & eccleſiaſticum præceptum obſtringit ad Confeſſionem præmittendam, quando quis, etiam inculpata oblivione, aliqua peccata lethalia in Confeſſione aperire omiſit. Patet manifeſte veritas hujus doctrinæ ex ipſis Tridentini verbis in obvio ſenſu intellectis, quibus indicit ad Confeſſionem præmittendam illos teneri, *quos conſcientia peccati mortalis gravat*. Porro licet aliquis ab oblitis inculpabiliter peccatis indirecte fuerit abſolutus; tamen non eſt hoc beneficium abſolutionis conſecutus, niſi per ordinem ad ipſorum peccatorum in confeſſione manifeſtationem. Adhuc igitur illum gravat conſcientia lethalis peccati admiſſi, & in Confeſſione aperiendi. Tenetur igitur ad Confeſſionem redire, & oblita peccata manifeſtare, a quibus directe abſolvatur. Idem etiam dicendum eſt de illis lethalibus peccatis, de quibus aliquis, utrum illa admiſerit, vel admiſſa confeſſus fuerit, rationabiliter hæret, in neutram partem validioribus conjecturis inductus. Nam peccata dubia ſunt Confeſſionis materia, & de illis in Confeſſione aperiendis extat naturale, & divinum præceptum, proinde accedere non debet ad Euchariſticam menſam, niſi ea Confeſſario, & prout ſunt, & certo manifeſtet. Nec audiendi benigniores Theologi, qui contrarium ſuſtinent, cum eorum doctrina omnino ſit improbabilis, & laxa.

V. Deficiente Confeſſarii copia, cum ſola contritione non eſt licitum communicare, niſi neceſſitas urgeat, quam in Laicis raro admodum, & vix puto contingere poſſe. Et quidem, ut quis ad Communionem, non præmiſſa Confeſſione, cum ſola præſumpta contritione accedere poſſit, duæ ex Tridentino Concilio requiruntur conditiones,

 ni-

nimirum 1. ut deſit copia Confeſſarii, cui ſua peccata valeat manifeſtare. 2. Ut urgeat neceſſitas communicandi. Quibus poſitis conditionibus, quas & Divo Thoma neceſſarias omnino adſtruit IV. Sententiar. Diſtinct. 7. quæſt. 3. artic. 1. quæſtiuncula 4., contingere poſſe aliquando, ut quis ſine culpa communicet, indicare videtur idem Concilium, tum præfatas ſtatuendo conditiones, tum impoſito præcepto illi, qui taliter communicavit, quam primum confitendi. At neceſſitatem communicandi, non præmiſſa Confeſſione, vix in Laicis contingere poſſe puto. Non enim hæc eſſe poteſt onus implendi Paſchale præceptum; cum tunc ejuſdem impletio ſine culpa etiam poſt deſignatum tempus differri poſſit: non neceſſitas ſuſcipiendi Viaticum; nam tunc adeſt copia Confeſſarii, nimirum illius, qui Euchariſtiam porrigere debet, & qui, ſi adeo urgeat neceſſitas communicandi, ut tempus non ſuppetat vocandi Sacerdotem pro excipiendis confeſſionibus adprobatum, jam ab Eccleſia poteſtatem habet abſolvendi quemlibet in articulo mortis conſtitutum. Si autem tempus ſuppetat, Viatico eſt præmittenda Confeſſio. Supponere autem Viaticum, non a Sacerdote, ſed a Diacono adminiſtrandum, adeo eſt in tanta Sacerdotum frequentia rarum, ut merito inter inanes hypotheſes recenſeri poſſit; nam facilius eſt Sacerdotem reperire, quam ſimplicem Diaconum. Nonnulli hæc adducunt motiva. 1. Si grave aliquod temporale damnum timeatur. 2. Si ſcandalum ex omiſſione communionis. 3. vel infamia ſequatur. At, quodnam eſſe poteſt hoc temporale malum, quod cogere poteſt ad Euchariſtiam ſumendam, non præmiſſa Confeſſione, vix expiſcari, vel ariolari poſſum. Utique inquiunt, ſi Sacerdos ſit Confeſſionem revelaturus, vel ſi ſit ad turpia ſollicitaturus pœnitentem. At hæc quam rariſſima ſunt; & præterea oportet & nullum alium adeſſe Sacerdotem, & Confeſſionem, ac Communionem differri non poſſe. At infamia, inquiunt, ſubſequitur, & ſcandalum, ſi Euchariſtiæ omittatur ſuſceptio. Sed amabo, quænam infamia, quodnam ſcandalum ſubſequetur, ſi quis recuſet ad Communionem accedere, non præmiſſa Confeſſione, cum oppoſitum agere offenſioni potius eſſet? Accedit utique, inquiunt, ſed vel Confeſſarius poteſtate caret abſolvendi a reſervatis, quibus pœnitens irretitur, vel abſolutionem juſte denegat, vel etiam injuſte. Verum his poſitis caſibus jam verum eſt adhuc non licere ad Euchariſtiam accedere non præmiſſa Confeſſione, licet fortaſſis non obtenta abſolutione. Interim in primo caſu juxta Sancti Thomæ doctrinam debet Pœnitens omnia ſua peccata, etiam reſervata, Confeſſario aperire. Ita ſiquidem docet in ſupplemen. quæſt. 9. artic. 2. ad 4. Sibi enim 4. loco objecerat Doctor Angelicus „ Sacerdoti non debet „ fieri confeſſio de peccatis, niſi propter ab„ ſolutionem; ſed quandoque Sacerdos, qui „ Confeſſionem audit, poteſt de quibuſdam pec„ catis abſolvere, non de omnibus: ergo ad mi„ nus in tali caſu non oportet, quod Confeſſio „ ſit integra. Cui objectioni ſic reſpondet. Etiamſi „ Sacerdos non poſſit de omnibus abſolvere, ta„ men tenetur Pœnitens ea omnia confiteri, ut „ quantitatem totius culpæ cognoſcat “. Aliter quidem docet Continuator Tournelii, qui cenſet illum accedere poſſe non præmiſſa Confeſſione, ac ſi copiam non haberet Confeſſarii; & magno apparatu rationum doctrinam ſuam fulcit. At in praxi certo tuta ejus doctrina mihi non videtur. Nam ſi ad Communionem accedat putans ſe contritum Pœnitens; profecto ſuo ſolum ſtat judicio, & in propria cauſa ſententiam pronuntiat. At ſi Confeſſario ſe ſiſtit, & vulnera ſua illi pandit, ipſe melius judicare poterit, num ſit vere contritus, num neceſſitas accedendi ad Communionem ſit urgens, & vera, num ipſe in tali neceſſitate directe a non reſervatis abſolvens, indirecte poſſit a reſervatis etiam abſolvere; fortaſſis modum excogitabit vitandi vel infamiam, vel ſcandalum, & ſimul Communionem omittendi; vel denique, ſi pius eſt, & prudens, dolorem in pœnitente excitare hortationibus, & ferventioribus verbis poterit, & ſic multo ſecurius ad Communionem etiam non abſolutus accedet. Quod ſi Confeſſarius juſte abſolutionem denegabit, quis audebit ad Euchariſticam menſam accedere, qui non eſt dignus abſolutione? At urget infamia, & ſcandalum. Et hic recurrunt, quæ mox diximus de Confeſſione præmittenda, & de Confeſſarii judicio, & inſtructione. An ratione infamiæ, & ſcandali ad Sacramentum accedent, qui in occaſione proxima verſantur, qui pravis habitibus ſunt irretiti, qui conſuetudinarii, qui recidivi? his enim omnibus juſte denegatur a Confeſſariis abſolutio. At injuſte denegat, urgent. Sed quis hujus injuſtitiæ judex? An ipſe Pœnitens, qui, ut infamiam, & turpitudinem ſuam alienis oculis viſibilem occultet, Sacramenti Sanctiſſimi ſumptione, ſeu potius ſacrilega profanatione tegere conatur? Sed de peculiaribus caſibus in Confectariis.

VI. Ut quis digne communicet, non eſt neceſſe, ut admiſſorum peccatorum ſatisfactionem prius integram exhibuerit. Olim in Eccleſia ad Sacram Communionem non admittebantur, qui in grave aliquod crimen incidiſſent, niſi expletis longioris pœnitentiæ laboribus. Id patet ex Apoſtolo, qui inceſtuoſum Corinthium ad Communionem non recepit, niſi poſt annuam pœnitentiam, & quidem precibus fidelium motus, & ne pœnitens, ut ipſe ſcribit, abundantiori triſtitia abſorberetur. Teſtantur etiam ſanctiſſimi Pontifices Innoc. I. in epiſt. 1. ſcribens: *De pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad Confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, at tunc jubeat dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem*. S. Leo M. epiſt. 91. *Chriſtus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. Idem confirmant & varii pœnitentium gradus, quos decurrere debebant, antequam Euchariſtiæ perciperent Communionem, qui peccatis ſe obſtrinxerant. Vetus quidem hæc rigidior diſciplina modo ceſſavit: nec propterea divinæ juſtitiæ jura adverſus peccatores, nec Euchariſtiæ dignitas, & ſanctitas ſunt vel minimum diminutæ; ſicut nec mutata doctrina, Sancta Sanctis eſſe tradenda.

So-

Solum conceſſum eſt, ut etiam non impleta pro peccatis pœnitentia, ideſt ſatisfactione, ad Communionem accedere poſſit pœnitens. Quamobrem Alex. VIII. hanc damnavit propoſitionem: *Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.*

VII. Non omnes tamen pœnitentes ſunt ſtatim poſt Confeſſionem ad Euchariſtiam admittendi. Et primo certe differenda eſt ſicut abſolutio, ita & Communio iis, qui pravis habitibus ſunt irretiti; qui in occaſione proxima etiam neceſſaria verſantur; qui recidivi ſunt, & nova ſemper, cum ad Communionem accedere debent, peccata deferunt, abſque ulla, aut exigua morum emendatione: probandi enim ſunt, & experientia dignoſcendum, num vero tangantur dolore, num firmum conceperint propoſitum, num monita, & conſilia Confeſſarii ad pravos deponendos habitus, ad tollenda offendicula, ad emendationem ſibi data, fideliter impleant. Similiter, qui magnis contaminati ſceleribus, puta blaſphemiis, adulteriis, ſodomiis, pollutionibus, ad Confeſſionem accedunt, non ſunt ſtatim ad Sacram Menſam vel admittendi, vel impellendi, nec etiam permittendi; ni ſe prius, acri concepto dolore graviſſimorum ſcelerum, a ſordibus emundent. Ita aperte docet S. Th. IV. Sent. Diſt. 9. q. 1. a. 4. quæſtiuncula 2. ad 2. ſcribens: „ Non eſt conſulendum alicui, quod ſtatim poſt peccatum mortale, etiam contritus, & confeſſus ad Euchariſtiam accedat, ſed debet, *niſi magna neceſſitas* urgeat, per aliquod tempus propter reverentiam abſtinere. Et præterea Confeſſio purgat maculam mentis, non autem munditiam corporalem, & ſubjectionem, quæ contingit in mente ex depreſſione ipſius ad carnem “. Quam doctrinam iterum confirmat, & D. Auguſtini auctoritate corroborat in IV. Diſt. 16. in expoſit. textus ſcribens: „ Etiam poſt Contritionem, & Confeſſionem gravium peccatorum conſilium videtur eſſe S. Auguſtini, quod non ſtatim accedat propter reverentiam Sacramenti, & ut magis ſe probet “. Nec huic doctrinæ adverſatur, ut quidam putant, Tridentinum Concilium, dum ſtatuit ſeſſ. 13. cap. 7. eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat. Quandoquidem Sancta Synodus ſolum definivit hanc probationem eſſe omnino neceſſariam, at minime definivit, immo nec indicavit eſſe ſufficientem, ut quis digne accedat. Aliud ſiquidem eſt, quod neceſſarium dicitur; aliud, quod ſufficiens. Neceſſarium eſt Baptiſma ad Euchariſtiam ſumendam: at illud nemo dicet ſufficiens, ut quis ad illam digne accedat. Ita pariter requiritur quidem in peccatore contritio, & confeſſio; at hæ ſemper non ſufficiunt, ut decenter, & digne Chriſti Corpus ſumatur. Et revera, qui recens a peccatis gravioribus, præſertim contra caſtitatem, ad Sacramentum audet accedere, Publicani humilitatem non ſolum non imitatur, ſed ab ea longius abeſt, *qui a longe* (ab Altari, & Sanctuario) *ſtans, non audebat nec oculos ad Cælum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori*: etenim iſte poſt repetita crimina maximum ſibi tribuit honorem, & ſummum divini amoris pignus, quod amicis ſuis in hac vita impertiri ſolet Deus, nimirum tam intimam cum ipſo conjunctionem, quo major in mortali homine haberi non poteſt, ſibi arrogat. Quamobrem merito S. Bernardus hos monet, ut exemplum Magdalenæ pœnitentis imitantes, aliquandiu pedibus Chriſti hæreant ſua deflentes crimina, priuſquam ſanctum verticem tangere audeant. Scribit ſiquidem Serm. de Magdalena: *Interſtitii moroſitas inter pedes eſſe debet, & caput; quia profecto difficillimus, & præſumptuoſus ſaltus eſt a veſtigiis ad verticem Domini tranſvolare*. Et revera, ſi S. Thom. docet hic quæſt. 80. art. 7. „ quod ipſa nocturna pollutio, licet involuntaria, ex congruentia impedit Communionem; quia ſemper accidit quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam Sacramenti non decet ad Altare accedere; unde & volentes tangere aliquid ſacrum manus lavant; & quia evagatio mentis ſequitur pollutionem, præcipue quando cum turpi imaginatione conjungitur “; quanto magis ex ſumma decentia, congruentia, & reverentia a ſuſceptione Sanctiſſimi hujuſce Sacramenti abſtinere debent, qui non involuntariam turpitudinem, ſed infami vitio vel fornicationis, vel adulterii, vel alterius contra naturam peccati, eam ſponte in animam induxerunt?

VIII. Qui peccatis venialibus deliberate perpetratis, & cum affectu ad illa Communionem audent frequentare, in magno verſantur periculo in lethalia prolabendi: arcendi proinde a frequenti, puta octidua Communione. Duo ſunt peccatorum venialium genera. Nimirum alia, quæ ex humanæ conditionis infirmitate, & imbecillitate proficiſcuntur; & hæc frequentem Communionem non impediunt: unde merito Alex. VIII. 23. propoſitionem damnavit, quæ aſſerebat: *Arcendi ſunt a Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers*. Et alia ſunt peccata venialia, plena deliberatione admiſſa, & quæ plerumque ex genere ſuo ſunt lethalia, ſed ſolum ex parvitate materiæ venialia ſunt; cujuſmodi forent iræ frequentes, verba ſuperbiam, & arrogantiam redolentia, aperta mendacia, deliciarum amor, voluptatum, & commodorum ſtudium, impatientiæ, curioſitates, multiloquia, mundanæ oblectationes, & gaudia, quæ aperte illicita non ſunt, ſtudium, amor cultus quarumdam amicitiarum, & ſimilia. Sunt enim hujuſmodi venialia, veluti quædam lentæ, & occultæ febres, quæ ſenſim ſine ſenſu omnem hujus cibi ſpiritualem famem extinguunt, & ſolam communicandi conſuetudinem relinquunt, quæ teporem, & ſegnitiem inducunt, caritatis fervorem admodum minuunt, & ſic ad mortalia diſponunt. Hi profecto frequenti, & octiduana Communione indigni ſunt: cum nullum inde fructum reportent, & tanti Sacramenti dignitatem non agnoſcere videantur. Ita docet, non Janſeniſtæ, nec Bajaniſtæ, aut rigidæ Moralis ſectatores, ſed ſanctiſſimus, piiſſimus, ſuaviſſimus Epiſcopus, S. Franciſcus de Sales ſuæ Introd. Par. 2. cap. 20. ſic de octidua Communionis frequentia ſcribens: „ Omnibus Dominicis communicandum ſuadeo, ſi tamen mens ſine peccandi affectu fuerit ... Cum te ab omni tum mortalis, *tum venialis peccati ſtudio*, ac voluntate exi- „ ſti-

„ ſtimas alienum, eam plane, quam requirit Auguſtinus, animi affectionem, & præparationem adepta . . . . Ut quis octavo quoque die Euchariſtiam percipiat, ab omni eum mortalis peccati labe, *ab omni venialium peccatorum ſtudio*, ac voluntate immunem eſſe, ac propterea ſacræ Euchariſtiæ vehementi deſiderio flagrare oportet “.

IX. Quoad corporales diſpoſitiones præcipua, & ſub lethali peccato requiſita, conditio eſt, ut quis omnino jejunus ad ſacram Menſam accedat. Tametſi Chriſtus Dominus Euchariſtiam poſt Cœnam inſtituerit, & Apoſtolis diſtribuerit; non tamen talem ordinem in uſu Sacramenti ſervandum ſuo facto præſcripſit, ſed ſtatuendum reliquit Apoſtolus & eorum ſucceſſoribus, ut ſcribit Sanctus Auguſtinus epiſt. 118. ad Januarium. Diſciplina autem, & conſuetudo Eccleſiæ a primis etiam ſeculis invaluit, ac proinde Apoſtolos habuiſſe auctores non dubitatur, ut nonniſi a jejunis ſumeretur Euchariſtia. Hujus diſciplinæ teſtes ſunt Tertull. qui lib. ad uxor. ſcribit: *Non ſciat maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes*. Certhaginenſe III. Concilium can. 29. præcipiens: *Ut Sacramenta Altaris nonniſi a jejunis hominibus celebrentur*. S. Jo. Chryſoſt. hom. 27. in 1. Epiſt. ad Corinth. S. Auguſtin. laud. Epiſt. ſcribens: *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cibi; nam ideo per univerſum Orbem mos iſte ſervatur*; quem paulo infra ab Apoſtolis derivatum affirmat. Porro diſciplinæ, & conſuetudini huic vim legis graviter obligantis ineſſe, apud omnes eſt in confeſſo, præſertim cum expreſſis fuerit ab Eccleſia legibus confirmata, ut patet ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 23. Excipitur dumtaxat Communio in extremo vitæ agone per Viaticum ſumenda.

X. Jejunium, ad Communionem requiſitum, eſt jejunium naturale omnimodam importans abſtinentiam ab omni, quod inſtar cibi, & potus etiam medicinalis, per os ſtomachum deglutiendo trajicitur; & quidem a media nocte antecedente abſque interruptione ſervatum, ſive multum poſt mediam noctem, ſive modicum tempus decurrerit; ſive ſomnus ſubſecutus fuerit, ſive continuo vigilatum, nihil refert. Abrumpitur itaque præfata abſtinentia, quantacumque parvitate materiæ præaſſumptæ, ut Concilium Tolet. can. 2. & Miſſale Romanum de defectibus notant: quia vel modiciſſima quantitas fini principali legis opponitur; dummodo vera manducatio, vel bibitio interveniat, & quid vere manducabile, & potabile transmittatur ad ſtomachum. Ita ſtatutum fuit, ut honori Sacramenti conſultum foret, quod & majori reverentia a ſobriis acciperetur, & a profano cibo diſtingueretur, & Chriſtum rebus omnibus præponendum, hujus diſpoſitionis exigentia, fideles admonerentur. Quæ omnia motiva complexus eſt S. Thom. hic q. 80. a. 8. ſcribens: „ Impeditur aliquis a ſumptione hujus Sacramenti poſt cibum, & potum aſſumptum . . . . 1. quidem, ſicut docet Auguſtinus, in honorem hujus Sacramenti, ut ſcilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo, vel potu infectum. 2. Propter ſignificationem, ut ſcilicet detur intelligi, quod Chriſtus . . . . & caritas ejus debet primo fundari in cordibus noſtris . . . . 3. Propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc, quod homines inordinate cibis utuntur “. Et in reſp. ad 4. conditiones hujus jejunii exponit, dicens: „ Duplex eſt jejunium. Primum eſt jejunium naturæ, quod importat privationem cujuſcumque præaſſumpti per modum cibi, vel potus. Et tale jejunium requiritur ad hoc Sacramentum propter prædicta. Et ideo neque poſt aſſumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, aut etiam medicinæ, in quantumcumque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere “.

XI. Innumeras pene agglomerant quæſtiones Caſuiſtæ circa hujus jejunii violationem, quas tamen quibuſdam Regulis generalibus definire poſſe arbitror. Et, cum hic agamus de ſolis laica Communione utentibus, generalis hæc mihi videtur & certiſſima, & omnino tuta ſtatuenda.

Regula Prima.

In quocumque prudenti dubio de violato jejunio, ſive ratione temporis, ſive rei præaſſumptæ, eſt a Communione abſtinendum; cum nec ulla ſit neceſſitas eo die communicandi, & ad aliam diem differri poſſit, nullum ſit ſcandalum, nullum periculum, ſi quis a Communione ſe abſtinere dicat, vel ſciatur ob dubium violati naturalis jejunii. Quam Regulam tradit & Bened. XIV. in ſuo Tra. de Sacrif. Miſſæ cap. 4. §. 3. etiam de Sacerdote celebraturo diſputans.

Regula Secunda.

XII. Non eſt in tali jejunio admittenda parvitas materiæ, nec temporis. Non deſunt, ut animadvertit laudatus Sum. Pontifex, Theologi, qui parvitatem materiæ ante Communionem, quæ ejus ſumptionem non impediat, admittunt, ſcilicet Paſqualigo Decif. 440. cui etiam conſentire videtur Gibertus in ſuis Canonicis Conſultationibus. Hæc tamen doctrina omni caret probabilitate, nec ullo unquam caſu eſt ad praxim redigenda; cum revera & in Jure Canonico, & in Rubricis Miſſalis, & a S. Thom. etiam parvitas materiæ omnino excludatur ab hoc jejunio. Nam in Jure Canonico can. *Nihil* 7. q. 7. decernitur: *Nullus poſt cibum, potumque, quamlibet minimum, ſumptum Miſſas facere præſumat . . . . Si quis temerarie præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit*. In Rubricis vero Miſſalis aperte indicitur: *Si quis non eſt jejunus poſt mediam noctem, etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantacumque parva quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare*. Verba autem S. Thom. deſcripſimus mox num. X.

Regula Tertia.

XIII. Quæ rationem cibi, vel potus non habent, nec alterari, nec digeri poſſunt, naturale jejunium non frangere, cujuſmodi ſunt capilli, nummi, fruſta ligni, vel ferri, vel auri, vel alterius cujuſcumque metalli, ſicut & fila ſerica, vel lanea, cenſent plurimi Doctores. At adverſari videtur D. Thom.

Thom. hic quæſt. 80. art. 8. ad 4. dicens: „ Nec „ refert, utrum aliquid hujuſmodi nutriat, „ vel non nutriat, aut per ſe, aut cum aliis, „ dummodo ſumatur per modum cibi, vel po- „ tus “: quæ doctrina certe tutiſſima eſt, & in praxi tenenda. Communiter tamen docent etiam laudati Theologi, jejunium naturale frangere terram, carbones, & ſimilia, quæ prægnantes vorant, vel cretam, quam ſumunt mulieres, ut albeſcant. De cera negat Diana; at immerito, cum oleoſa ſit, & alterationis capax. Frangunt certe tabacci ſuccus per os ſumptus, nec non fruſtula papyri, fœni, paleæ, & abraſarum unguium etiam inadvertenter deglutita; ſicut & pulveres medicinales, licet ex oſſibus, croſtaceis, lapidibus contritis, immo & nux cum cortice deglutita, licet aliqui dubitent.

Regula Quarta.

XIV. Res etiam cibi, & potus rationem habentes aliquando jejunium non frangunt. Hujuſmodi ſunt reliquiæ cibi in ore remanentes, de quibus dicunt Miſſalis Rubricæ: *Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ*. Idem dicendum, ſi lavando os deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem. Innititur hæc Rubrica doctrinæ S. Thom. hic qu. 80. art. 8. ſcribentis: „ Reliquiæ tamen cibi re- „ manentes in ore, ſi caſualiter transglutiantur, „ non impediunt ſumptionem hujus Sacramenti, „ quia non trajiciuntur per modum cibi, ſed per „ modum ſalivæ .... Et eadem eſt ratio de reli- „ quiis aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dum- „ modo non trajiciantur in magna quantitate, ſed „ permixtæ ſalivæ, quod vitari non poteſt “. Sunt tamen, tam in Rubrica, quam in doctrina S. Thom. illa verba notanda, *cum non transglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ; ſi caſualiter transglutiantur*. Quamobrem non immerito notat de Lugo, qui lingua e dentibus particulam aliquam cibi præcedentis cœnæ extraheret, & non expueret, ſed deglutiret, naturale jejunium frangeret; quippe qui non caſualiter, ſed data opera, nec per modum ſalivæ, ſed in ſe particulam cibi ſumeret: quæ doctrina profecto & reverentiæ Sacramento debitæ, & menti S. Thom. conformior eſt. At oppoſitum alii docent ad quietem ſcrupuloſorum. Idem dicendum cum S. Antonino III. P. tit. 31. cap. 6. §. 8. *De his, quæ ſumuntur per modum guſtationis, ſicut Tabernarii, & Coqui faciunt, qui cibum, & potum ſuper linguam ponunt ſolum ad probandum, & ſtatim projiciunt, videtur quod non impediant Communionem.* Et Sylvius 3. p. q. 80. a. 8. ſubdit: *Quamvis contingat aliquid ejus* (condimenti) *per modum ſalivæ cum eo deglutiri, non ſolvit jejunium; ſolveret tamen, ſi ex propoſito ſumeretur, etiamſi is, qui ſumpſiſſet, mox evomeret; quia eſſet vera comeſtio, vel bibitio, ſcilicet trajectio cibi, vel potus in ſtomachum propria, & per ſe actione vitali.* A fortiori vero idem dicendum de ſanguine, vel humore e capite defluente, qui nec cibi, nec potus rationem habet; immo de eo, qui cibus, & potus eſt, ſi potius reſpiratione, quam deglutitione ad ſtomachum tranſeat, ut de fumo, vel pulvere tabacci notat & Bened. XIV. de Syn. lib. 11. cap. 13. n. 3. per nares attracto, vel muſca, panis mica, vel flocco nivis inter reſpirandum trajectis. Secus vero dicendum de ſacchari, glycyrrhizæ, & cujuſcumque ſimilis paulatim liqueſcentis, præcedenti nocte in ore poſitæ, ſucco, etiamſi inter dormiendum deſcenderit: quod pariter eſt extendendum etiam ad cibum, vel potum violenter in os, & ſtomachum introductum; quia licet non ſit voluntaria manducatio, vel bibitio, eſt tamen in ſe talis, & ad nutritionem deſervit, adeo ut oppoſitam doctrinam ab aliquibus traditam rejiciant & ipſi benigniores Theologi. Ex his itaque Regulis prudenter in peculiaribus occurrentibus caſibus, num violatum ſit jejunium naturale quilibet facile poterit judicare.

XV. Nocturna pollutio involuntaria non ſemper impedit Communionem. Olim talem turpitudinem paſſis non concedebatur Communio, ut videre eſt in S. Baſilio in reſp. ad Interr. 309. & in Caſſiano Collat. 22. excepta tamen pollutione dæmonis fraude inducta. At modo eſt attendenda S. Tho. doctrina hic q. 80. art. 7. ſcribentis: „ Pollutio „ nocturna ex quadam congruentia (impedit Com- „ munionem) quantum ad duo; quorum unum „ ſemper accidit, ſcilicet quædam fœditas corpo- „ ralis, cum qua, propter reverentiam Sacramen- „ ti, non decet ad Altare accedere: unde & vo- „ lentes tangere aliquid ſacrum, manus lavant; „ niſi forte talis immunditia ſit perpetua, vel diu- „ turna, ſicut eſt lepra, vel fluxus ſanguinis, vel „ aliquid hujuſmodi. Aliud autem eſt evagatio „ mentis, quæ ſequitur pollutionem nocturnam, „ præcipue quando cum turpi imaginatione con- „ tingit. Hoc autem impedimentum, quod ex „ congruitate provenit, poſtponi debet propter a- „ liquam neceſſitatem, puta, ut Gregorius dicit, „ *cum fortaſſe dies feſtos exigit* &c.

XVI. Accedere ad Comunionem poſt conjugalem copulam nunquam eſt lethale peccatum; quandoque tamen veniale. Et quidem non mortaliter peccare certum eſt; cum hujuſmodi opus conjugale, licet fortaſſis ad ſedandam concupiſcentiam adhibitum, non ſit niſi veniale peccatum. Nec oppoſitum docent Patres, quando prohibere videntur, ne poſt datam operam liberis quis ad Communionem accedat. Ut cum dicit S. Hieronymus epiſt. 1. adver. Jovinianum, verba Apoſtoli Petri: *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi*, hocce Commentario exponens: „ Si per coitum, quod minus eſt, im- „ peditur, ideſt orare; quanto plus, quod majus „ eſt, ideſt Corpus Chriſti prohibetur accipere?... „ Durum eſt, & non ferendum, quis hoc ſecula- „ rium ſuſtinere poteſt? Qui poteſt ſuſtinere, „ ſuſtineat, qui non poteſt, ipſe viderit. Nobis „ curæ eſt, non quod unuſquiſque poſſit, aut „ velit, ſed quid Scripturæ præcipiant, dice- „ re “. Et ſimiliter Concilium Illiberitanum quando can. 3. ſtatuit: *Omnis homo ante ſacram Communionem a propria uxore abſtinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus*. Quod vero ſit aliquando cum veniali peccato, quando ſcilicet quis ad uxorem accedit, non prolis generandæ, vel reddendi debiti cauſa, ſed ſolius voluptatis gratia, aperte docet D. Thom. qui rem hanc ſic declarat hic q. 80. a. 7. ad 2. ſcribens: „ Coitus con- „ jugalis, ſi ſit ſine peccato (puta, ſi fiat cauſa

,, prolis generandæ, vel cauſa reddendi debitum)
,, non alia ratione impedit ſuſceptionem hujus Sa-
,, cramenti, niſi ſicut dictum eſt de pollutione no-
,, cturna, quæ accidit ſine peccato, ſcilicet pro-
,, pter immunditiam corporalem, & mentis diſtra-
,, ctionem. Ratione cujus dicit Hieronymus ſuper
,, Matth. *Si panes propoſitionis ab his, qui uxo-*
,, *res tetigerant, non poterant comedi; quanto ma-*
,, *gis ille panis, qui de cælo deſcendit, non pot-*
,, *eſt ab his, qui conjugalibus paulo ante hæſere*
,, *complexibus, violari, atque contingi? Non quod*
,, *nuptias condemnemus, ſed quod eo tempore, quo*
,, *carnes Agni manducaturi ſumus, vacare carna-*
,, *libus operibus non debeamus.* Sed quia hoc ſe-
,, cundum congruitatem, & non ſecundum neceſſi-
,, tatem eſt intelligendum, Gregorius dicit, quod
,, *talis eſt ſuo judicio relinquendus.* Si vero non
,, amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas domina-
,, tur in opere, ut ibidem Gregor. ſubdit, tunc
,, prohiberi debet, nec accedat ad hoc Sacramen-
,, tum". Porro prohibitio non fit de re aliqua licita, nec minus decenti, ut patet in pollutione nocturna, & in coitu generandæ ſobolis gratia habito. Supereſt igitur, ut prohibitio fiat tanquam de re in ſe mala. Hinc uxor, a qua maritus debitum petit pridie Communionem, 1. illum monere debet de deſiderio ſuo accedendi ad Communionem, & rogare, ut ab opere conjugali ceſſet. Quod ſi ille non aſſentiatur, ſed urgeat; pareat quidem invita, & corde doleat de immunditia, deinde ad divina accedat. Si autem ipſa voluptatis cauſa petierit, non erit illi tunc danda Communio, ſed in alium diem differenda. Et quod de uxore dixi, eſt & viro aptandum.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quis dicatur non carere copia Confeſſarii.*
II. *Quid agere debeat, qui peccato coinquinatus ad Euchariſticam menſam acceſſit.*
III. *Qui eſt alicujus lethalis peccati oblitus, tenetur confiteri, antequam communicet.*
IV. *Qui urgente neceſſitate cum ſola contritione communicavit, quamprimum confiteri tenetur.*
V. *Quid de infirmo in lethali peccato, cui Viaticum eſt adminiſtrandum.*
VI. *Quibus non permittitur accedere ad Communionem, non præmiſſa Confeſſione.*
VII. *Quibus etiam confeſſis non ſit ſtatim concedenda.*
VIII. *Quando optimum ſit a Communione ceſſare.*
IX. *Communio quotidiana non eſt de jure divino.*
X. *Qua exteriori devotione ad Communionem accedendum.*
XI. *Non licet infirmo non jejuno communicare, licet diutiſſime Communione carere debeat.*

Conſectarium Primum.

I. ILle Laicus non dicitur copia carere Confeſſarii, ut ſine Confeſſione, & cum ſola præſumpta Contritione accedere poſſit ad Communionem, qui vel proprium non habet Confeſſarium, vel ſolum aliquem ſibi minus gratum, vel inimicum, vel nullum ob diſtantiam Confeſſarii, quem ſine labore adire non poſſit. Nam tunc nec revera deeſt Confeſſarius, qui rite poſſit Confeſſionem recipere, vel nulla eſt neceſſitas communicandi, cum Communio poſſit commode ad alium diem differri; nec, ut dixi, ullus ſit timor ſcandali, vel offenſionis, ſi quis accedere recuſet ad ſacram menſam non præmiſſa Confeſſione.

Conſectarium Secundum.

II. Qui ad menſam Communionis jam acceſſit, ſi alicujus lethalis peccati ſorde ſe inquinatum cognoſcit, ſe ſubducere debet; vel, ſi non poſſit, actum contritionis tenetur elicere. Primæ parti contrarium docent Caſuiſtæ, qui putant illum ratione ſcandali poſſe communicare. At hæc ſcandali, & infamiæ pericula, quæ adeo extolluntur, & exaggerantur, mihi plerumque puerilia terriculamenta videntur. Plures enim adeſſe poſſunt legitimæ cauſæ, ut quis a ſacra menſa ſe ſubducat; puta ſcrupuli, memoria non ſervati jejunii, alicujus peccati venialis recordatio, vel conſurgens reverentia, & formido tam Auguſtiſſimi Sacramenti. Nullus igitur, niſi malignus, & imprudens, ſuſpicari poteſt, recedentem a ſacra menſa aliquo eſſe mortali peccato inquinatum. At fingamus, ita legitime quempiam ſuſpicari, quodnam ſcandalum, quænam admiratio, ſi recedat, ut conſcientiam purget? Nonne omnes peccatores ſumus? nonne omnes Communioni Confeſſionem præmittimus? & tamen quis dicet omnes ad Confeſſionem accedentes lethalibus coinquinari peccatis? Nonne Paſchali tempore ſacra Tribunalia a pœnitentibus pene obruuntur? & quis admiratur, quis ſcandalum ſumit videndo tot Peccatores, quorum pleroſque jam ſciunt nonniſi ſemel in anno ad Confeſſionem accedere, Pœnitentiæ tribunali ſe ſiſtere, non certe ob venialia peccata, ſed ob lethalia? Sed nimium ſuperbi ſumus, & dum de purulentis, & fœtentibus plagis, & cancris minime erubeſcimus, de faſciolis poſtea, & ligaturis verecundamur. Hinc, ut laxa, omnino rejicienda eſt Tamburini, & Leandri doctrina, affirmantium, laicum menſæ Euchariſticæ aſſidentem, licet poſſit ſine ſcandalo recedere, non tamen teneri ſe ſubducere: quia, inquiunt, cum jam incœpta ſit actio ſacra, non debet ob reverentiam recedere a divina menſa. Debebit igitur pollutus ac fœdatus accedere? Nonne Pater familias expulit aſſidentem convivio ſine veſte nuptiali; immo illum vinculis, & carcere punivit? Nonne Chriſtus jubet, ut oblatio abrumpatur, quotieſcumque quis novit ſe debere reconciliari fratri ſuo? At hæc monſtra ſunt, & portenta probabiliſtica, quorum aſpectus ſolus terret, & horrorem incutit. Sed inquis, quid dicendum de uxore, quam maritus adulteram ſuſpicatus obſervat, num ad Euchariſtiam accedat, & de filia, quæ pariter a matre obſervatur? Jam ſuperius dixi, iſtas ad Communionem accedere non debere, niſi præmiſſa Confeſſione, cum nec maritus, nec mater cogere poſſint ſine Confeſſione communicare. A Confeſſario autem audient, quid ſibi faciendum ſit, ut & ſcandalum impediatur, & immundæ non accedant. Quod ſi quis recedere non poſſit a ſacra menſa, diximus illum teneri actum contritionis elicere: nam tunc non aliud illi ſuppetit medium remiſſionem obtinendi.

Sed

Sed quid, ſi conetur elicere, & non poſſit, peccabit ne lethaliter communicando? Abſit, inquiunt Tamburinus, & Viva: *tam benigna enim ſunt viſcera miſericordiæ Domini, ut non dedignetur excuſare pervicaciam noſtram*. Communicabit igitur in lethali peccato ſine confeſſione, & contritione, & abſque ſacrilegio? Utique reponunt: nam confiteri non poteſt, conteri non valet: *quid igitur ab anima ſic affecta extorquendum?* At cur conteri non poterit? Num Deus impoſſibilia jubet? Mandat ſiquidem, ut homo ante Communionem ſe probet, vel contritione, vel confeſſione; alioquin reus fiet Corporis, & Sanguinis Domini, & judicium ſibi manducabit, & bibet. Hoc facere conatur homo, & non poteſt. Ergo, quod impoſſibile illi eſt, præcipitur; quod profecto blaſphemum eſt, & hæreticum. Poteſt igitur actum contritionis elicere. Quod ſi eliciat, jam a culpa emundatus ſacrilegium non committit. Si vero non eliciat, profecto id eveniet vel ob deficientiam gratiæ, vel ob voluntatem peccatoris; non ex primo capite, cum gratia nunquam deſit volenti converti; vel ſi deſit, hæc eſt in pœnam præcedentium ſcelerum, quæ talem gratiæ ſubtractionem promeruere: proinde culpabiliter ea caret, & ſic reus erit ſacrilegii communicando. Si vero ex altero capite, jam manifeſtum eſt vitio voluntatis perverſæ hominem non converti, & ſic reum fieri Corporis, & Sanguinis Domini Sacramentum percipiendo. Falſa igitur eſt, & perverſa doctrina, quæ probabile eſſe docet, poſſe quempiam in lethali peccato Corpus Chriſti ſumere ſine Confeſſione, & contritione, & tamen ſacrilegium non perpetrare.

Conſectarium Tertium.

III. Qui poſt Confeſſionem, & abſolutionem recordatur alicujus lethalis peccati, ex oblivione non manifeſtati, vel ſub dubio expoſiti, quod poſtea certum deprehendit, debet illud confiteri, antequam ad Communionem accedat, niſi verum ſcandalum, vel impoſſibilitas impediat. Huic noſtræ doctrinæ adverſatur Tournelius *de Euch.* p. p. cap. 6. q. 2. qui tamen fatetur pene omnes Theologos ſibi adverſari, adeo ut ejus opinio Dianæ ipſi viſa ſit improbabilis, & Hiſpanica Inquiſitio eam expungi juſſerit ex operibus Cornejo. Et jure merito: nam doctrina noſtra præter Theologorum communem conſenſum habet & conſuetudinem, & praxim omnium fidelium, quorum nemo eſt, qui oblitus alicujus peccati ad Confeſſarium non revertatur ipſum manifeſtaturus, antequam ad Communionem accedat. Confirmant & invicta rationum momenta. Nam eſt divinum, & eccleſiaſticum præceptum obſtringens fideles communicare volentes ad aperienda in Confeſſione omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, & nunquam fuere manifeſtata. Porro hic ante Communionem recordatur alicujus gravioris culpæ nunquam manifeſtatæ. Ergo tenetur Sacerdotis judicio ſe ſubjicere, & eam confiteri. Præterea peracta Confeſſio, & data abſolutio Pœnitentem ab onere non liberat oblitum peccatum manifeſtandi in Confeſſione: tenetur igitur illud confiteri. Utique, reponit Tournelius, at non ſtatim ante Communionem, ſed ſatis eſt poſtea. At quis hoc Tournelium docuit? In quo Patre, in quo Concilio, in quo Rituali dicitur, oblitorum peccatorum confeſſionem poſſe differri poſt Communionem, cum ante peragi poſſit? Immo nonne contrarium ſic luculenter oſtenditur? Manifeſtatio criminis in Confeſſione obliti ad illam probationem pertinet, quam Communicaturis præhabendam jubet Apoſtolus ad Corinth. *probet autem ſeipſum homo*; & quam ſancta Tridentina Synodus declaravit indiſpenſabiliter ſitam eſſe in Confeſſione, & ſuſceptione Sacramenti Pœnitentiæ pro iis, qui ſunt lethali peccato inquinati: at hæc probatio Communioni eſt præmittenda, non poſtponenda; ergo oblitum peccatum ante Communionem eſt manifeſtandum.

Sed quid profert Tournelius, ut ſuam communi Theologorum ſententiæ adverſam fulciat? 1. Nonnullos citat Theologos ſibi faventes, inter quos ipſum Cornejum, de quo ante ſcripſerat, juſſu Inquiſitionis Hiſpanicæ ab ejus Operibus deletam eam doctrinam, teſte Henrico a S. Ignatio. At ſi ipſum non movet Theologorum ſibi adverſantium chorus; quomodo putat alios moveri poſſe paucorum a ſe laudatorum judicio? Addit 2. Litem eſſe non de obligatione confitendi peccati, cujus oblitus eſt; ſed an hic & nunc teneatur confiteri; & aſſerentes hoc non probare. Sed reſpondeo, non eſſe quæſtionem, an hic & nunc teneatur; ſed an teneatur confiteri ante Communionem, quam, niſi neceſſitas, vel evidens ſcandalum urgeat, differre, quoaduſque confiteatur, libere poteſt; & ſi neceſſitas urgeat, & ſcandalum immineat, ſicut diſpenſatur a Confeſſione primo facienda, ſi non adſit copia Confeſſarii, ita eximitur ab onere manifeſtandi oblitum peccatum. Et nos hic loquimur de illo, qui poteſt ad Confeſſarium reverti, ut oblitum peccatum confiteatur. Quod nos non gratis aſſerimus, ſed luculenter probavimus 1. & ex conſenſu Theologorum. 2. ex praxi fidelium, 3. ex ſatis perſpicua ratione. Subdit, Theologos hoc onus imponentes non convenire: quidam enim dicunt, teneri accedere, ſi commode poteſt; alii, ut novo dolore concepto nova donetur abſolutione; alii neutro opus eſſe; alii, niſi adſit periculum infamiæ. At reſpondemus meras has eſſe nugas, & cavillationes. Nam qui dicunt, ſi commode poteſt, non aliud intelligunt, ut niſi ſi adſit copia Confeſſarii, & neceſſitas non urgeat communicandi, vel infamiam incurrat, ſi non communicet. Quid autem huc pertinet quæſtio, num nova requiratur abſolutio, num novus dolor ſit requiſitus? Hoc non ad Pœnitentem pertinet, ſed ad Confeſſarium expendere, & judicare. Nos hic agimus non de Confeſſario, ſed de Pœnitente, qui oblitus eſt peccati admiſſi: & hunc teneri dicimus iterum Confeſſario ſe ſiſtere, ut integram habeat Confeſſionem; nec ad ipſum pertinet expendere, num Confeſſarius debeat iterum abſolvere, vel declarare prima abſolutione ſolutum. Addimus tamen, & teneri novum elicere dolorem, & eſſe a Confeſſario directe abſolvendum a peccato, cujus oblitus eſt, & indirecte fuit abſolutus. Exaggerat deinde onus graviſſimum, quod imponitur iterum recurrendi ad Confeſſarium, quando menti occurrit aliquod peccatum, vel dubium, vel certe mortale; & preſertim in Sacerdotibus, qui nuper generalem Confeſſionem emiſerunt, qui novi quid e me-

memoria lapſum ſingulis fere paſſibus detegunt: & ait ſe quendam vidiſſe, qui unius horæ ſpatio quinquies confiteretur, & ſibi, & Confeſſario eſſet oneri pene intolerando. Verum hæc ſunt inania terriculamenta, quæ oſtendunt Turnelium eſſe quidem doctum theologorum, at minus expertum Pœnitentiæ miniſtrum. Nam oportet, quod Pœnitens, qui pluries reverti debet, ut e memoria lapſa peccata confiteatur, certe conſcientiam non exacte, ut decet, rimatus fuerit, ſi ſemper nova occurrant memoriæ oblita peccata, & quidem lethalia: quia profecto animæ ſerio ad Deum converti volenti ſunt ad inſtar prunarum, quæ in ſinu abſcondi non poſſunt, & ſerio ſe recolligenti ſtatim occurrunt. Suſpectus eſt igitur valor jam habitæ Confeſſionis. Minime, inquit: nam non agitur de Confeſſione, vel hebdomadali, vel menſili, ſed de generali, in quam facile cadere poteſt oblivio. Sed repono, vel hæc generalis Confeſſio eſt de neceſſitate facienda, & ad reparandum ſacrilegia aliarum Confeſſionum, vel ſola ex ſupererogatione, & ad majorem conſcientiæ quietem. Si hoc ſecundum, jam ceſſat intolerandum onus revertendi ad Confeſſarium: nam ſicut non tenebatur peccata, quæ jam manifeſtavit, aperire; ita multo minus tenetur ad Confeſſarium redire, ut oblita manifeſtet. At, ſi neceſſaria eſt, & plurium annorum ſeries expendenda, & plurima peccata mortalia varii generis, & ſpeciei pandenda, quis ſtudioſus Confeſſarius, qui vel micam pietatis habeat, ſtatim ad Communionem, vel ad ſacrificium Pœnitentem hujuſmodi permittet accedere? Vix eructatis mille ſacrilegiis, & totidem peccatis, ſtatim Euchariſtico Pane, & Sacrificio Miſſæ illum dignabitur? Nonne monere debet, ut ſaltem per aliquot dies a Sacra Menſa, & Altari abſtineat, ut melius & conſcientiam ſuam ſcrutetur jam ab interrogationibus Confeſſarii illuminatus, ut videat, ſi forte alicujus peccati ſit oblitus, ut actibus doloris, contritionis pœnitentiæ ſe minus indignum reddat Sacræ Menſæ, vel divini Sacrificii? Omnia, inquit, hæc perfecit, & adhuc plura occurrunt memoriæ peccata, quæ exciderunt. Verum reſpondeo, hoc non adeo facile eſſe, & obvium: & præterea peccata, quæ e memoria lapſa putat Pœnitens, & proinde non manifeſtata, jam factus ſcrupuloſus, ut fere ſemper contingit in iis, qui ſincero corde a cœno peccatorum emergunt, talia non ſunt; ſed manifeſtata in cumulo, & in confuſo, quæ poſtea ſingillatim menti obveniunt, & putat non manifeſtata, quia ſingillatim non manifeſtaverit; quod ad legitimam Confeſſionem neceſſarium non eſt. Rem exemplo illuſtro. In Confeſſione generali quis confitetur, ſe per plures annos circiter centies eſſe fornicatum cum meretricibus, viduis, aliiſque liberis mulieribus; & interim, dum hæc confitetur, mente revolvit fœminas quibuſcum peccavit, ut numerum deprehendat: at poſtea peracta jam Confeſſione, vel aliqua nova occurrit fœmina, vel aliqua fornicatio in talibus circumſtantiis habita, ad quam in examine conſcientiæ, vel in Confeſſione non attendit, & putat ſe non aperuiſſe in Confeſſione, quod tamen falſum eſt, cum in cumulo, & numero comprehenſa fuerit. Proinde monendi ſunt hujuſmodi Pœnitentes, ut ſi forte ſimilia occurrant peccata, de illis doleant, & ea deteſtentur coram Deo, & de confeſſione illorum ſolliciti minime ſint, cum jam ſufficienter fuerint in Confeſſione manifeſtata. Nos vero hic nec de his peccatis, nec de his ſcrupuloſis agimus, ſed de illo Pœnitente, qui vere coram Deo, vel certe novit ſe alicujus peccati oblitum, vel ut dubium manifeſtaſſe, quod certum poſtea deprehendit; & tunc dicimus non debere ad Communionem accedere, niſi prius confiteatur, niſi neceſſitas cogat, vel immineat infamia, adeo ut poſſit etiam non habita copia Confeſſarii cum ſola contritione accedere: quod in Laicis raro contingere ſuperius diximus; & in Sacerdotibus inferius expendemus, cum de Miſſæ Sacrificio offerendo tractabimus. Quod tamen ſi contingat, dicimus teneri actum contritionis elicere: nam debet Pœnitens & omnia, & ſingula, quæ memoriæ occurrunt, peccata deteſtari, & de ipſis dolere: & ſicut, ſi poſſet, teneretur ante Communionem confiteri; ita tenetur dolere, cum nihil ſit, quod dolorem hunc impedire poſſit: quidquid in contrarium dicat Tournelius, a cujus doctrina certe recedendum.

Conſectarium Quartum.

IV. Laicus, qui deficiente copia Confeſſarii, & urgente neceſſitate ad Communionem acceſſit cum ſola Contritione, tenetur & ipſe quamprimum confiteri. Ita certe ſtatuit, & declaravit Tridentina Synodus de Sacerdote Miſſam celebrante cum ſola Contritione ob deficientiam Confeſſarii. At hoc præceptum & Laicos urgere negant nonnulli benigniores Caſuiſtæ, Jo. Sanchez, Filliucius, Diana, & Lugo &c. quia, inquiunt, cum præcepta odioſa ſint, non ſunt extendenda ad alios. Verum hæc ratio falſa eſt: nam odioſa non ſunt dicenda ea præcepta, quæ reverentiam reſpiciunt Sacramenti omnium maximi. Probabilior itaque eſt tenenda oppoſita ſententia, cum eadem ſit ratio & pro Laico communicante, & pro Sacerdote celebrante, ut ſcilicet ſtatim impleat, quod præmittere ex præcepto naturali, & divino tenebatur: cujus obligatio ſuſpenſa quidem pro illo modico tempore præſumitur, at non ablata, vel diutius dilata, ſed quamprimum implenda, ſcilicet eodem die, ſi poteſt, vel altero ſubſequente, etiam cum aliquo incommodo. Quamobrem audiendi non ſunt Theologi, qui ab onere hujus præcepti liberant Sacerdotes non celebrantes, ſed ſolum cum contritione communicantes; licet excipiant Sacerdotem in Fer. VI. Majoris Hebdomadæ Miſſam præſanctificatorum celebrantem, quia, inquiunt, Sacerdotaliter communicat. Sed de his iterum ſuo loco.

Conſectarium Quintum.

V. Quid agendum cum infirmo, qui ſolemni pompa delatum viaticum ſuſcepturus, Parocho manifeſtat, ſe ſemper ſacrilege confeſſum eſſe, proinde neceſſariam Confeſſionem plurium, puta viginti, aut triginta annorum; & cum puella, quæ a Matre ad aliquam magnam indulgentiam adducta, Confeſſario immenſa Pœnitentium turba obruto manifeſtat, ſe ſemper turpia peccata ob verecundiam occultaſſe, proinde diutius ad Confeſſionem generalem detinenda cum adſtantium, & Matris admiratione & ſcandalo? Ad primum dico, optimam eſſe Tour-

nelii

nelii l. l. doctrinam. Videlicet, vel infirmus eſt morti adeo proximus, ut exiguum vitæ ſpatium ei ſupereſſe credatur: & tunc eliciendam ab eo graviorum peccatorum, & eorum omnium, quæ abſque ipſius periculoſo gravamine, & adſtantium ſcandalo, & admiratione extundi poſſunt, Confeſſionem, & excitata acri contritione abſolvendum eſſe, miniſtrandumque illi Viaticum. Vel non adeo de vita periclitatur, ut ſpatium aliquod congruum temporis ſuperſit; & tunc idonea reperta occaſione vel perturbati animi, vel confuſæ mentis, quæ certe in ſimilibus caſibus vere occurrunt, de ipſius infirmi conſenſu differendum Viaticum; & poſtea opportuno tempore iterum inviſendum infirmum ad integram habendam Confeſſionem, poſt quam erit danda Euchariſtia. In altero vero caſu reſpondet Segnerius in ſuo ſtramineo libro, *Inſtructio Confeſſarii*, cap. 2. extundendam Confeſſionem ampliorem peccatorum juxta prementis temporis anguſtias, cum onere poſtea reliqua manifeſtandi, & eam abſolvendam. Verum hæc doctrina falſa eſt, cum regatur propoſitione damnata ab Innoc. XI. quæ aſſerebat: *Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiate confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ feſtivitatis, vel indulgentiæ.* Eſt itaque patienter audienda, & cum puella ſit, cujus vita uniformis eſt, non multis implicita negotiis, vel actibus, brevi tempore etiam plurium annorum Confeſſio generalis haberi poteſt. Sed quidquid ſit, non erit abſolvenda, niſi integra omnium peccatorum habeatur Confeſſio, niſi certus prudenter ſit de emendatione, quam ſi deprehendat cordatus Confeſſarius, abſolvere poterit. Sed de his iterum de Sacramento Pœnitentiæ.

Confectarium Sextum.

VI. Qui in aliqua conſtituti Communitate certis diebus communicare debent, licet habere non poſſint Confeſſarium, quibus vel admiſſa confiteantur peccata, vel oblita manifeſtent, accedere ad Communionem ſola contritione non præſumant. Adverſantur huic doctrinæ plures benigniſſimi Caſuiſtæ, qui id permittunt duplici ratione: 1. Quia cum jus habeant, & obligationem communicandi, accedere valent eo meliori, quo poſſunt, modo diſpoſiti: 2. Quia omiſſio Communionis eſt & aliis admirationi & ſcandalo. Verum hæc momenta nec levem conciliant eorum doctrinæ probabilitatem. Nam nullum jus habet ad Communionem, qui probationem, quam Apoſtolus præcipit, præmittere non poteſt eo modo, quo ſtatuta eſt ab Eccleſia, ſcilicet per Pœnitentiæ Sacramentum: multo minus onus, & obligatio urgere poteſt, ut quis in lethali culpa conſtitutus ſine prævia Confeſſione communicet; cum hoc adverſetur divinæ legi, & Eccleſiaſticis præceptis. Metus autem ſcandali, & infamiæ effectus ſunt remordentis conſcientiæ, quæ peccata etiam occultiora exprobrat, & ſuſpicionem inducit, ne aliis innoteſcant; quæ tamen Sacramentorum frequentia tegere vellent. Multæ enim eſſe poſſunt cauſæ, cur quis velit tali die a Communione abſtinere abſque ulla vel ſuſpicionis, vel infamiæ nota, c. ex. major devotio, & reverentia erga Auguſtiſſimum Sacramentum; vel etiam tepor, & negligentia, quæ aliquando etiam in bonis ſubrepit, ſcrupuli, animi anxietates, Confeſſarii voluntas, qui vel probationis cauſa Communionem deneget, & ſimilia. Immo licet aliqua inde in aliis ſequeretur admiratio; hæc tamen juſta non eſſet cauſa, ut quis ad Sacram Menſam accederet ſine Confeſſione vel admiſſi, vel obliti lethalis peccati; cum hæc ipſa facile tolleretur vel præcedentium, vel ſubſequentium Communionum frequentia.

Confectarium Septimum.

VII. Non eſt concedenda Communio iis, qui ex conſuetudine quadam, vel ſingulis menſibus, vel omnibus B. Virginis Feſtivitatibus ad Sacram Menſam accedere volunt; & tamen ſemper aliquibus mortalibus inquinati Confeſſario ſe ſiſtunt, vel nullum ex tam frequenti Communione fructum reportant. Nam primi etiam ſuſpectas reddunt Confeſſiones per plures annos peractas, cum nunquam non peccandi firmum conceperint propoſitum; ſemper enim ad Confeſſionem accedunt lethalibus inquinati peccatis, licet diverſis juxta varias peccandi oblatas occaſiones. Sincera enim Pœnitentia poſtulat firmum, & ſtabile propoſitum cavendi ab omni peccato. In his autem quis fructus a menſili Communione, per quam nec per quatuor hebdomadas, immo fortaſſis nec una, a lethalibus peccatis arcentur? Et de his puto intelligendam damnatam propoſitionem n. 56. ab Inn. XI. aſſerentem: *Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.* Nam certe vita chriſtiana illa dicenda non eſt, quæ per plures annos alternat Confeſſiones & peccata, peccata & Confeſſiones, & Menſam Domini alternat cum Menſa dæmoniorum. Sunt igitur de ſuo errore commonefaciendi, & ad vitæ mutationem hortandi; nec illis Communio donanda, niſi per aliquod tempus ab omni lethali peccato abſtinuerint. Idem etiam dicendum cum debita proportione de iis, qui licet non coinquinati lethalibus accedant, nullum tamen ex hac Menſili Communione fructum reportant. Hoc enim argumentum evidens eſt, illos non ex fame & deſiderio hujus Sacramenti accedere, ſed ex quadam jam inolita conſuetudine, & præconcepta devotione. Audiant Confeſſarii, quid doceat non Arnaldus, non Paſchalis, non aliquis Janſeniſta, quos Recentiores Theologi, & Caſuiſtæ ceu frequentis Communionis hoſtes traducunt; ſed piiſſimus Magiſter ſpiritualis Davila epiſt. 65. „ Multum errant, „ qui ſolam Communionis cupiditatem *a conſuetudine* potius, quam a ratione veriore natam pro „ idonea ad Euchariſtiam præparatione habent. „ Quod ſi præterea, dum Chriſti Corpus accipiunt, „ lacrimulam extillent, magnopere ſe profeciſſe „ arbitrantur. Verum eo falluntur, quod Communionis fructum, quem nullum capiunt, non „ ſatis attendunt; neque intelligunt, unicum *probæ Communionis* ſignum animæ profectum eſſe, „ atque ad pietatem progreſſionem, quam ſi aſſequantur, recte ad Euchariſtiam ſæpius recurrant; ſin minus, ab ea debent abſcedere. Commonefaciendi ſunt, *quanti periculi ſit*, ignem „ divinum ſinu colligentem non incaleſcere, pane „ cæleſti veſcentem ejus ſuavitate non imbui, præſentiſſima medicina utentem in ſumma nihilominus

,, nus ægritudine jacere. Eripiendus illis cibus,
,, tanquam inertibus, & ignavis, ut tanti boni pe-
,, nuria miſeros ſe agnoſcentes, pluris illud faciant,
,, ſibique laboris aliquid, & ſudoris ſubeundum in-
,, telligant, quo ad ſacras epulas ſanctius ſe præ-
,, parent, culpas, quas identidem incurrunt, acrius
,, ulciſcantur ".

Conſectarium Octavum.

VIII. Licet animabus piis, & ferventioribus melius ſit cum humilitate ad Sacram Menſam accedere, quam timore reſilire; optimum tamen eſt illis aliquando ob reverentiam abſtinere. Tota hujus Conſectarii doctrina ex S. Th. deſumpta eſt, qui primam partem ſic docet hic q. 80. a. 10. ad 34.
,, Reverentia hujus Sacramenti habet timorem a-
,, mori conjunctum: unde timor reverentiæ ad
,, Deum dicitur timor filialis; ut in ſecunda par-
,, te dictum eſt. Ex amore enim provocatur deſi-
,, derium ſumendi; ex timore autem conſurgit hu-
,, militas recedendi. Et ideo utrumque pertinet
,, ad reverentiam hujus Sacramenti, & quod fre-
,, quenter ſumatur, & quod aliquando abſtinea-
,, tur . . . Amor tamen, & ſpes, ad quæ ſemper
,, Scriptura nos provocat, præferuntur timori. Un-
,, de & cum Petrus dixiſſet *Exi a me Domine*,
,, *quia homo peccator ſum*, reſpondit Jeſus, noli
,, timere ". Id clarius docuerat in IV. Diſt. 12.
q. 3. a. 2. quæſtiuncula 3. ſcribens ,, Si hæc duo
,, (amorem, & timorem) ad invicem compare-
,, mus, adhuc invenitur prævalere ſumptio Sacra-
,, menti abſtinentiæ a Sacramento . . . quia ſumere
,, videtur eſſe Caritatis, abſtinere autem timoris,
,, amor autem timori prævalet ". Alteram autem
partem eodem in loco inſinuat, ſubdens: ,, Sim-
,, pliciter loquendo, melius eſt Euchariſtiam ſu-
,, mere, quam ab ea abſtinere: ſed in caſu aliquo
,, nihil prohibet eſſe melius abſtinere, quando
,, aliquis probabiliter præſumit ex ſumptione reve-
,, rentiam minui ". Et iterum quæſtiuncula 2. re-
petit: ,, Si quis experimentaliter ſentiret, per fre-
,, quentationem reverentiam minui, & fervorem
,, *non multum augeri*; talis deberet interdum ab-
,, ſtinere, ut cum majori reverentia poſtmodum
,, accederet ".

Conſectarium Nonum.

IX. Falſa eſt doctrina, quæ aſſerit. Communionem quotidianam, omnibus qui ſunt in gratia, eſſe de jure divino. Hæc doctrina, quam benigniores Caſuiſtæ invenere, reprobata invenitur ab Innoc. XI. qui in ſuo Decreto de Quotidiana Communione num. 9. ſtatuit: *Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes. Communionem quotidianam eſſe de jure divino.* Et jure merito; nam ad frequentem, multoque magis quotidianam Euchariſtiæ Communionem, non ſufficit ſtatus gratiæ, & peccati lethalis carentia; ſed, ut pluries docet S. Th., oportet, ut *cum magna devotione, & reverentia accedatur*. Et paſſim Patres omnes inculcant, ad Communionem accedendum cum magno fervore, puritate, deſiderio, pietate, & ſanctitate. Audiatur D. Jo. Chryſoſt. hom. 17. in epiſt. ad Hebræos ſcribens: ,, Magna voce, ter-
,, ribili clamore tanquam Præco, manum tollens
,, in altum, ſtans extenſus, & omnibus manife-
,, ſtus, & in tremendo illo ſilentio vehementer
,, vociferans, alios quidem vocat, alios autem
,, rejicit Sacerdos . . . Nam vox illa aures noſtras
,, incurrens, tanquam manus alios quidem repel-
,, lit, & ejicit, alios autem introducit, & ſiſtit.
,, Nam quando dicit: *Sancta Sanctis*, hoc dicit;
,, ſi quis non eſt ſanctus, non accedat. Non ſo-
,, lum, inquit, a peccato purus, ſed etiam ſan-
,, ctus. Sanctum enim facit non ſolum liberatio a
,, peccatis, ſed etiam præſentia ſpiritus, & bono-
,, rum operum abundantia. Non ſolum vos volo
,, a cœno liberatos, ſed albos, & ſpecioſos ".
Idem inculcat & S. Hieronymus in Zach. cap. 9.
,, Hunc panem (Euchariſtiæ) iis comedendum qui
,, in Chriſto robuſti ſunt, bibendumque hoc vinum
,, ab iis virginibus, quæ ſunt ſanctæ corpore, &
,, ſpiritu, ut inebriatæ, atque gaudentes ſequan-
,, tur Eccleſiam; & dicitur eis, *adducentur Vir-*
,, *gines poſt eam* ". Et in Pſal. 77. ,, In Eccleſia
,, ſi quis carne & ſanguine Chriſti reficitur, & de-
,, clinat ad vitia, noverit Dei judicium immine-
,, re ". Quamobrem egregie docet S. Bonaventura in IV. ſent. par. 2. q. 11. ,, Si quæritur, ut-
,, rum expediat frequentare (Euchariſtiam) di-
,, cendum, quod ſi videat ſe eſſe in ſtatu primiti-
,, væ Eccleſiæ, laudandum eſt quotidie communi-
,, care. Si autem in ſtatu Eccleſiæ finalis, utpo-
,, te frigidum, & tardum, laudandum eſt quod
,, raro. Si autem medio modo, medio modo ſe
,, debet habere, & aliquando debet ceſſare, ut di-
,, ſcat revereri, aliquando accedere, ut inflamme-
,, tur amore; quia tali hoſpiti timor debetur, &
,, amor ".

Conſectarium Decimum.

X. In accedentibus ad Sacram Menſam etiam in exteriori cultu pietas, devotio, & reverentia eluceant. Ita enim poſtulant Sacramenti dignitas, Majeſtas, excellentia. Quapropter ea ſervanda ſunt, quæ S. Carolus in ſuis Inſtructionibus tradit dicens: ,, Fideles ſumma reverentia, omnique
,, humilitate ad Sacram Communionem acce-
,, dant, & ſumant. Oculis non vagis, ſed in Chri-
,, ſti corpus pie conjectis; barbæ pilis circa os be-
,, ne præciſis, ore ſuper pannum lineum ſuppoſitum
,, modeſte porrecto, capite non demiſſo, lingua
,, paululum labrum inferius attingente, non ta-
,, men extra os prominente, in qua particulam
,, ſuſcipiant, neque linguam ipſam retrahant, pri-
,, uſquam Presbyter manum removerit, tum ve-
,, ro caput humiliter demittant. Ita etiam & a
,, ſuſpiriis abſtineant, quibus particula excuti poſ-
,, ſit. Manibus pectori admotis inſtar Crucis ex
,, veteri fidelium diſciplina, aut ſupplicibus, iiſ-
,, demque nudis, pallio quantum fieri poteſt adhi-
,, bito, non biretis, pileiſque pluma inaniter or-
,, natis, armis depoſitis, toto denique corporis ha-
,, bitu, decenti, humili, & modeſto, non ſordido.
,, Mulieres non ſumptuoſis, non caudatis veſtibus,
,, non crinibus inaniter intortis, non fuco, aut pig-
,, mentis vultu illito, non pectore nudo, aut te-
,, nui velo tecto, ſed ita veſtitæ, ut ne præter
,, faciem quidquam nudum cernatur, velo denſo
,, ſuper faciem demiſſo . . . . Omnes autem geni-
,, bus flexis, non pectore, brachiiſve ſcabello ni-
,, xi . . .

„ xi . . . Omni modeſtia ſurgant, & a Menſa diſcedant“. Hic itaque ritus Eccleſiaſticus eſt ſervandus ab accedentibus ad Communionem; non, ut docent Caſuiſtæ, *ritus patriæ* in fœmineis ornamentis. Hinc peccant contra reverentiam hujus Sacramenti mulieres, quæ luxum, faſtum, pompas ſeculi in veſtibus, & capitis ornatu oſtentantes ad Altare accedunt, & omnino a Communione rejiciendæ, quæ nudato ſinu, brachiis ad cubitum uſque, & ſupra nudatis, vel tenuiſſimis ſive velis, ſive chirothecis obductis, accedunt. Statim poſt ſumptam Communionem non expuant, ſed brevi aliquo temporis intervallo abſtineant. Qui tuſſi, vel vomitu vexantur, non communicent, niſi certi ſint, ſe aliquandiu & a tuſſi, vel a vomitu poſſe abſtinere. De ſomno, & ciborum digeſtione ſumptioni Euchariſtiæ prævia, tenenda eſt D. Th. regula hic q. 80. a. 8. ad 5. dicentis: „ Non refert, utrum poſt cibum, vel potum aſſumptum dormierit, vel etiam digeſtus ſit, quantum ad rationem præcepti: refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter inſomneitatem, vel indigeſtionem: ex quibus ſi mens multum perturbetur; homo redditur ineptus ad ſumptionem hujus Sacramenti“. Hinc merito Alexander III. Sacerdotem a regimine Eccleſiæ amovit, quia totam pene noctem in calicibus epotandis conſumpſerat, nulla præmiſſa dormitione; quia vel ebrius ad Altare acceſſit, vel valida præſumptione putabatur non jejunum Miſſam celebraſſe. Similiter percepta Communione ſaltem per quadrantem horæ, niſi neceſſitas urgeat, ab omni cibo, & potu abſtinendum eſt, ut docet A. P. l. I. ad 6. „ Debet eſſe aliqua mora inter ſumptionem hujus Sacramenti, & reliquos cibos. Unde in Miſſa oratio gratiarum actionis poſt Communionem dicitur, & communicantes etiam ſuas privatas orationes dicunt. Secundum tamen antiquos canones ſtatutum fuit . . . *Si mane Dominica portio editur, uſque ad ſextam jejunent Miniſtri, qui eam ſumpſerunt; & ſi tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent uſque ad veſperam*. Antiquitus enim rarius Miſſarum ſolemnia celebrabantur, & cum majori præparatione. Nunc autem, quia oportet frequentius Sacra Myſteria celebrare, non poſſet de facili obſervari. Et ideo per contrariam conſuetudinem eſt abrogatum“.

Conſectarium Undecimum.

XI. Non licet infirmo, qui ab omni cibo diutius abſtinere non poteſt, non jejuno communicare, licet diutiſſime per hoc communione privetur. In hac regia Urbe, ubi ſcribo, certo novi conceſſum Viro Nobili, qui domeſtici Oratorii privilegio gaudebat, & diuturna infirmitate detentus, cubare ſemper cogebatur, & poſt mediam noctem per longum tempus a cibo, vel potu ſe temperare nequibat, a ſuo Confeſſario, ut non jejunus communicaret. Interrogatus Confeſſarius, qua doctrina, vel poteſtate tantum privilegium elargiretur. 1. Deciſiones Congregationis jactavit: dein coactus eas producere, unum tandem protulit Caſuiſtam Elbel, qui To. 3. de Euchariſtia hunc proponit caſum: „ Sempronius ob ſenium adverſa ſemper valetudine moleſtatus, tum ob ſtomachi debilitatem, tum etiam ob diſtantiam loci nunquam potuit Eccleſiam adire jejunus, quin deficeret in via, quam ob cauſam ſemper aſſueverat parum quid confortativum ſtomachi per modum medicinæ aſſumere, id quod etiam in die Communionis fecerat, quærit a Confeſſario, num ad Sacram Communionem ſibi liceat accedere, quid reſpondebit Confeſſarius? Reſpondebit, ut accedat ad Sacram Synaxim. Ratio eſt, quia non eſt veriſimile, quod Eccleſia ceu pia Mater hoc ſuo præcepto (jejunii) voluerit comprehendere tales infirmos, qui vel nunquam, vel certe raro admodum poſſunt communicare non jejuni, ut tenent Diana, Bonacina, Buſembaum“. En, quomodo nulla jam ſit tam abſurda opinio in doctrina morum, quæ ſuos non nanciſcatur Doctores, Patronos, & Sectatores, & qui nulla habita conſideratione, ſicut oves, & aves, aliorum etiam abſurdas doctrinas ſequuntur. Falſa itaque, & omnino improbabilis dicenda eſt producta opinio. Nam certa aperta, & manifeſta eſt lex Eccleſiæ, quæ univerſim omnibus jejunium indicit naturale Communioni præmittendum. Expreſſa quoque eſt exceptio pro infirmis in articulo mortis conſtitutis; quæ ipſa exceptio clare oſtendit aliis infirmis minime conceſſum, ut non jejuni communicent. Gratis autem omnino aſſeritur, Eccleſiam piam Matrem nolle hujuſmodi infirmos tali lege comprehendere. Nam Spiritu Sancto inſtructa optime novit, Deum dona ſuæ gratiæ non ita Sacramentis alligaſſe, ut non valentibus ea ſuſcipere juxta legitima ſtatuta, & ardenter deſiderantibus, & ſe digne diſponentibus, paratus non ſit ea elargiri. Hujuſmodi igitur infirmi Eccleſiæ leges cuſtodiant, doleant ſe tam ſalutifera eſca privari, eam ferventi corde deſiderent, ſe optime diſponant, & ſpiritualis alimoniæ fructum conſequentur etiam ſine Sacramento. Præterea leges interpretari non ad ſubditos pertinet, ſed ad legislatorem. Ad ipſum igitur confugiant, & petant vel explicationem, vel relaxationem, quam Summus Pontifex æquiſſimis urgentibus cauſis concedet; quemadmodum Benedictus XIV. Principi Stuarto benigne largitus eſt. Quid ſimile videtur docere Buſembaum, dum dicit: „ Etſi non liceat ex ſola devotione communicare fracto jejunio, ſi tamen morbus eſſet diuturnus, nec poſſet dari communio niſi poſt medicinam, probabile eſt id licere“. Quod Auctor iſte vocat medicinam, Elbel vocat *quid confortativum per modum medicinæ*. At iſtis verbis infirmitati ſuæ doctrinæ non medentur, quæ ſemper, ut falſa, eſt rejicienda, nec ad praxim deducenda.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

De Euchariſtiæ effectibus in ſuſcipiente.

DOCTRINA.

I. *Effectus Euchariſtiæ donum gratiæ ſanctificantis.*
II. *Non primæ, ſed ſecundæ, licet aliquando & primam largiatur.*
III. *Secundus effectus remiſſio peccatorum venialium.*

IV.

IV. *Tertius remiſſio pœnæ.*
V. *Quartus præſervatio a peccatis.*
VI. *Quintus cupiditatis imminutio.*
VII. *Sextus fortitudo, & robur.*
VIII. *Septimus refectio ſpiritualis dulcedinis.*
IX. *Octavus pignus æternæ conjunctionis cum Chriſto.*

I. EFfectus ab Euchariſtiæ Sacramento in fidelium animos inductos enumerat, exponit, magnificat D. Thom. hic qu. 79. ex quo, quæ ſumus dicturi, mutuabimur. Primus itaque effectus Euchariſtiæ eſt donum gratiæ ſanctificantis. Quippe quia ſicut Chriſtus inter homines viſibiliter apparens, noſtram indutus mortalitatem, gratiam hominibus contulit, dicente Joanne Evangeliſta cap. 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*; ita in hominis animam per Sacramentum Euchariſtiæ ingrediens, vitam ſpiritualem per gratiam inducit, ut non ſemel teſtatur ipſemet in Evangelio dicens Jo. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Et iterum: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*: & per hanc nos in Chriſto vivimus, ipſo teſtante, *& qui manducat me, ipſe vivet propter me.* Hinc ſcribit D. Thom. art. 1. „ Effectus hujus Sacramenti debet „ conſiderari primo quidem, & principaliter ex eo, „ quod in hoc Sacramento continetur, quod eſt „ Chriſtus: qui ſicut in mundum viſibiliter veniens „ contulit mundo vitam gratiæ . . . ita in hominem ſacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur “.

II. Gratia, quam per ſe confert Euchariſtia, non eſt illa prima, quæ hominem juſtificat, & a peccato emundat; ſed ſecunda, quæ hominem juſtum magis ſanctificat, ornat, perficit. Nam Euchariſtia eſt Sacramentum vivorum, nonniſi ab habentibus vitam ſpiritualem ſuſcipiendum; proinde ſupponit primam gratiam ſanctificantem, quæ hominem peccato mortuum vivificat. Audiatur D. Thom. art. 3. ſcribens: „ Quicumque habet conſcientiam peccati mortalis, habet in ſe impedimentum percipiendi effectum hujus Sacramenti ... „ tum quia non vivit ſpiritualiter; & ita non debet ſpirituale nutrimentum ſuſcipere, quod non „ eſt niſi viventis; tum quia non poteſt uniri „ Chriſto, quod fit per hoc Sacramentum. Et ideo dicitur in lib. de Eccleſ. Dogmat. cap. 53. *Si* „ *mens in affectu peccandi eſt, gravatur magis Euchariſtiæ perceptione, quam purificetur.* Unde „ hoc Sacramentum in eo, qui ipſum percipit in „ conſcientia peccati mortalis, non operatur remiſſionem peccati “. Quod tamen per ſe non præſtat Euchariſtia ex ſua inſtitutione; præſtare poteſt tamen indirecte, & per accidens, ut diximus in Tr. de Sacram. in gen. de omnibus Sacramentis vivorum, & etiam hic in particulari de Sacramento Euchariſtiæ docet S. Thom. ſcribens: „ Poteſt tamen operari remiſſionem peccati dupliciter: uno modo non percepta actu, ſed voto; „ ut cum quis juſtificatur a peccato (non enim „ conceditur prima gratia juſtificans, niſi habenti „ Euchariſtiæ deſiderium, & votum vel implicitum, vel explicitum). Alio modo etiam percepta ab eo, qui eſt in peccato mortali, cujus „ conſcientiam, & affectum non habet. Forte enim primo non fuit ſufficienter contritus; ſed „ devote, & reverenter accedens conſequetur per „ hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati “.

III. Alter effectus eſt remiſſio venialium peccatorum. Ita paſſim docent Patres. S. Ambroſ. lib. 4. de Sacramentis cap. 6. ſcribit: *Si quotieſcumque effunditur ſanguis, in remiſſionem peccatorum funditur, debeo illum ſemper accipere, ut ſemper mihi peccata dimittantur; quia ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.* S. Bernardus ſerm. de Baptiſmo, & Sacramento Altaris inquit: *Sacramentum hoc operatur in nobis, ut videlicet & ſenſus minuat in minimis, & in gravibus peccatis tollat omnino conſenſum.* Innoc. III. lib. de Miſſa cap. 44. ait: *Venialia delet, & cavet mortalia.* Concilium quoque Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. vocat hoc Sacramentum, *antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervamur.* Et ejuſdem Concilii Catechiſmus Par. 2. n. 52. docet: *Remitti Euchariſtia, & condonari leviora peccata, quæ venialia dici ſolent, non eſt, quod dubitari debeat.* Quo & antea docuerat D. Th. hic a. 4. ſcribens: „ Hoc Sacramentum ſuſcipitur ſub ſpecie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi eſt neceſſarium ad „ reſtaurandum id, quod quotidie deperditur per „ actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem „ quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore „ concupiſcentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt fervorem caritatis . . . & ideo competit „ huic Sacramento, ut remittat peccata venialia “. Animadvertit tamen D. A. peccata venialia per hoc Sacramentum deleri, etiam quatenus caritatis fervorem auget, per quem tolluntur peccata venialia. Subdit enim: „ Res hujus Sacramenti eſt „ caritas, non ſolum quantum ad habitum, ſed „ etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc „ Sacramento. Unde manifeſtum eſt, quod virtute hujus Sacramenti remittuntur peccata venialia “. Quamobrem graviter hallucinantur, qui putant ſibi peccata venialia condonari, quibus adhærent, & quæ affectu compleƈtuntur: niſi enim ea deteſtentur, & abominentur, & evitare procurent, fruſtra de Communionis frequentia ſibi blandiuntur.

IV. Tertius effectus Euchariſtiæ eſt remiſſio pœnæ temporalis peccatis debitæ; & quidem non ſolum quatenus Sacrificium eſt, ut ſuo loco dicemus; ſed etiam quatenus Sacramentum, non quidem directe, & per ſe, ſed indirecte, & concomitanter, quatenus, ſcribit D. Thom. art. 5. „ Chriſto ſumens unitur, quæ unitas fit per caritatem, ex „ cujus fervore aliquis conſequitur remiſſionem „ non ſolum culpæ, ſed etiam pœnæ: inde eſt, „ quod ex conſequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo conſequitur „ remiſſionem pœnæ, non quidem totius, ſed ſecundum modum ſuæ devotionis, & fervoris “.

V. Quartus effectus eſt præſervatio a peccatis futuris. Ita docere audivimus Tridentinum Concilium, & quidem ex Evangelio, & Patribus. Chriſtus enim dixerat, *qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & ſi quis ex ipſo manducaverit non morietur in æternum*, non utique corporali morte, ſed ſpirituali per peccatum. Paſſim etiam

Patres id confirmant. Sanctus Cyrillus Alex. lib. 4. in Joan. cap. 4. *Pie, ſancteque vivas, & benedictione participes, credens quod non ſolius mortis, verum etiam ægritudinum noſtrarum Euchariſtia propulſatrix, & expultrix eſt. Manens enim in nobis Chriſtus reprimit ſævientem membrorum legem, ſicut ſenſuum paſſiones, firmat, & corroborat pietatem, perturbationes intime extinguit.* S. Ignatius epiſt. ad Epheſ. *Studete frequenter accedere ad Euchariſtiam Dei: quando enim hoc ipſum aſſidue agitur, expelluntur Satanæ poteſtates, qui ſuos actus convertit in ſagittas ignitas ad peccatum.* S. Ambroſius in Pſal. 118. *Præveni inſidias tentatoris, inſtaura prius cæleſte convivium... Aſſiſte, ut accipias tibi nutrimentum, ut Corpus edas Domini Jeſu, in quo remiſſio peccatorum eſt, poſtulatio divinæ reconciliationis, & protectionis æternæ. Suſcipe Dominum Jeſum tuæ mentis hoſpitio. Ubi corpus eſt, ibi Chriſtus eſt. Cum hoſpitium tuum adverſarius viderit occupatum cæleſtis fulgore præſentiæ, intelligens locum tentamentis ſuis interclufum eſſe per Chriſtum, fugiet.* Quæ omnia complexus eſt D. Thom. ſcribens hic art. 6. „ Hoc modo præſervatur „ aliquis a peccato futuro, quo præſervatur corpus „ a morte futura. Quod quidem fit dupliciter: „ Uno modo, inquantum natura hominis interius „ roboratur contra interiora corruptiva: & ſic præ- „ ſervatur a morte per cibum, & medicinam: „ Alio modo per hoc, quod munitur contra exte- „ riores impugnationes; & ſic præſervatur per ar- „ ma, quibus munitur corpus. Utroque autem „ modo hoc Sacramentum præſervat a peccato. „ Nam primo quidem per hoc, quod Chriſto con- „ jungit per gratiam, roborat ſpiritualem vitam „ hominis, tanquam ſpiritualis cibus, & ſpiritualis „ medicina, ſecundum illud Pſalm. 103. *Panis cor* „ *hominis confirmat*... Alio modo, inquantum eſt „ quoddam ſignum paſſionis Chriſti, per quam vi- „ cti ſunt dæmones, repellit omnem dæmonum im- „ pugnationem “.

VI. Quintus effectus eſt cupiditatis imminutio. Nam, ut docet S. Th. hoc in loco ad 3. „ licet „ hoc Sacramentum non directe ordinetur ad di- „ minutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam conſequentia, in quantum auget Cari- „ tatem; ſicut Auguſtinus dicit lib. 83. quæſt. „ quæſt. 36. *augmentum Caritatis eſt diminutio cu-* „ *piditatis* “. Quamobrem merito huic Sacramento aptatur Zachariæ dictum: *Vinum germinans Virgines.* Optime itaque ajebat S. Cyrillus Alexand. lib. 4. in Joan. *Chriſtus exiſtens in nobis ſopit ſævientem in noſtris membris carnis legem, & pietatem in Deum exſuſcitat, perturbationes mortificat... Confractum alligat, erigit lapſum, ſicut bonus Paſtor, & qui animam ſuam ponit pro ovibus ſuis.* Et S. Bernardus ſerm. de Baptiſ. & Sacram. Altaris ajebat Monachis ſuis: *Si quis veſtrum non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſentit immunditiæ motus, iracundiæ, luxuriæ, aut ceterarum hujuſmodi, gratias agat Corpori, & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.*

VII. Sextus effectus eſt fortitudo, & robur adverſus Satanæ oppugnationes, & tentationes, mundi oblectationes, & ſcandala. Figura hujus Sacramenti fuit panis ille, in ſomnis viſus a Gedeonis militibus, qui in caſtra Madianitarum deſcendens omnia ejus Tabernacula ſubvertit. Hoc enim præſtat ſpiritualis panis Euchariſticus, qui iras diaboli infringit, ejus tentationes impedit; nam adverſus ſeculi oblectamenta, & ſcandala munit, & roborat. Sic prædicabat S. Joannes Chryſoſtomus hom. 40. in Joan. *Ab illa menſa tanquam Leones ignem ſpumantes ſurgimus, Diabolo terribiles effecti ..... Hinc myſticus Sanguis Dæmones procul pellit, Angelos, & Angelorum Dominum ad nos allicit.* Et S. Ambroſius ſerm. 8. in Pſalm. 118. *Agnum immolavit, ut immolantes eum, & Paſcha Domini celebrantes non occuparentur Exterminatoris inſidiis, ne inermes, & vacuos ſpiritualis alimenti ſpicula tenebroſi hoſtis opprimerent.* Hunc effectum inculcat etiam, & extollit S. Cyprianus epiſt. 54. ſcribens: *At nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viventibus communicatio a nobis danda eſt, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione Corporis, & Sanguinis Chriſti muniamus, & cum hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarios volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armamus.*

VIII. Inter effectus Euchariſtiæ enumerat etiam S. Thom. quandam actualem refectionem ſpiritualis dulcedinis, quam norunt ſolum, qui guſtant, & per quam omnes terrenas oblectationes omnino aſpernamur, nec niſi in Chriſto delectamur. Sic enim ſcribit D. A. hic art. 1. ad 2. „ Ex virtu- „ te hujus Sacramenti anima ſpiritualiter reficitur „ per hoc, quod anima ſpiritualiter delectatur, & „ quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis di- „ vinæ, ſecundum illud Cant. 5. Comedite amici, „ & bibite, & inebriamini cariſſimi “. Hunc effectum experiebatur Auctor ſerm. de Cœna Domini inter Opera S. Cypriani, dum dicebat: *Quam præclarus eſt Calix iſte, quam religioſa eſt hujus potus ebrietas! per quam accedimus Deo, & quæ retro ſunt obliti, ad interiora extendimur, non habentes ſenſum hujus mundi, ſed divitiis purpurati, delicias contemnimus, Cruci hæremus, Sanguinem ſugimus, & intra ipſa Redemptoris noſtri vulnera figimus linguam..... Vident hæc Sacramenta pauperes ſpiritu, & hoc uno contenti ferculo omnes mundi delicias aſpernantur, & poſſidentes Chriſtum aliquam hujus mundi ſupellectilem poſſidere dedignantur. Eſurientes, & ſitientes juſtitiam, cum ſaturati fuerint, vide quid agant, quæ loquantur, quam ſancti odoris ſint: quidquid illa eructat plenitudo, verbum bonum, mores compoſitos, affectus pudicos, ſenſus pacificos, illa interior ſinceritas ubique diffundit.*

IX. Denique poſtremus Euchariſtiæ fructus eſt pignus æternæ, & perpetuæ conjunctionis cum Chriſto. Hoc ipſe pollicetur, dum dicit Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Hoc oſtendit, & probat D. Thom. hic art. 2. ſcribens: „ In hoc Sacramento poteſt „ conſiderari, & id, ex quo habet effectum, ſci- „ licet ipſe Chriſtus contentus, & paſſio ejus re- „ præſentata; & id per quod habet effectum, ſci- „ licet uſus Sacramenti, & ſpecies ejus. Et quan- „ tum ad utrumque competit huic Sacramento, „ quod cauſet adeptionem vitæ æternæ. Nam ip- „ ſe Chriſtus per ſuam Paſſionem aperuit nobis

„ adi-

„ aditum vitæ æternæ, ſecundum illud Hebr. „ 9. v. 15. *Novi Teſtamenti mediator eſt, ut mor-* „ *te intercedente, qui vocati ſunt, accipiant re-* „ *promiſſionem æternæ hæreditatis*. Unde & in for- „ ma hujus Sacramenti dicitur: *hic eſt Calix San-* „ *guinis mei, novi, & æterni Teſtamenti*. Simi- „ liter etiam refectio cibi ſpiritualis, & unitas ſi- „ gnificata per ſpecies panis, & vini habentur „ quidem in præſenti, ſed imperfecte, perfecte au- „ tem in ſtatu gloriæ. Unde Auguſtinus dicit ſu- „ per illud Jo. 6. *Caro mea vere eſt cibus. Cum* „ *cibo, & potu id appetant homines, ut non eſu-* „ *riant, neque ſitiant, hoc veraciter non præſtat* „ *niſi iſte cibus, & potus, qui eos, a quibus ſu-* „ *mitur, immortales, & incorruptibiles facit in ſo-* „ *cietate Sanctorum, ubi pax erit, & unitas ple-* „ *na, atque perfecta* ". Animadvertit tamen S. D. in reſp. ad 1. „ Quod ſicut paſſio Chriſti, in „ cujus virtute hoc Sacramentum operatur, eſt „ quidem cauſa ſufficiens gloriæ, non tamen ita „ quod ſtatim per ipſam introducamur in gloriam: „ ſed oportet, ut prius ſimul compatiamur, ut „ poſtea ſimul glorificemur, ſicut dicitur Rom. 8. „ ita hoc Sacramentum non ſtatim nos in gloriam „ introducit, ſed dat nobis virtutem perveniendi „ ad gloriam; & ideo Viaticum dicitur. In cu- „ jus figuram legitur Reg. 3. cap. 19. quod *Elias* „ *comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine* „ *cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta* „ *noctibus, uſque ad montem Dei Oreb*.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Non omnes in omnibus ſuos Euchariſtiæ producit effectus.*
II. *Nulla Communio indifferens eſt.*
III. *Effectus ſuos non æqualiter in omnibus parit, nec ſemper ſenſibiliter.*
IV. *Solum ſuſcipientibus largitur dona ſua Euchariſtia.*
V. *Quando in ſuos prorumpat effectus.*
VI. *Detectio occultæ veritatis non eſt effectus Euchariſtiæ.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. NOn omnes in omnibus producit ſuis effectus Euchariſtia. Non loquor de illis, qui indigne, & cum conſcientia peccati mortalis accedunt: ſi quidem non ſolum nullum ex effectibus Euchariſtiæ percipiunt; ſed immo grave perpetrant ſacrilegium, atrocem Deo irrogant injuriam, rei fiunt Corporis, & Sanguinis Domini, & judicium ſibi manducant, & bibunt. De illis loquor, qui ſine conſcientiæ remorſu, &, ut putant, digne accedunt, quos omnes certe recenſitos fructus non percipere Sacramenti hujus, ex ipſa experientia conſtat. Nam revera, quot ſunt, qui licet frequenter, vel ſaltem non raro ad Euchariſtiam accedant, tamen non firmiores fiunt in bono; ſed vel ſtatim poſt perceptam Euchariſtiam, & fortaſſis ipſo die Communionis in peccata relabuntur, qui tentationibus cedunt, qui in virtute nihil proficiunt, ſed in luto vitiorum marceſcunt? Quot ſunt, qui licet ſemel in Menſe Euchariſtiam guſtent, tamen ſemper iidem ſunt, nec invidiam, ſuperbiam, pompas, vanitates deponunt, avaritiæ ſtudent, lucris inhiant, fraudibus utuntur, ſpectacula frequentant, ludis & pecuniam, & tempus prodigunt, a detractionibus, juramentis, rixis, contentionibus non ceſſant? Profecto hi Euchariſtiæ fructus nequaquam percipiunt; ſed, ut inquit Propheta, *comedunt, & non ſaturantur, calcant olivas, & oleo non unguntur, muſtum, & non bibunt vinum*.

Conſectarium Secundum.

II. Nulla Communio inutilis eſt, ſed vel eſt ſacrilega, vel gratiæ aliquod affert incrementum. Ita docet S. Th. hic q. 89. art. 8. ubi inquirit, num peccata venialia fructum hujus Sacramenti impediant; & 1. diſtinguit inter peccata jam commiſſa ante Euchariſtiæ ſumptionem, & quæ in ipſa Communione occurrunt. Et de prioribus quidem ſcribit: „ Primo modo peccata venialia nul- „ lo modo impediunt effectum hujus Sacramenti. „ Poteſt enim contingere, quod aliquis poſt mul- „ ta peccata venialia commiſſa devote accedat „ ad hoc Sacramentum, & plenarie hujus Sacra- „ menti conſequatur effectum ". De poſterioribus vero ſubdit: „ Secundo autem modo peccata ve- „ nialia non ex toto impediunt hujus Sacramenti „ effectum, ſed in parte. Dictum eſt enim, quod „ effectus hujus Sacramenti non ſolum eſt adeptio „ habitualis gratiæ, vel caritatis, ſed etiam quæ- „ dam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis; quæ „ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc „ Sacramentum per peccata venialia mente diſtra- „ ctus, non autem tollitur augmentum habitualis „ gratiæ, vel caritatis ". Oppoſitum docuiſſe videtur in IV. ſent. diſt. 12. q. 2. a. 1. ubi ſic ſcripſerat: „ Cum Sacramentum Euchariſtiæ perficiat „ ſuſcipientem, prout conjungit eum fini, ad hoc „ quod effectum ſuum plene habeat in ſumente, „ oportet, quod adſit ſpiritualis devotio; & quia „ interdum abſque mortali peccato actualis devotio „ impediri poteſt, cum diſtractiones variæ ipſam „ impediant, & peccata venialia virtutum actum „ tollant; abſque peccato mortali poteſt effectus „ hujus Sacramenti impediri, ita quod aliquis aug- „ mentum gratiæ non conſequatur, nec tamen „ reatum peccati mortalis incurrat, ſed forte ve- „ nialis peccati, eo quod imparatus accedit ". Sed vel dicendum D. A. loqui de illo gratiæ incremento, quod eorum diſpoſitioni reſpondiſſet, ſi imparati non acceſſiſſent, ut indicare videntur illa verba effectum ſuum *plene habeat*; vel doctrinam in ſententiariis traditam in Summa temperaſſe. Patet igitur noſtri Conſectarii veritas: nam qui ad Euchariſtiam accedit, vel eſt in ſtatu lethalis peccati, & ſic ſacrilegium committit; vel eſt in ſtatu gratiæ, & tunc, licet cum diſtractione accedat, fructum tamen Sacramenti ex opere operato, ideſt augmentum gratiæ non amittit: quamobrem fructuoſa eſt illi ſumptio Euchariſtiæ. Verum hæc doctrina, quæ favorabilis tepidis videtur, mihi terribilis apparet, & formidanda: ſiquidem timendum eſt, ne illa, quæ reputantur venialia peccata, & revera in ſe talia ſunt, gravia tamen evadant ex circumſtantia tem-

temporis, quippe quæ gravem irrogant injuriam Sacramento; et optime obſervat Didacus Nugno a Contenſonio laudatus, ſcribens: *Si ex formali intentione vult illo tempore eſſe cum diſtractione, credo, quod peccet mortaliter, atque adeo nullum conſequi effectum Sacramenti, quia irreverentia illa gravis eſt.* Præterea obſervat Cardinalis Cajetanus in Comment. ad hunc D. Thom. articulum: „ Si „ qualibet ſumptione Euchariſtiæ, etiamſi nullus „ interior caritatis actus ob mentis diſtractionem „ interveniat, augeretur gratia, infinitorum pene „ Sacerdotum (idem dicendum & de plurimis fidelibus frequenter communicantibus) quos credi„ mus vere in gratia celebrare (vel communica„ re) caritas jam eſſet major intenſive, quam cre„ di rationabile ſit; cum tanta magnitudo cari„ tatis in tanta multitudine otioſa appareat. Quo„ niam nec extra apparent, nec intus de ſe te„ ſtantur actus ſimiles ferventiſſimæ caritatis. Et „ tamen certum eſt, quod ſicut amor Dei non eſt „ otioſus, ſed operatur magna, ſi eſt; ita tam „ magna augmentatio amoris Dei non eſt otioſa, „ ſed operatur multo majora, quam prius propor„ tionaliter, ſi eſt; & tamen longe major ponitur „ eſſe in ſingulis celebrationibus (vel communio„ nibus) quantumcumque parum creviſſet caritas „ Sacerdotis (vel communicantis) qui tot annis „ diebus fere ſingulis (vel ſingulis hebdomadi„ bus) in gratia celebravit (vel communicavit). „ Præter hanc ex experientia conjecturam, in „ promptu ratio ſuffragatur. Sacramentum enim „ hoc, quia datur per modum cibi, & potus, non „ auget, ſicut nec nutrit, niſi per modum nutri„ menti. Sed ſine actu vitali nutrititio, tam ci„ bus, quam potus non nutrit, nec auget, ut pa„ tet in alimento corporali. Ergo ſine operatione „ vitali ſpiritualis animæ, quæ nutritur, cibus i„ ſte nec nutrit, nec auget “. Sibi itaque conſulant tum Sacerdotes quotidie celebrantes, tum devoti frequenter communicantes, ſed ſine devotione ex more, ac conſuetudine; & caveant, ne cum tanta in celebrando, & communicando irreverentia accedant, ut gravi culpa Deum offendant, & Sacramentum ſacrilege ſuſcipiant: quod haud difficile contingere poteſt, ſpectata majeſtate, dignitate, excellentia tam auguſti, & tremendi Myſterii.

Conſectarium Tertium.

III. Effectus hujus Sacramenti nec ab omnibus æqualiter participantur, nec ſemper ſenſibiliter. Veritas hujus Conſectarii ſequitur ex iis, quæ diximus de Sacramentis in genere diſt. 2. Confect. 8. Et revera, ut inquit S. Th. l. mox laud. ex Sententiariis: „ Actus ſe habent ad perfectionem „ finis conſequendam, ſicut ſe habent materiales „ diſpoſitiones ad conſequendam perfectionem for„ mæ “. Eapropter, quemadmodum in corporali cibo ille magis valet, qui corpore ſanus, valido ſtomacho, urgente fame, cibum ſumit; ita in hoc cæleſti pane illi uberiorem accipiunt gratiæ augmentum, & magis de aliis effectibus participant, qui animo, corde, mente melius diſpoſiti ad Sacram Menſam accedunt. Hi autem effectus non ſemper ſenſibiles ſunt, quod ad ſolamen dictum eſt illarum animarum, quæ, licet uberes fructus intus in ſe percipiant, ſibi tamen videntur non magis in virtute proficere; ſed conqueruntur ſe Chriſti præſentiam non ſentire, devotione non ardere, guſtum non percipere; proinde anxie timent, ne ſint frequenti indignæ Communione. Sunt hæ animæ conſolandæ, quia juſtus, ut inquit Propheta, eſt *tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Quemadmodum enim, inquit piiſſimus Ludovicus Granatenſis, arbor procera, & fœcunda, juxta rivos aquarum plantata, ramos ſuos extendit, folia multiplicat, flores emittit, & uberes edit fructus; tamen etſi attente in illam conſpiciamus, quomodo creſcat, dilatetur, & frondeat, minime diſcernere valemus: pari plane pacto ſpiritualia hujus divini cibi incrementa non poſſumus diſcernere, & videre; ſed ſolum ex caritatis fervore, patientiæ, & mortificationis incremento, virtutum ſtudio, & bonorum operum frequentia dignoſcere. Monendæ etiam ſunt, ne hallucinentur, &, dum ſenſibili devotione privari ſe ſentiunt, putent ſe nihil proficere: non enim hujus abſentia fructum impedit Sacramenti: illis proinde monitum inculcandum piiſſimi Thomæ a Kempis ſic omnes inſtruentis lib. 4. cap. 15. n. 1. *Oportet te devotionis gratiam inſtanter quærere, deſideranter petere, patienter, ac fiducialiter expectare, gratanter recipere, humiliter conſervare, ſtudioſe cum ea operari, ac Deo terminum, & modum ſupernæ viſitationis, donec veniat committere .... Humiliare præcipue te debes: dat ſæpe Deus in uno brevi momento, quod longo negavit tempore; dat quandoque in fine, quod in principio orationis diſtulit dare. Si ſemper initio gratia daretur, & pro voto adeſſet; non eſſet infirmo homini bene portabile. Propterea in bona ſpe, & humili patientia expectanda eſt devotionis gratia.*

Conſectarium Quartum.

IV. Sacramenti effectus non obtinent, niſi qui illud ſuſcipiunt. Hujus Conſectarii doctrina traditur a D. Th. hic q. 79. a. 7. ad 3. dicens: „ Sum„ ptio pertinet ad rationem Sacramenti... & i„ deo ex hoc quod aliquis ſumit Corpus Chri„ ſti, non accreſcit aliis aliquod juvamentum “. Et revera hoc indicant ipſa Sacramenti Symbola, quæ ſunt cibus, & potus, quæ profecto ſicut in corporalibus non proſunt niſi ſumentibus (non enim quis ſua manducatione alterius famem ſedare poteſt) ita nec in ſpirituali hoc cibo unius manducatio alteri prodeſſe poteſt. Nec putandum aliis prodeſſe ſaltem ad ſatisfactionem. Nam inquit S. D. „ Non eſt inſtituta Euchariſtia, quatenus Sa„ cramentum eſt, ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiri„ tualiter nutriendum: ſolum hoc habet, quate„ nus eſt ſacrificium “. Quid igitur petunt, qui pro ſe Communionem fieri jubent? Reſponſio eſt illa, quam dedit filiis Zebedæi Chriſtus, *neſcitis, quid petatis.* Solum, quod ſperare poſſunt, unum eſt, quod ſi ille, qui communicat, digne, & devote Sacramentum ſumit, cum in illo augeatur caritas, preces eo tempore ad Deum fuſæ pro alio, Deo gratiores ſupponuntur, & majorem ex devotionis fervore vim impetrandi nanciſcuntur: quod profecto petenti prodeſſe poteſt. Non puto itaque venerationi Sacramenti conſentaneum, ut quis alium, & præſertim devotas fœminas, ut data opera pro ſe

ſe Communionem ſumant, precetur, multoque minus oblata aliqua eleemoſyna impellat; ſed ſolum petendum, ut, quando accedit ſponte, & juxta piam ſuam adprobatam conſuetudinem Chriſtum Sacramentaliter in corde gerit, pro ipſo roget, neceſſitates ejus illi exponat, & ſpiritualia, vel temporalia, quæ cupit, beneficia efflagitet. Nam non abeſt periculum, ut quis accedat etiam ſine devotione, vel ut promiſſionem impleat, vel ne lucellum, ſeu eleemoſynam perdat.

Conſectarium Quintum.

V. Euchariſtia tunc effectus ſuos producit, quando Sacramentales ſpecies ſunt in ſtomacho receptæ. Fides quidem docet, hoc Sacramentum infallibiliter effectum producere, quando digne ſumitur; at quo temporis momento id fiat, non explicat. Theologi itaque in varias abeunt ſententias. Quidam putant tunc producere, cum ſpecies ſunt in ore ſuſceptæ. Hoc tamen minus verum videtur: nam cum ad obtinendum effectum manducatio, & bibitio requiratur, dicente Chriſto: *Accipite, & comedite, accipite, & bibite, & qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, profecto per ſolam cibi in ore ſumptionem non niſi inchoata, & imperfecta habetur comeſtio. Alii vero cum Cajetano cenſent, gratiam a Chriſto effundi toto tempore, quo ſpecies in ſtomacho durant. Verum hæc quoque doctrina gravi obnoxia eſt difficultati, videlicet majorem percipi gratiam, quo diutius ſpecies in ſtomacho durant, proinde abundantiore gratia illum donari, qui majorem, vel plures hoſtias reciperet, quam qui unam, qui minore fervet calore naturali, quam qui majore abundat; quod certe falſum eſt. Hinc illorum eſt probabilior cenſenda doctrina, qui docent, effectus haberi Euchariſtiæ, ſtatim ac ſpecies in ſtomacho ſunt receptæ: tunc enim cenſetur completa comeſtio. Hæc ſpeculativa doctrina in praxi ad hoc tantum deſervit, ut admoneantur fideles ad ſtatim deglutiendam Sacram Hoſtiam, ne liqueſcat in ore, & corrumpatur; ſic enim non haberetur manducatio, nec fructus Sacramenti. Nec per hoc adprobanda illorum Theologorum doctrina, qui docent, laico ex neceſſitate accedenti ad Euchariſtiam cum conſcientia peccati mortalis, & abſque confeſſione, ſat eſſe ſi actum Contritionis eliciat, quando in ore jam habet Sacratiſſimam Hoſtiam: quod profecto dictum pias aures offendit; proinde retuliſſe refutaſſe eſt.

Conſectarium Sextum.

VI. Euchariſtiæ effectus non eſt occultæ alicujus veritatis detectio. Fuit olim mos apud aliquos Eccleſiaſticos, ut Communio daretur ſuſpectis de aliquo crimine, ut per eam vel detegeretur veritas, vel ſuſpicionis haberetur purgatio. Hujus conſuetudinis veſtigia adhuc extant in jure Canonico, cujus verba refert S. Th. hic q. 80. a. 6. ad 3. Subdit tamen S. D. „ Decreta illa ſunt abrogata „ per contraria documenta Romanorum Pontifi- „ cum: Dicit enim Stephanus Papa citatus ab A- „ lex. III. *Ferri candentis, vel aquæ ferventis e-* „ *xaminatione confeſſionem extorqueri a quolibet,* „ *Sacri Canones non concedunt. Spontanea enim* „ *confeſſione, vel teſtium approbatione, publica* „ *delicta commiſſa regimini noſtro eſt judicare:* „ *occulta vero, & incognita illi ſunt relinquen-* „ *da, qui ſolus novit corda filiorum hominum.* „ Et idem habetur extra de purgationibus c. *ex* „ *tuarum*. In omnibus enim talibus eſſe videtur „ Dei tentatio. Unde ſine peccato fieri non poſ- „ ſunt. Et gravius videretur, ſi in hoc Sacra- „ mento, quod eſt inſtitutum ad remedium ſalu- „ tis, aliquis incurreret judicium mortis. Unde „ nullo modo corpus Chriſti debet dari alicui ſu- „ ſpectu de crimine, quaſi ad examinationem.

REFLEXIO.

I. In Novo Teſtamento vere impletum eſt, quod in Veteri ſolum promiſſum, & in Manna adumbratum fuit, ſcilicet *paratum nobis panem de Cælo, ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omni ſaporis ſuavitatem.* Sed proh dolor! *Hoſpitatur, paſcit, potat ingratos.* Heu, quot inter fideles Hebræis ſimiles hunc panem reſpuunt, dicentes: *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo leviſſimo?* & ideo raro, & non niſi terrente anathemate accedunt, & ſumunt. Quot ſunt, qui ſine affectione aliquando ſumunt, & ſine fructu? Quamobrem panem comedunt, & non ſaturantur, de quibus dicit Apoſtolus: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Quot indigne ſumunt: *Et judicium ſibi manducant, & bibunt, non dijudicantes Corpus Domini, & iterum crucifigentes in ſemetipſis Filium Dei?*

II. Primos quidem ſic reprehendit, & allicit S. Cyrillus lib. 3. in Jo. cap. 8. *Sciant baptizati homines, & divinæ gratiæ participes facti, ſi rarius in Eccleſiam proficiſcantur, & longo temporum ſpatio propter ſimulatam religionem myſtice communicare Chriſto recuſent, ab æterna ſe vita procul depellere. Quippe recuſatio hujuſmodi, quamvis ex religione proficiſci videatur, & ſcandalum facit, & laqueus inſtruit. Quare oportet omnibus viribus a peccato mundari, & recte vivendi jactis fundamentis magna cum fiducia ad ſumendam vitam concurrere. Sed variæ ſunt Diaboli, multiplicesque ad decipiendum inſidiæ. Quare demus operam modo, ut vinculis ejus abruptis, & jugo ſervitutis peccatorum excuſſo, in timore Domino ſerviamus, & ut carnis voluptate per continentiam ſuperata ad cæleſtem gratiam accedamus.* Nec minus ſuaviter hos nauſeatores allicit S. Ambroſius de Sacramentis cap. 4. ſcribens: *Si quotidianus eſt Panis, cur poſt annum illum ſumis? ... Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Qui non meretur quotidie accipere, nec meretur poſt annum accipere: quomodo Job Sanctus pro filiis ſuis offerebat quotidie Sacrificium, ne forte aliquid vel in corde, vel in ſermone peccaſſent. Ergo & tu audis, quod quotieſcumque offertur Sacrificium, mors Domini, reſurrectio Domini, elevatio Domini ſignificatur, & remiſſio peccatorum, & panem iſtum quotidianum non aſſumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus. Medicina eſt cæleſte, & venerabile Sacramentum,* Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. *Quotidie ſi accipis, quotidie tibi hodie eſt.*

III. Accedentes vero frequentius, ſed ſine devotione, ſine fervore, ex conſuetudine quadam ſuper-

perinducta ſic monet D. Bonaventura in Brevil. p. 6. cap. 9. dicens: *Quoniam capacitas noſtra ad Chriſtum efficaciter ſuſcipiendum non eſt in carne, ſed in ſpiritu, non in ventre, ſed in mente, & mens Chriſtum non attingit, niſi per cognitionem & amorem, per fidem & caritatem, ita quod fides illuminat ad cognitionem, vel recordationem; & caritas inflammat ad devotionem; ideo ad hoc, quod aliquis digne accedat, oportet, quod ſpiritualiter comedat, & ſic Chriſtum per fidei recordationem maſticet, & devotionem amoris ſuſcipiat, per quæ non in ſe transformet Chriſtum; ſed ipſe potius trajiciatur in ipſum myſticum corpus. Propter quod manifeſte colligitur, quod qui tepide, indevote, & inconſiderate accedit, judicium ſibi manducat, & bibit, quia tanto Sacramento contumeliam facit.* S. vero Jo. Chryſoſt. hom. 60. ad Pop. Antioch. ſic ſocordes, & tepidos excitat: *Quo non oportet igitur eſſe puriorem tali fruentem Sacrificio? Quo ſolari radio non ſplendidiorem manum carnem hanc dividentem, Os, quod igne ſpiritali repletur, linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Cogita, quali ſit inſignitus bonore, quali menſa fruaris. Quod Angeli videntes horreſcunt, neque audent libere intueri propter micantem inde ſplendorem, hoc nos paſcimur, huic unimur, & facti ſumus unum Chriſti Corpus, & una caro.* Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis *paſtor oves proprio paſcit cruore?* Qui itaque ad Communionem frequenter accedere cupit, *probet* (inquit S. Bonaventura) *ſe ipſum, ex quanta caritate, & quali fervore accedat. Non ſolum enim mortalia vitanda ſunt, ſed etiam venialia peccata per negligentiam, & otium multiplicata, & etiam per inconſiderationem, & diſtractionem diſſolutæ vitæ, & malæ conſuetudinis: licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, & obnubilatum, & indiſpoſitum, & ineptum ad celebrandum, niſi dicti pulveres, & ſtipulæ venialium per afflatum ſpiritus, & flammam Caritatis ventilentur, & conſumantur ex ardeſcente igne cordis, & ex conſideratione propriæ vilitatis. Ideo cave, ne nimis tepidus, & inordinatus accedas, & inconſideratus, quia indigne ſumis, ſi non accedis reverenter, & circumſpecte, & conſiderate.*

IV. Poſtremo vero iniquos hypocritas, perverſos ſimulatores, proditores infames ſic terret S. Jo. Chryſoſt. hom. 7. in Matth. „ Cave, ne Herodi „ efficiaris ſimilis, & dicas, *ut ego veniens ado-* „ *rem eum*; cumque veneris, interimere coneris. „ Hujus enim ſimiles ſunt, qui indigne abutuntur „ communione Myſterii. *Reus eſt enim iſte*, in- „ quit, *Corporis, & ſanguinis Domini*. Qui enim „ hujuſmodi ſunt, habent in ſe Tyrannum, & Re- „ gnum Chriſti jugiter invadentem, longe ſane „ Herode illo nequiorem, Mammonam ſcilicet. „ Hic enim in homines tenere imperium geſſit, „ ſuoſque cultores ſimulat, & mittit ad Chriſtum, „ ut ſpecie quidem adorare videantur; quantum „ vero in ipſis eſt, interimunt eum, quem ado- „ rare ſe ſimulant. Timeamus igitur, ne quando „ ſpeciem ſupplicum, atque adorantium gerimus, „ opere vero exiſtamus inimici“.

DISSERTATIO II.

DE EUCHARISTIÆ OBLATIONE,

SEU DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO.

„ *EUchariſtia, inquit Catechiſmus Concilii Tridentini P. II. n. 70. duabus de cauſis a Chri-*
„ *ſto inſtituta fuit. Altera eſt, ut cæleſte animæ noſtræ alimentum eſſet, quo vita ſpiri-*
„ *tualem tueri, & conſervare poſſemus: altera, ut Eccleſia perpetuum Sacrificium habe-*
„ *ret, quo peccata noſtra expiarentur, & cæleſtis Pater ſceleribus noſtris ſæpe graviter offenſus,*
„ *ab ira ad miſericordiam, a juſtæ animadverſionis ſeveritate ad clementiam traduceretur. Hu-*
„ *jus rei figuram, & ſimilitudinem in agno Paſchali licet animadvertere, qui ut Sacrificium,*
„ *& Sacramentum a filiis Iſrael offerri, & comedi conſueverat*". *Hactenus igitur de Euchariſtia, quatenus Sacramentum eſt, locuti, ad ipſam expendendam, quatenus Sacrificii ſuſtinet munus, progredimur; quod in hac præſtandum aſſumimus Diſſertatione, quæ omnia ipſi Sacrificio tum intrinſeca, tum extrinſeca complectetur. Dogmaticas quidem quæſtiones breviter exponemus: Scholaſticas ſolum, cum argumenti neceſſitas flagitaret, attingemus: at in Moralibus ſolum quæſtionibus, quæ noſtri ſunt inſtituti, attentius & fuſius immorabimur. Omnia per diſtincta capita explicabimus, ne argumenti copia confuſionem inducat, & obſcuritatem. Sit itaque*

CAPUT PRIMUM.

Sacrificii notio exhibetur; Euchariſtia applicatur, & in quo conſiſtat exponitur.

DOCTRINA.

I. *Sacrificii nomen æquivocum.*
II. *Sacrificii proprie ſumpti definitio.*
III. *Finis, & Miniſter Sacrificii in definitione deſignantur.*
IV. *Mutatio rei oblatæ in ſacrificio neceſſaria.*
V. *Sacrificium eſt jure naturali Deo debitum.*
VI. *Triplex ſacrificii genus in veteri Lege.*
VII. *Diſtinctio ſacrificii ex parte finis.*
VIII. *Sacrificii novæ Legis varia nomina.*
IX. *Miſſa eſt verum novæ Legis Sacrificium.*
X. *Oſtenditur tum veteris, tum novi Teſtamenti Scripturis.*
XI. *Et perenni Patrum traditione, & Conciliorum auctoritate.*
XII. *Confirmat Theologica ratio.*
XIII. *Objecta Hæreticorum refelluntur.*
XIV. *Hoſtia, ſive res oblata in Sacrificio Miſſæ eſt ipſe Chriſtus.*

I. SAcrificii nomen, prout & in ipſis uſurpatur divinis Scripturis, non univocum eſt, ſed æquivocum, & ad res diverſi plane generis ſignificandas adhibitum. Ut enim animadvertit S. Auguſtinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 6. *Verum Sacrificium eſt omne opus bonum, quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ad illum finem boni, quo beati eſſe poſſumus.* Mirum proinde non eſt, ſi Sacrificii nomen & interioribus virtutum actibus tribuatur juxta illud Pſ. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum &c.* & exterioribus Religionis: *Immola Deo Sacrificium laudis;* Miſericordiæ, *qui facit miſericordiam, offert ſacrificium*, Eccleſ. 25. Pœnitentiæ, & mortificationis, *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem*, ad Rom. 12.

II. At ſimul in Scripturis non ſemel Sacrificium ſumitur ad rem ſignificandam omnino peculiarem, & a præfatis actibus diſtinctam; ut cum dicitur, *miſericordiam volo, & non ſacrificium*. Oſeæ 6. &, *melior eſt, obedientia, quam victimæ*. Hoc autem in ſenſu Sacrificium proprie dictum definiri poteſt ex S. Thom. 2. 2. q. 85. a. 3. *Senſibilis oblatio rei alicujus facta Deo ad proteſtationem ejus ſupremæ auctoritatis, dominatus, & arbitrii de vita, & nece, per aliquam ſenſibilem actionem, & cum oblatæ rei quadam immutatione, ac veluti deſtructione*. Dicitur 1. *Oblatio*, quod rationem denotat genericam: nam licet omne Sacrificium oblatio ſit, non tamen omni oblationi ratio convenit Sacrificii; ut docet D. Thom. l. l. ad 3. ſcribens: „ Sacrificium proprie dicitur ex hoc „ quod homo facit aliquid ſacrum (rem immu- „ tando, ut mox dicemus). Oblatio autem dire- „ cte, & proprie dicitur, cum Deo aliquid offer- „ tur, etiamſi nihil circa ipſum fiat; ſicut dicuntur offerri denarii, vel panes in altari, circa quos „ nihil fit ... Primitiæ autem oblationes erant, „ quia Deo offerebantur ... non erant autem Sa- „ crificia, quia nihil Sacrum circa eas fiebat". Additur *ſenſibilis*, quippe quia ſacrificium actus exterior Religionis, quo homines in unam ſocietatem adunantur: quod profecto non niſi exterioribus ſignis haberi poteſt; cum homines videant *ea quæ parent, ſolus autem Deus corda intueatur*. Dicitur autem *Deo facta*, non enim alteri Sacrificium offerri poteſt, quam ſupremo vitæ, & necis Domino. Ut enim ſcribit D. Thom. a. 2. „ Oblatio Sacrificii fit ad aliquid ſignificandum. Si- „ gnificat autem Sacrificium, quod offertur exte- „ rius, interius ſpirituale Sacrificium, quo anima „ ſeipſam offert Deo .... Anima autem ſe offert „ Deo in Sacrificium, ſicut principio ſuæ creatio-

„ nis,

„ nis, & ſicut fini ſuæ beatificationis. Secundum „ autem veram fidem ſolus Deus eſt creator animarum noſtrarum; in ſolo etiam eo animæ noſtræ beatitudo conſiſtit. Et ideo ſicut ſoli Deo „ ſummo debemus Sacrificium ſpirituale offerre; „ ita etiam ſoli ei debemus offerre exteriora ſacrificia “. Quod confirmat etiam naturali ratione ſubdens: „ Hoc etiam videmus in omni Republica obſervari, quod ſummum Rectorem aliquo ſigno ſingulari honorant; quod ſi cuicumque alteri deferretur, eſſet crimen læſæ majeſtatis. Et ideo in lege divina ſtatuitur pœna „ mortis his, qui divinum honorem aliis exhibent “. Quamobrem, ut animadvertit D. Aug. de Civ. D. lib. 10. cap. 4. *Sacrificium certe nullus hominum eſt, qui audeat dicere deberi niſi Deo*. Et iterum: *Quis ſacrificandum cenſuit niſi ei, quem Deum aut ſcivit, aut putavit, aut finxit?*

III. Verba vero, quæ ſequuntur, *ad proteſtationem ſupremæ auctoritatis, & dominatus*, finem Sacrificii ſignificant. Externo quippe Sacrificio ſuam erga ſupremam Majeſtatem homines ſervitutem, ac reverentiam teſtantur; & ſimul ſuam infirmitatem, & indigentiam manifeſtant, & ſe a Deo omnia accepiſſe, ac omnia in Deum referre profitentur. Additur *a legitimo Miniſtro facta*, non enim omnibus Sacrificia offerendi munus competit; ſed iis dumtaxat, qui vocati ſunt a Deo tanquam Aaron, & ex populi aſſumptione conſtituuntur *in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerant dona, & Sacrificia pro peccatis*. Et revera, cum Sacrificium ſit actio & publica, & in Religione omnium præſtantiſſima, per ſpeciales, & ad hoc deputatos Miniſtros eſt exercenda. Quam veritatem & ab ipſo naturali lumine deſcendere indicat mos perpetuus, etiam apud Gentes, ut & ſpeciales deligerentur Miniſtri, qui & Sacerdotes dicebantur, ut ſacra facerent, & omnium nomine hoſtias offerrent, & victimas.

IV. Poſtrema denique verba, quæ afferunt, faciendam in Sacrificio *rei oblatæ mutationem*, vel deſtructionem, quid ſpeciale, proprium, & unicum in Sacrificio deſignant, ut animadvertit D. Thom. l. l. q. 83. a. 3. ad 3. dicens: „ Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res oblatas aliquid „ fit, ſicut quod animalia occidebantur, & comburebantur; & hoc ipſum nomen ſonat: nam „ ſacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit „ aliquid ſacrum “, illud ſcilicet communi uſui ſubtrahendo, & Deo offerendo, vel ipſius rei deſtructione phyſica, ut cum animalia occiſione, & mactatione tollebantur, incenſum igne comburebatur; vel in tali ponuntur ſtatu, ut communi uſui inſervire non amplius queant, ut cum vinum fundebatur in terram, & in lege veteri in Sacrificio capri emiſſarii, in quo animal non mactabatur quidem, ſed onuſtus maledictionibus populo debitis, in deſertum deportabatur, ut ibi hominum ſubtractus aſpectui, & uſui periret, ut habetur Levit. cap. 16.

V. Sacrificium autem in omni lege, tanquam neceſſarium Religionis ritum agnitum fuiſſe, ac proinde naturali jure præceptum contra Suarezium, & ejus ſectatorem Tournelium docet, & oſtendit S. Th. 2. 2. l. q. 85. art. 1. ſcribens: „ Naturalis ratio dictat homini, quod alicui Superiori „ ſubdatur, propter defectus, quos in ſeipſo ſentit, in quibus ab aliquo Superiori eget adjuvari, & dirigi: & quidquid illud ſit, hoc eſt, „ quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in „ rebus naturalibus inferiora ſuperioribus ſubduntur: ita etiam naturalis ratio dictat homini ſecundum naturalem inclinationem, ut ei, quod „ eſt ſupra hominem, ſubjectionem, & honorem „ exhibeat ſecundum ſuum modum. Eſt autem „ modus conveniens homini, ut ſenſibilibus ſignis „ utatur ad aliqua exprimenda; quia ex ſenſibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali „ ratione procedit, quod homo quibuſdam ſenſibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in ſignum „ debitæ ſubjectionis, & honoris, ſecundum ſimilitudinem eorum, qui dominis ſuis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem „ pertinet ad rationem ſacrificii. Et ideo oblatio „ ſacrificii pertinet ad jus naturale “. Quod magis confirmat in reſp. ad 1. animadvertens Sacrificium eſſe Deo debitum ex jure naturali, & ſolum ex jure poſitivo, ſive divino, ſive humano plane libero, prodire, ut hoc, vel illo modo Sacrificium offeratur, ſcribens: „ Aliqua in communi „ ſunt de jure naturali, quorum determinationes „ ſunt de jure poſitivo: ſicut quod malefactores „ puniantur, habet lex naturalis; ſed quod tali „ pœna, vel tali puniantur, eſt ex conſtitutione „ divina, vel humana. Similiter etiam oblatio „ Sacrificii in communi eſt de lege naturali; & „ ideo in hoc omnes conveniunt: ſed determinatio Sacrificiorum eſt ex inſtitutione humana, vel „ divina “.

VI. Triplex Sacrificiorum genus erat in veteri lege a Deo inſtitutum, nimirum *holocauſtum*, *hoſtia pacifica*, & *ſacrificium pro peccato*, quæ ſic egregie exponit S. Th. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 8. ſcribens: „ Quoddam (Sacrificium) erat, quod „ totum comburebatur: & hoc dicebatur *holocauſtum*, quaſi totum incenſum. Hujuſmodi enim „ Sacrificium offerebatur Deo ſpecialiter ob reverentiam Majeſtatis ipſius, & amorem bonitatis „ ejus... Aliud autem erat Sacrificium *pro peccato*, quod offerebatur Deo ex neceſſitate remiſſionis peccati: & conveniebat ſtatui pœnitentium in ſatisfactionem peccatorum: quod dividebatur in duas partes; nam una pars ejus comburebatur; altera vero cedebat in uſum Sacerdotum, ad ſignificandum, quod expiatio peccatorum fit a Deo per miniſterium Sacerdotum. Tertium vero Sacrificium vocabatur *hoſtia pacifica*, quæ offerebatur Deo vel pro gratiarum actione, vel pro ſalute, & proprietate offerentium, ex debito beneficii vel ſuſcipiendi, vel accepti... Et iſta dividebatur in tres partes: nam una pars incendebatur in honorem Dei; alia pars cedebat in uſum Sacerdotum; tertia vero pars in uſum offerentium, ad ſignificandum, quod ſalus hominum procedit a Deo, dirigentibus miniſtris „ Dei, & cooperantibus ipſis hominibus, qui ſalvantur “.

VII. Ex qua doctrina D. Th. jam alia patet Sacrificiorum diſtinctio ex parte finis, ſcilicet in latreuticum, euchariſticum, propitiatorium, & impetratorium. Primum illud eſt, quod ad Dei honorem, cultum, & reverentiam, exhi-

hibetur, ad ejus recognoſcendam ſupremam Majeſtatem, & dominium, ac noſtram ſervitutem, & ſubjectionem. Alterum vero in gratiarum actionem offertur ad infinitam erga nos Dei bonitatem colendam, pro innumeris acceptis beneficiis gratias agendo. Tertium quo Dei juſtitiam veneramur, quam Sacrificio placare ſtudemus propitiatorio, admiſſorum ſcelerum veniam implorando. Quartum denique ad ejus providentiam venerandam eſt ordinatum, a qua bona cuncta tum temporalia, tum ſpiritualia, & præcipue æterna provenire teſtamur; & ideo ad illa impetranda dirigitur, & ordinatur.

VIII. Hæc quidem de Sacrificio in communi, & Veteris Legis. At aliud eſt novæ Legis Sacrificium, quod & omnia alia dignitate, præſtantia, efficacitate exſuperat; & cum unum ſit, omnium tamen in ſe perfectionem, excellentiam, effectus complectitur: unde & latreuticum eſt, & euchariſticum, & propitiatorium, & impetratorium. Pluribus donatur in Chriſtiana Eccleſia nominibus. Dicitur enim *Liturgia* a miniſterio, quod in ejus oblatione adhibetur. *Synaxis*, & *Collecta* a fidelium cœtu ejus oblationi adſtante, & de ipſo participante. *Dominicum*, ideſt Divinum, ex ipſa actione, qua Chriſtus Patri offertur. *Myſtagogia*, ideſt Summum Myſterium, ſicut & *Hierurgia*, ideſt Sacrum opus; & denique communi & notiore vocabulo *Miſſa* ſive a Catechumenis dimittendis, ut putat S. Iſidorus lib. 6. Orig. ſcribens cap. 19. *Miſſa tempore Sacrificii eſt, quando Catechumeni foras mittuntur . . . & inde Miſſa*; vel a donis a populo oblatis, ſive præcipue ad Deum per Sacerdotem miſſis; ſive denique a populo expleta oblatione dimiſſo clamante Diacono, *Ite Miſſa eſt*.

IX. Porro Miſſam eſſe verum novæ legis Sacrificium ſoli Hæretici, Lutherani, Zuingliani, Calviniſtæ, Sociniani inficiantur. At oppoſitum tenet Catholica Eccleſia, quæ hoc dogma in Tridentino Concilio ſeſſ. 22. quatuor prioribus Canonibus definivit, in quorum 1. ſic docet: *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari; anathema ſit*.

X. Et quidem hanc catholicam veritatem confirmant tum veteris, tum novi Teſtamenti Scripturæ. In veteri etenim Teſtamento prænuntiatum habemus Sacrificium in nova Lege perenniter celebrandum juxta Malach. cap. 1. oraculum de Euchariſtia a PP. intellectum: *In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus, ait Dominus exercituum*. In novo vero, ubi æternum Chriſti Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, qui panem, & vinum Deo obtuliſſe narratur ab Hebr. 7. prædicatur, & menſa Domini in pane, & calice, immolationibus, quæ Dæmoniis a Gentilibus fiebant, tanquam ſacrificium immaculatum, ſacrilegis, & pollutis opponitur 1. ad Cor. cap. 10. & Corpus Chriſti, atque Sanguis diſtributus in Cœna poſtrema Diſcipulis velut oblatio Deo facta repræſentatur in verbis Chriſti Lucæ 22. *Corpus, quod pro vobis datur*. Et Matth. 26. *Sanguis, qui pro multis effundetur*.

XI. Accedit perpetua traditio Patrum a primis uſque ſeculis ab Apoſtolis accepta, ac perenni diffuſione uſque ad nos perſeverans. Hujus teſtes ſunt S. Juſtin. Mart. qui in Dial. cum Triph. ſcribit: *De noſtris vero gentium, quæ in omni loco offeruntur, Sacrificiis, hoc eſt pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, jam tunc locutus prædixit* (Malachias) *nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare*. S. Irenæus lib. 4. adverſ. hæreſ. cap. 32. *Eum, qui ex creatura panis eſt, panem accepit, & novi Teſtamenti docuit novam oblationem, de quo & in duodecim Prophetis Malachias ſic præſignavit, non eſt mihi voluntas in vobis* &c. Clemens Alex. 4. Stromatum: *Melchiſedech Rex Salem Sacerdos Dei Altiſſimi, qui panem, & vinum ſanctificatum dedit nutrimentum in typum Euchariſtiæ*. S. Cyrillus Hieroſ. Catech. 5. Myſtagog. *Deum oramus, ut ſuper illa propoſita dona S. Spiritum emittat, & panem quidem faciat Corpus Chriſti, vinum vero Sanguinem . . . Deinde poſtquam confectum eſt illud ſpirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus, ſuper ipſam propitiationis hoſtiam obſecramus Deum pro communi Eccleſiæ pace*. S. Jo. Chryſoſt. hom. 24. in 1. ad Cor. ait: *Chriſtus pro cæde brutorum ſeipſum juſſit offerri*. Et homil. 2. in II. ad Timoth. *Sacra oblatio, ſive illam Petrus, ſive illam Paulus, ſive cujuſque meriti Sacerdos offerat, eadem eſt, quam dedit ipſe Chriſtus diſcipulis, quamque modo Sacerdotes conficiunt*. S. Ambroſius in Pſalm. 38. *Sacerdotes offerimus pro populo Sacrificium. Etſi infirmi merito, tamen honorabiles Sacrificio, quia etſi nunc Chriſtus non videtur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quando Chriſti Corpus offertur, immo ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cujus ſermo ſanctificat Sacrificium, quod offertur*. S. Auguſtinus lib. de Civ. Dei 18. cap. 25. *Hoc Sacrificium per Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech cum in omni loco a ſolis ortu uſque ad occaſum Deo jam videant offerri . . . . Sacrificium autem Judæorum, quibus dictum eſt, non eſt mihi voluntas in vobis, ceſſaſſe negare non poſſunt*. Paria habent ceteri paſſim Patres uſque ad S. Joan. Damaſcenum, & Anſelmum. Quibus adhærent & Concilia etiam antiquiora. Nicænum I. ubi Sacerdotum dignitatem a Diaconorum miniſterio ſic can. 18. diſtinguit: *Nec regula, nec conſuetudo tradidit, ut ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Corpus Chriſti accipiant*. Epheſinum I. in declarat. Anathematiſmi 2. dicit: *Sanctum, ac vivificum, incruentumque in Eccleſiis Sacrificium peragimus*. Chalcedonenſe, in quo Euchariſtia vocatur *terribile, & incruentum Sacrificium*. Tolet. X. an. 681. docet; *Toties illi vero, & ſingulari Sacrificio participandum eſt, quoties Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. immolatio facta*. Tertius hujus traditionis teſtis exſurgit ex omnibus Liturgiis, oblationis, immolationis, & ſacrificii appellatione in deſignandis Miſſæ Myſteriis perpetuo utentibus: quibus reſpondet perpetuus Chriſtianorum idiotiſmus, quo templa, Altaria, & Sacerdotes, loca, & homines, ubi, & a quibus conficitur Euchariſtia, fideles nuncupare conſueverunt. Qua phraſi profecto nihil ineptius, ſi Euchariſtiam verum non agnoviſſent Sacrificium.

XII. Evincit denique & ipſa theologica ratio. Non enim debuit Chriſtiana Religio, cui reſervabatur

batur divinum cultum ad ſummam perfectionem deducere, non debuit, inquam, carere præſtantiſſimo Religionis officio. Sacrificium enim præ omnibus aliis pietatis, & obſequii erga Deum externis ſignificationibus, illud eſt, quo divinam Majeſtatem, ejuſque ſupremam dominationem decentiſſime recognoſci omnes prorſus nationes veluti quodam naturali inſtinctu ſenſerunt. Hebræorum vero gens divinis quoque inſtitutionibus edocta fuit. Quandoquidem Chriſtus, etſi Deum in ſpiritu, & veritate adorandum indixerit, atque prædixerit in Eccleſia ſua, non proinde ſuſtulit hoc genus honoris divini ab homine, ex corpore, & anima compoſito, etiam per viſibilia ſigna exercendum. Non debuit ergo Eccleſiam a ſe fundatam, & a ſuperſtitioſis, vel typicis oblationibus liberatam, ſine Sacrificio relinquere: quod tamen, niſi in Miſſa celebretur, alibi fruſtra quæſiveris.

XIII. Nec audiendi ſunt Novatores, dum nobis dolo malo, & injuria exprobrant, per hoc a nobis aſſertum Sacrificium detrahi Sacrificio Crucis, quo Chriſtus abunde Patri ſatisfaciens redemptionem noſtram perfecit, *una ſiquidem oblatione* (ait D. Paulus ad Hebr. 10. v. 14.) *conſumavit in ſempiternum ſanctificatos:* detrahi quoque æterno Chriſti Sacerdotio, quod ad homines mortales transfertur: & denique ſimplicem rei factæ commemorationem, quam Chriſtus invexit, pro re commemorata uſurpari. At nos reponimus, non ad efficacitatem paſſioni Chriſti vel adjungendam, vel ſupplendam Sacrificium Altaris deſervire; ſed ſolum ad ejuſdem Sacrificii emolumenta hominibus myſtica quadam illius commemoratione, & renovatione applicanda, eſſe divinitus inſtitutum: neque Sacerdotium ſempiternum a Chriſto auferimus, dum ei plures temporaneos in Eccleſia militante miniſtros, Vicarioſque ſubordinamus; neque tandem confundimus commemoratum cum memoriali; licet utrique Sacrificii dignitatem aſſeramus: ſicut enim Paſchalis Agnus Crucis immolationem præfigurabat; ita nihil impedit hanc eandem vero in nova lege Sacrificio ad memoriam revocari, & applicari jam peractam. Hæc omnia clare adverſus hæreticos oſtendit Tridentinum Concilium ſeſſ. 22. cap. 1. docens: „ Dominus noſter, etſi „ ſemel ſeipſum in Ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic „ redemptionem operaretur, quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, „ in cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut „ dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, „ quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum „ repræſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſeculi permaneret, atque illius ſalutaris „ virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, „ Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe „ conſtitutum declarans, Corpus, & Sanguinem „ ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, & ſub earumdem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit; & eiſdem, eorumque ſucceſſoribus in Sacerdotio, ut offerrent, „ præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit ". Et cap. 2. ſubdit: „ Una, eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens „ Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa. Cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc „ incruentam uberrime percipiuntur: tantum abeſt, ut illi per hanc quovis modo derogetur ".

XIV. Hoſtia itaque, ſeu res oblata in Sacrificio Miſſæ eſt ipſe Chriſtus, non quidem in propria ſpecie, ſed prout ſub ſpeciebus panis, & vini continetur. Hujus doctrinæ veritas ex mox recitatis Tridentini verbis luculenter apparet, & ipſam unanimiter docuere Patres etiam primorum ſæculorum: S. Cyprianus epiſt. 68. S. Gregorius Nyſſ. orat. 1. in Reſurrect. S. Ambroſius in Pſ. 38. ubi ait: *Ipſe Chriſtus offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur*: S. Auguſtinus lib. 17. de Civ. D. cap. 20. & lib. cont. 2. epiſt. Pelag. cap. 18. Et ſane Sacrificium Crucis per Euchariſtiam apte, perfecteque repræſentari non poſſet inferiori victima ſubſtituta. Non offertur Chriſtus in propria ſpecie, quia ſecundum hanc, quam habet in cælis, nec immutari poteſt realiter, nec deſtrui; cum ſit plane immortalis, neque ſub aſpectus hominum cadit, aut ſenſus; proinde Sacrificii noſtri materia eſſe non poteſt, quam oportet eſſe ſenſibilem, ac realiter immutari. Idonea tamen efficitur hoſtia, & ſacrificii materia, quatenus ſub ſpeciebus panis, & vini exiſtit, atque realiter conjunctus eſt: ſic enim aliqua ratione, quamvis ſub aliena forma, humanis ſenſibus ſe ſiſtit; deinde realiter immutatus, & deſtructioni obnoxius efficitur. Quo pacto, inquies? Quia in eo ſtatu ponitur, & Patri offertur, quo erat in Cruce, quando nimirum effuſo e corpore toto Sanguine moriens, & mortuus omnino apparuit. Id quoque & in Miſſæ Sacrificio myſtice peragitur: nam verborum Sacerdotalium virtute, veluti myſtico gladio, corpus a ſanguine ſejungitur, quamvis per concomitantiam uniantur; & Chriſtus ut mortuus ſacrificatur. Sic enim egregie hoc ſacrificium novæ legis explicat Clariſſimus Boſſuetus, SS. PP. & Theologorum, immo & Catholicæ Eccleſiæ ſententiam, & doctrinam exponens in aureo illo libello, cui titulus *Fidei expoſitio* n. 14. ſcribens: *Tale eſt Chriſtianorum ſacrificium, quod in infinitum ab illis differt in veteri lege uſitatis. Sacrificium plane ſpirituale, & novo fœdere dignum, ubi victima præſens ſola fide percipitur, ubi verba gladium ſunt, quo myſtice corpus a ſanguine ſeparatur, ubi propterea ſanguis nonniſi myſtice funditur, & Chriſti mors non realiter perficitur, ſed realiter repræſentatur, ob realem ſcilicet Chriſti præſentiam, quæ ſi tollatur, ut blaſphemant Calviniſtæ, jam omnis ſacrificii tollitur veritas.* Quare ajebat D. Ambroſ. ſuper Cap. 10. epiſt. ad Hebr. ad illa verba *Umbram enim* &c. *In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus? ſed ad recordationem mortis ejus.* Quæ verba recitantur & a D. Th. hic q. 83. art. 1. Non deſunt tamen Theologi, qui victimæ mutationem aliter explicant, dicendo, in Euchariſtia Chriſtum novum eſſendi modum accipere, vi cujus ejus corpus, & ſanguis ſua locali deſtituta extenſione, in deteriori ponuntur ſtatu, utpote inepto ad uſus naturales, & humanos, & tendente proxime ad deſtructionem ejuſdem eſſe per eſum, & potum, ſcili-

cet per conſumptionem Sacramentalium ſpecierum: & hujuſmodi mutationem, & tendentiam ad interitum, quæ eſt quædam violenta moralis deſtructio, autumant ad ſacrificii ſaltem incruenti ſufficere veritatem. At prior explicatio communior eſt, & doctrinæ conformior tum SS. Patrum, tum Tridentinæ Synodi. Verum hæc fuſius expendenda Dogmaticis, & Scholaſticis Theologicis, ne extra oleam nimis deſiliamus, relinquere cogimur.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *De eſſentia Sacrificii non eſt ſanguinis effuſio.*
II. *Oblatio non conſiſtit nec in Liturgicis precibus, nec in fractione, & benedictione.*
III. *Eſſentialiter conſiſtere in conſecratione probabilius videtur.*
IV. *Utriuſque ſpeciei neceſſaria eſt conſecratio.*

Conſectarium Primum.

I. De eſſentia ſacrificii non eſt, ut ſit cum ſanguinis effuſione. Id patet manifeſte in pluribus utriuſque legis tum naturæ, tum ſcriptæ ſacrificiis. Legimus enim in priori ſtatu, Abel quidem ex animantibus hoſtias obtuliſſe, & Cain nonniſi ex frugibus terræ. Quod ſi has Deus contempſit, ſi rejecit, non ratione victimæ factum eſt, ſed ex prava offerentis diſpoſitione. Melchiſedech quoque, qui Sacerdos erat Altiſſimi, panem, & vinum in Sacrificium obtuliſſe legimus; & in eo novæ legis Sacrificium præfiguratum agnoſcunt, & prædicant Patres, & Concilia, ut jam innuimus. In lege ſcripta plura pariter extabant incruenta Sacrificia, ut patet in Sacrificiis Vini, Thuris, Salis. Unde & D. Thom. 2. 2. q. 85. art. 3. ad 3. & in oblatione panis verum agnoſcit Sacrificium, dum ſcribit: *Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit; ſicut quod animalia occidebantur, & comburebantur, quod panis frangitur, & comeditur, & benedicitur.* His addenda Sacrificia Capri emiſſarii, ubi minime mactabatur victima, ſed Caper in deſertum deportabatur, & emittebatur; & Paſſer ſanguine tinctus alterius Paſſeris immolati avolare ſinebatur, ut habetur Levit. cap. 14. Nec obſtat D. Pauli effatum, & in novo Teſtamento requiri mortem Teſtatoris, ut per eam fructum percipiamus hæreditatis. Quandoquidem id quidem neceſſe fuit, cum primo novum conditum eſt Teſtamentum; tunc enim interfuit mors Chriſti Teſtatoris. At modo, cum per Euchariſtiam non inſtitutio, ſed jam conditi, & peracti ſacrificii in Novo Teſtamento repetitio, & commemoratio habeatur, neceſſe non eſt, ut ſacrificium ſit cruentum, & mors intercedat Teſtatoris, ſed ipſius mortis fiat commemoratio, & oblatio.

Conſectarium Secundum.

II. Forma ſacrificii, ſeu actio, qua formaliter, & eſſentialiter Euchariſtiæ peragitur ſacrificium, non eſt oblatio illa, quæ exprimitur liturgicis precibus ante, vel poſt conſecrationem recitandis, nec fractio, aut commixtio, aut diſtributio conſecratarum ſpecierum. Et primum quidem quod diximus, patet manifeſte: quandoquidem oblatio illa vocalis, quæ ante, vel poſt conſecrationem in Miſſa præſcribitur, neque a Chriſto adhibita legitur in Evangelio, nec ab Apoſtolis uſitata; quippe qui, ut dicit S. Greg. M. conſecrationi ſolam Dominicam addebant orationem; proinde Eccleſiaſticæ præſumitur inſtitutionis, perveruſtiſſimæ quidem, quia in omnibus præſcribitur Liturgiis. Eſt autem maxime conveniens ad ſacrificii rationem explicandam; at nullam in re oblata novitatem inducit, vel mutilationem, cum prima victimæ præſentiam antecedat, poſterior vero eam immutatam relinquat; neque fiat nomine Chriſti, qui, ut videbimus, eſt offerens principalis, ſed nomine Eccleſiæ. Accedit, oblationem ſacrificii propriam non in verbis conſiſtere, ſed in aliqua reali actione victimam immutante. Nec in fractione ſacrati panis, ſi enim integræ hoſtiæ in calice caſu ejus fractio impediatur, non proinde ſacrificium impediri cenſetur. Commixtio vero ſpecierum a Chriſto prætermiſſa, myſticæ tantum ſignificationis gratia fuit ab Eccleſia inducta. Tandem nec diſtributio ſacrificii formam conſtituit, quippe quæ, & Diaconibus non ſacrificantibus convenit; & multoties deficientibus, qui communicare velint, locum non habet, quin propterea mutilum ſit, & imperfectum ſacrificium. Ita docet & D. Th. 3. p. quæſt. 85. art. 6. ad 6. dicens: „ Fractio „ hoſtiæ conſecratæ, & quod una ſola pars mitta„ tur in calicem, reſpicit Corpus Myſticum; ſic„ ut admixtio aquæ ſignificat populum, & ideo „ horum prætermiſſio non facit imperfectionem ſa„ crificii. “.

Conſectarium Tertium.

III. Præfata ſacrificii forma, ſeu eſſentia nec in ſpecierum conſummatione, ſive a populo, ſive ab ipſo Sacrificante facta conſiſtit, ſed ſubſtantialiter, & adæquate habetur in ſola conſecratione, in qua tamen implicatur ordo ad ſumptionem tanquam ad finem externum. Huic noſtræ doctrinæ non omnes conſentiunt Theologi, etiam Thomiſtæ, qui conſummationem ſaltem ex parte ad eſſentiam ſacrificii pertinere arbitrantur. Verum poſita doctrina mihi probabilior videtur, utpote & Tridentini Concilii, & Sanctorum Patrum doctrinis conformis magis, & proxima. Sic enim docet Trident. Synodus ſeſſ. 21. cap. 1. „ Chriſtus Sacerdotem „ ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum „ conſtitutum declarans, Corpus, & Sanguinem „ ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri ob„ tulit, & ſub earumdem rerum ſymbolis Apoſto„ lis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eo„ rumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, „ præcepit “. Concilium igitur in ſola conſecratione a Chriſto peracta, & ab Apoſtolis, & ſucceſſoribus in Sacerdotio peragenda, oblationis, & ſacrificii integram rationem agnoſcit. Eodem plane loquuntur modo SS. Patres, qui in ſola conſecratione integram agnoſcunt oblationem. S. Irenæus lib. 4. cap. 32. ſcribit: Eum, qui ex crea„ tura panis eſt, panem accepit, & gratias egit, „ dicens: *hoc eſt Corpus meum;* & Calicem ſimi„ li-

„ liter, qui eſt ex creatura, quæ eſt ſecundum nos, „ ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo Mundo „ offert Deo “. S. Jo. Chryſoſt. hom. de prodit. Judæ inquit: „ Vox illa: *Hoc eſt Corpus meum*, „ uſque ad ejus adventum præſtat ſacrificio firmitatem “. Et clarius adhuc S. Greg. Nyſſ. orat. 1. de Reſurrect. „ Cum corpus edendum, & ſanguinem bibendum Diſcipulis exhibuit Chriſtus, „ jam arcana ratione corpus ejus erat immolatum “. Nec diſſentit D. Th. qui hic q. 82. a.10. ſcribit: „ Opportunitas ſacrificium offerendi non „ ſolum attenditur per comparationem ad fideles „ Chriſti, quibus oportet Sacramenta miniſtrari, „ ſed principaliter per comparationem ad Deum, „ cui *Conſecratione* hujus Sacramenti ſacrificium „ offertur “. Et iterum in reſp. ad 1. „ Alia Sacramenta perficiuntur in uſu fidelium ... Sed hoc „ Sacramentum perficitur in *Conſecratione Eucbariſtiæ*, in qua ſacrificium Deo offertur “. Nec deeſt Theologica ratio, quia ſine populi participatione ſtat Euchariſtiæ ſacrificium, cujus miniſterium ad ſolum pertinet Sacerdotem: hic vero ſacrificat quidem in Chriſti perſona; communicat tamen ſuo nomine, & communicando ſacrificium conſumere dicitur, non offerre. Et revera ſola conſecratio fit in Chriſti nomine, ejus perſonam repræſentando, hæc ſola victimam præſentem conſtituit, eamque realiter immutat; ſive, ut aliquibus placet, Chriſti corpus, & ſanguinem in ſtatu deteriori ponendo, & corruptioni proxime obnoxio ſecundum exiſtentiam Sacramentalem, ſive, ut melius alii, myſtice mactando gladio verborum ſeorſum corpus, & ſanguinem exprimentium, quo cruento Crucis ſacrificio incruentum iſtud aſſimilat. Hæc ſola denique realem continet oblationem: quapropter in die Paraſceves non offertur ſacrificium, quia nulla habetur conſecratio. Non inficiamur vero in conſecratione implicari præfatum ad conſumptionem reſpectum: nam id ſpecies panis, & vini, ſub quibus ad eſum, & potum Chriſti corpus, & ſanguis aptantur, manifeſte oſtendunt: & præterea Sacerdotes ad communicandum in Miſſa jure divino adſtringi, oſtendit S. Th. hic q. 82. a. 4. ſcribens: „ Quicumque ſacrificium offert, debet ſacrificii fieri particeps; quia exterius ſacrificium, quod offertur, ſignum eſt interioris ſacrificii, quo quis ſeipſum offert Deo ... „ Similiter per hoc quod ſacrificium populo diſpenſat, oſtendit ſe eſſe diſpenſatorem divinorum, quorum ipſe primo debet eſſe particeps ... „ Et ideo ipſe ante ſumere debet, quam populo „ diſpenſet. Unde in lib. Eccl. Hierar. cap. 3. legitur. Quale eſt ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur “? Quamobrem, ſi quis conſumptionem partem appellet integralem ſacrificii, nihil affirmat a veritate alienum, immo & conforme Eccleſiæ, & menti, & doctrinæ, quæ jubet conſecratas ab alio Sacerdote ſpecies, ſi ipſe conſumere non valeat, ab alio Sacerdote abſumi, ut inferius dicemus.

Noſtram ſententiam mirifice confirmat Clariſſimus Boſſuetus, quem libenter hic vindicandum ſuſcipio a criminatione nuperi Scriptoris, qui veritus non eſt aſſerere, ſe indoluiſſe, tantum virum hallucinationibus Scholaſticorum abreptum, in ſuis Meditationibus de Cœna Domini nimium faviſſe myſtice mactationi, nec attendiſſe doctrinæ Sacræ Scripturæ, Patrum, Conciliorum & Liturgiarum. Quod quam falſum ſit, quam impudenter, quam contumelioſe dictum, apparet ex Boſſueti libello, cui titulum fecit *Expoſitio Catholicæ doctrinæ*, in quo ipſiſſimam Eccleſiæ doctrinam, ab omnibus omnino ſejunctam diſputationibus, controverſiis, diſſentientium Theologorum ſententiis, nude, ſimpliciter, dilucide Calviniſtis, cæteriſque heterodoxis omnibus objecit, & ob oculos poſuit. Sic itaque cap. 14. ubi de Sacrificio Miſſæ data opera pertractat, Catholicum dogma exponit.

„ Binæ ſunt in hoc Myſterio notandæ actiones, „ plane inter ſe diſtinctæ, licet altera ad alteram „ referatur. Prima eſt *Conſecratio*, per quam panis, & vinum in Chriſti corpus, & ſanguinem „ mutantur: altera *Manducatio*, per quam de illis participamus. *In Conſecratione* Corpus, & „ Sanguis Chriſti MYSTICE SEPARANTUR; „ Chriſtus enim dixit ſeorſum, *hoc eſt Corpus meum*, ſeorſum *hic eſt ſanguis meus*, quod profecto vivam, & efficacem exhibet *repræſentationem illius mortis*, quam ſubivit. Ideo Filius „ Dei *vi* illorum verborum in Sacra Menſa conſtituitur ſub *ſignis* EJUS MORTEM *exhibentibus*. Hoc operatur *Conſecratio*, quæ actio religioſa cultum offert, & importat ſummæ, & „ infinitæ, quæ in Deo eſt in omnem creaturam, „ & ſpeciatim in genus humanum, poteſtatis proteſtationem. Nam Chriſtus ibi præſens innovat, „ & quodammodo perennat memoriam ſuæ obedientiæ uſque AD MORTEM Crucis. ITAQUE NIHIL EI DEEST AD VERUM SACRIFICIUM “.

„ Nemo ambigit hanc actionem, ut *a manducatione* diſtinctam, eſſe per ſe Deo acceptiſſimam, illumque movere, ut oculos ſuæ propitiationis ad nos convertat: ejus enim obtutibus „ iterum exhibemus MORTEM voluntariam, „ quam dilectus Filius ſuus pro peccatoribus ſubivit, ſeu potius ejus obtutibus exhibemus eumdem Filium ſuum MORTIS ſignis, qua placatus eſt Pater, velatum. Omnes confitentur „ Chriſtiani ſolam Chriſti præſentiam afferre potentiſſimæ interceſſionis rationem apud Deum pro toto „ humano genere, juxta illud Apoſtoli, Chriſtus „ *apparuit vultui Dei pro nobis*. Ideo & credimus „ Chriſtum in Sacra Menſa præſentem in STATU „ MORTIS pro nobis intercedere, & inceſſanter „ Patri ſuo MORTEM *offerre*, quam pro ſua Eccleſia obivit. In hoc ſenſu dicimus *Jeſum Chriſtum ſemetipſum Deo offerre* pro nobis in Euchariſtia; hoc pacto credimus illa oblatione fieri, „ ut magis magiſque nobis propitius ſit Deus, idcoque *propitiatorium* vocamus. Attendentes itaque quidquid Chriſtus in hoc Myſterio operetur, & fide eum contemplantes actu præſentem „ in Sacra Menſa cum ſignis SUÆ MORTIS, „ & nos eo modo illi unimur; & Deo offerimus velut unicam hoſtiam noſtram, & unicum „ per ſuum Sanguinem propitiatorem, confitentes, „ nihil ultra nos habere, quod Deo offeramus, „ niſi Jeſum Chriſtum, & ſuæ MORTIS fructum infinitum. Omnes preces noſtras hac „ divina oblatione ſignamus, & Deo Jeſum „ Chriſtum offerentes addiſcimus noſmetipſos in

„ ipſo

„ ipſo, & per ipſum Deo offerre ceu hoſtias vi„ ventes. Hoc eſt Chriſtianæ Religionis SACRI„ FICIUM plane *infinito modo* diverſum a priſco „ ſacrificandi ritu in Lege præſcripto. Sacrificium „ SPIRITUALE novo Teſtamento dignum, ubi „ Victima ſola fide præſens cernitur. Ubi GLA„ DIUS eſt VERBUM, MYSTICE *Corpus a San„ guine dividens*, quo proinde Sanguis nonniſi „ MYSTERIO funditur, nec niſi IMAGINE „ MORS intercedit. Veriſſimum tamen SACRI„ FICIUM, cum Chriſtus vere in eo continetur, „ & Patri ſub hac MORTIS ſpecie offertur, ſed „ Sacrificium *Commemorationis*, quod nos mini„ me abſtrahit a Sacrificio Crucis, ut falſo nobis „ objicitur, immo ipſi nos unit omnibus modis, „ non ſolum quia ad illud integre refertur, ſed „ revera quia non eſt, nec ſubſiſtit, niſi per „ hanc relationem, unde totam ſuam nanciſcitur „ virtutem.

„ Hæc eſt ECCLESIÆ CATHOLICÆ DO„ CTRINA, in Concilio Tridentino tradita, do„ cente hoc Sacrificium inſtitutum, *ut illud ſe„ mel in Cruce peragendum repræſentaret, ejuſque „ memoria in finem uſque ſæculi permaneret, at„ que illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, „ quæ quotidie committuntur, peccatorum appli„ caretur*. Ideoque non ſolum nihil deeſſe cre„ dimus Crucis Sacrificio, ſed potius ex Eccle„ ſiæ ſenſu ita illud perfectum, atque ita plene „ ſufficiens confitemur, ut, quidquid poſt ipſum „ agimus, non adhibeamus niſi ad ejus *commemo„ rationem* celebrandam, & virtutis applicandam „ efficacitatem “.

Hucuſque clariſſimus Boſſuetus, cujus doctrinam tanquam veram, catholicam, Hæreticis ad credendum proponendam agnovere Innoc. XI. duplici Brevi ad ipſum dato, quatuor Eccleſiæ Romanæ Cardinales, Bona in Liturgicis doctrinis peritiſſimus, Lauria, Chigius, Bullionius, bini Sacri Palatii Magiſtri, Lobelli, & Capiſuchi, omnes Galliarum, & Germaniæ Epiſcopi. Liber iſte ob ſuam præſtantiam in omnes Europæ linguas translatus eſt, Anglicanam, Teutonicam, Latinam, Italicam. Itane omnes *ſcholaſticis hallucinationibus* obnubilati non agnovere hanc Boſſueti doctrinam de Miſſæ Sacrificio eſſe *contradictionibus ſcatentem, Sacrificii ideam confundere, male fundatam*, ut eam appellat nuperus Scriptor? Itane omnes, quid doceant Scripturæ, Patres, Concilia, Liturgiæ, penitus ignorarunt? Sed quod mirandum magis, Auctor, qui maxime indoluit, Boſſuetum nimium myſticæ immolationi faviſſe in ſuis Meditationibus de Cœna Domini, cur non ingemuit, cur juſta non excanduit ira, cur non zelo zelatus eſt, eam legens doctrinam a Boſſueto propoſitam, ceu Eccleſiæ doctrinam certam, veram, catholicam in opere plane dogmatico? Num ignoravit? Minime. Plura enim ex eo aureo libello in rem ſuam excerpſit. Cur igitur ſiluit? Cur diſſimulavit? cur quievit? Puto non alia de cauſa, ne in ærea figura primo Tomo præfixa ſub Rotis currus triumphantis Euchariſtiæ, loco Suarezii conculcati, confracti, contriti, Boſſuetum ſubſtituere cogeretur.

Conſectarium Quartum.

IV. Utriuſque ſpeciei conſecrationem ad eſſentiam Sacrificii pertinere probabiliſſimum eſt. Veritas hujus noſtræ aſſertionis conſtat ex doctrina Concilii Tridentini, in verbis præcedenti Conſectario recitatis ex Seſſ. 21. cap. 1. ubi ea perpendenti apparebit, Chriſtum & panem, & vinum obtuliſſe, & idem faciendum Apoſtolis præcepiſſe in ſui commemorationem. Idem docuerat & S. Th. hic q. 80. a. 2. ad 3. ſcribens: „ Repræſentatio „ dominicæ paſſionis agitur in ipſa conſecratione „ hujus Sacramenti, in qua non debet corpus ſi„ ne ſanguine conſecrari “. Ex qua A. P. doctrina firma, & validiſſima eruitur noſtræ aſſertionis probatio, videlicet quia ſine utriuſque ſpeciei conſecratione alias, ut diximus Diſſ. præced. c. 6. conſect. 6., divino, & indiſpenſabili jure præcepta, non habetur diſtincta, & expreſſa repræſentatio Sacrificii cruenti in Ara Crucis oblati, ſcilicet ſanguinis a corpore ſeparatio, & effuſio, quæ nonniſi corpus ſeorſum a Sanguine vi verborum ponendo perfecte ſignificatur. Porro hujuſmodi ſignificationem Euchariſtico Sacrificio eſſentialem eſſe, inde conſtare videtur, quia in paſſionis a Chriſto perlatæ commemorationem inſtitutum fuerat, celebrarique mandatum, quod & Eccleſiæ ſedula vigilantia, perpetua praxi, & Patrum, & Conciliorum doctrina ex hactenus dictis manifeſte comprobatur.

CAPUT TERTIUM.

De Miniſtro Sacrificium offerente, atque in eo requiſitis diſpoſitionibus ad ſancte offerendum.

DOCTRINA.

I. *Primus, & principalis offerens in Sacrificio Miſſæ eſt Chriſtus.*
II. *Eccleſia quoque Sacrificium offert.*
III. *Quomodo & fideles hoc offerant Sacrificium.*
IV. *Sacerdotes ſunt veri hujus Sacrificii Miniſtri.*
V. *Qui hac poteſtate non privantur, licet mali, & ab Eccleſia præciſi.*
VI. *Ut digne offerant, eſſe debent ab omni cenſura immunes.*
VII. *Et in ſtatu gratiæ ab omni lethali peccato mundi.*
VIII. *Si deſit copia Confeſſarii, & neceſſitas urgeat, contritione mundati.*
IX. X. *Quando adſit neceſſitas celebrandi non præmiſſa Confeſſione.*
XI. *Qui ſola contritione celebrat, debet quamprimum confiteri.*
XII. *Quando urgeat præceptum quamprimum confitendi.*
XIII. *Ad digne celebrandum & naturale requiritur jejunium.*
XIV. *Quando non jejunus celebrare poſſit Sacerdos.*
XV. *Ad digne celebrandum pietas requiritur, & devotio.*

I.

I. PRimus, & principalis offerens in Sacrificio Miſſæ eſt Chriſtus Dominus. Ipſe enim vocatur *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, qui quotidie per Sacerdotes, non tanquam ſucceſſores (æterno enim Sacerdoti repugnat ſucceſſorem habere) ſed tanquam Miniſtros, ſemel in Ara Crucis oblatum Sacrificium uſque ad conſummationem ſeculi ſub ſpeciebus panis, & vini offert, dignus profecto tali victima Sacerdos, & qui Sacrificium ex parte offerentis nunquam Deo non ſumme gratum, & uſquequaque purum efficiat. Hanc doctrinam prædicant Concilia Lateranenſe IV. cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, inquiens: *In Eccleſia idem ipſe eſt Sacerdos, & Sacrificium*. Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 2. *Idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit*. Pro re jam comperta ſupervacaneum eſt Patrum addere teſtimonia: ſat erit Auguſtinum audire de Civitate Dei lib. 10. cap. 20. *Per hoc & Sacerdos eſt ipſe, & offerens, & oblatio*.

II. Eccleſia quoque generali quadam ratione Miſſæ Sacrificium offert. Patet ex Patribus, qui Euchariſtiam Eccleſiæ Sacrificium appellant, in ejus videlicet utilitatem a ſuo ſponſo Chriſto inſtitutum, ejuſque generali procurationi per Miniſtros ab ipſa deligendos, & juxta leges ab ipſa decernendas commendatum. Ita ergo univerſa Eccleſia per Sacerdotes, qui ſunt nobiliora membra hujuſce myſtici corporis, offerre dicitur; ſicut totum animal videre per oculos, progredi pedibus, auribus audire dicitur.

III. Sacrificium offerunt, licet imperfecte, & acceſſorie fideles omnes Sacrificio cooperantes, miniſtrantes, aſſiſtentes. Id patet ex ipſis ſacræ Liturgiæ verbis, ubi Sacerdos dicit: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumſtantium ... qui tibi offerunt hoc Sacrificium*. Et rurſus: *Hanc oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ ...* Et iterum: *Unde & memores nos ſervi tui, & plebs tua . . . offerimus præclaræ Majeſtati tuæ* &c. Hoc in ſenſu locuti ſunt & SS. Patres. Legatur Sanctus Leo epiſt. 1. ad Dioſcorum. Ratio eſt; quia ſi tota Eccleſia per Sacerdotes, qui ſunt ejus publici, ac ſolemnes Miniſtri, Sacrificium offerre intelligitur, a fortiori qui Sacrificio peculiariter cooperantur, offerre ſecundario, & acceſſorie dicuntur; ut ſunt procurantes victum, & ſtipendium Sacerdoti præbentes, neceſſaria ad celebrationem ſuppeditantes, inſervientes, aſſiſtentes, miniſtrantes &c. & eo magis quo proximius, & efficacius cooperantur.

IV. Speciali, & proprio miniſterio ſoli Sacerdotes miniſtrant. Hoc catholicum dogma ſoli oppugnant hæretici, quorum impium errorem refutavimus Diſſert. præced. cap. 6. n. 1. Solum hic addimus, & ipſam Sacrificii rationem poſtulare ad hoc munus delectos Miniſtros, nec cuique ex populo convenire; quod manifeſte evincunt, & ipſa actionis natura, & indoles, quæ publica, & præſtantiſſima eſt; & ipſum naturale lumen, unde apud omnes pene gentes, etiam barbaras, dummodo Numen aliquod colerent, ſemper ad Sacrificium delecti ſunt ex populo, qui Sacerdotio fungerentur; ut cap. 1. n. 3. diximus. Et revera in lege naturali ad Sacrificia offerenda delecti erant familiarum Principes, & Capita, eorumque primogeniti. Hinc legimus Noe, Abraham, & Job Sacrificium obtuliſſe. Nec obſtat huic doctrinæ, Cain, & Abel ſua ſeorſum Sacrificia celebraſſe; nam & ipſi tanquam capita, & Principes diſtinctarum familiarum, quas fundare, & propagare debebant, ſpectabantur. In veteri autem Lege Aaronis ſtirpi reſervatum erat Sacerdotium: ideoque punitus Ozias legitur Paralip. 26. v. 28. quia, cum Rex eſſet, auſus eſt & ſibi Sacerdotium tribuere, & Deo Sacrificium offerre. In nova autem lege, ut inquit Apoſtolus: *Nemo ſibi aſſumit* (ſacrificandi) *honorem, niſi vocatus a Deo tanquam Aaron*. Et jam Concilium Tridentinum definivit ſeſſ. 22. can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem ſuum; anathema ſit*. Et ſeſſ. ſeq. can. 1. *Si quis dixerit, non eſſe in Novo Teſtamento Sacerdotium viſibile, & externum, vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini ... ſed officium tantum, & nudum miniſterium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorſus non eſſe Sacerdotes; anathema ſit*.

V. Sacrificandi valida poteſtate non privantur Sacerdotes, licet mali, & ab Eccleſia præciſi. Quandoquidem ſacrificandi, & offerendi poteſtas in charactere Sacerdotali impreſſa manens, & ab eo inſeparabilis, neque ob improbitatem Sacerdotis amittitur, neque Eccleſiaſtica deſtrui, impedirique poteſt prohibitione, & cenſura: & hæc enim ſolum ejus uſum illicitum reddere valet, & præterea id efficere, ut Sacerdos celebrando Miniſtrum Eccleſiæ non agat, non jam ne miniſterio Chriſti fungatur. Ita egregie docet D. Thom. hic qu. 64. a. 9. ad 3. „Poteſtas miniſtrandi Sacra„menta pertinet ad ſpiritualem characterem, qui „indelebilis eſt; & ideo per hoc quod aliquis ab „Eccleſia ſuſpenditur, vel excommunicatur, aut „etiam degradatur, non amittit poteſtatem con„ferendi Sacramenta, ſed licentiam utendi hac „poteſtate. Et ideo Sacramentum quidem con„fert; ſed tamen peccat conferendo“. Et qu. 82. art. 7. ſpecialiter de Miſſæ Sacrificio ſic ſcribit: „Conſecratio Euchariſtiæ eſt actus conſequens „Ordinis poteſtatem: ideo illi, qui ſunt ab Ec„cleſia ſeparati per hæreſim, vel ſchiſma, vel „excommunicationem, poſſunt quidem conſecra„re Euchariſtiam, quæ ab eis conſecrata verum „Corpus, & Sanguinem Chriſti continet; non ta„men hoc recte faciunt, ſed peccant facien„tes. Et ideo fructum Sacrificii non percipiunt“.

VI. Ad digne, & utiliter offerendum Miſſæ Sacrificium requiritur in Miniſtro 1. immunitas ab omni excommunicatione, & Eccleſiaſtica cenſura. Nam ut diximus de miniſtrante hoc Sacramentum Diſſ. præced. cap. 7. n. 7. hæ cenſuræ ſunt ordinatæ ad impediendam ſuſcepti Ordinis, & poteſtatis executionem. Quare offerentes Sacrificium aliqua innodati cenſura pœnam irregularitatis ſibi accumulant.

VII. Requiritur etiam ſtatus gratiæ, & immunitas ab omni lethali peccato. Si enim ſancta ſancte tractanda ſunt, quanto magis ſanctiſſimum hoc-

hocce Sacrificium nonniſi a ſanctis eſt offerendum? Quamobrem nullus Sacerdos ſibi conſcius lethalis culpæ ad Miſſæ Sacrificium offerendum accedere debet, niſi non ſolum præmiſſa Contritione, ſed & Confeſſione, & quidem tum ex divino præcepto, ut oſtendimus ſuperiore Diſſertatione, tum ex Tridentini mandato, quod omnibus, ſed præcipue Sacerdotibus ſic jubet: ,, Nullus ſibi conſcius morta- ,, lis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, ,, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ad Sa- ,, cram Euchariſtiam accedere debeat, quod a Chri- ,, ſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, qui- ,, bus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta ,, Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo ,, non deſit illi copia Confeſſarii. Quod ſi urgente ,, neceſſitate Sacerdos abſque prævia Confeſſione ,, celebraverit, quamprimum confiteatur". In quo ſane Decreto duo habentur præcepta, alterum de Confeſſione præmittenda, cum adeſt copia Confeſſarii, a Sacerdote celebraturo; alterum de Confeſſione *quamprimum* habenda ab eodem, ſi ſola contritione, urgente neceſſitate, celebraverit. Hæc duo ſunt expendenda.

VIII. Sicut in Laico, ita & multo magis in Sacerdote celebraturo, ut poſſit Miſſam offerre cum ſola Contritione, duo requiruntur. 1. Quod deſit copia Confeſſarii. 2. Quod urgeat neceſſitas celebrandi. Quoad primum, tunc non habetur copia Confeſſari, quando vel abſolute deeſt Sacerdos adprobatus; vel ſine gravi incommodo adiri non poſſit. Quale autem ſit hoc grave incommodum, in individuo definire facile non eſt; ſed attendendæ ſunt ſingulares perſonæ Sacerdotis circumſtantiæ; labor enim, qui alteri gravis eſſet, alteri levis eſſe poteſt; puta, ſi iter aliquorum millia paſſuum ſit habendum, ſi iter pedibus ſit peragendum, vel equo. Quod ſi Confeſſarius adſit, ſed poteſtate carens abſolvendi a reſervatis, non ideo prætermittenda Confeſſio, ſed id obſervandum, quod diximus Diſſ. præced. cap. 13. nu. 5. Si non adſit Confeſſarius vel proprii Ordinis, vel Pœnitenti bene affectus, immo ipſi adverſus, non eſt omittenda Confeſſio, cum dici non poſſit deeſſe copiam Confeſſarii.

IX. Neceſſitas vero celebrandi non præmiſſa Confeſſione ſolum, ut puto, in hiſce duobus caſibus locum habere poteſt. 1. Proximi neceſſitas. 2. Scandalum, vel infamia. Ad primum caput pertinet neceſſitas dandi Viaticum moribundo. Non deſunt tamen, qui non conſentiunt: putant enim tunc non licere celebrare; ſicut non licet ſine ſacris veſtibus, & non jejuno. Nihilominus communior ſententia permittit, cum urgeat divinum præceptum ſuſcipiendi Euchariſtiam, & de maximo agatur ſubſidio extreme indigenti porrigendo, præſertim in Parocho, qui ratione muneris ſui adminiſtrare tenetur, nec ſine ſcandalo negare poteſt: quod pariter & dicendum de quolibet alio Sacerdote, qui faltem ex præcepto caritatis adminiſtrare tenetur, & ipſe quoque ſine ſcandalo negare non valet. Oportet præterea, ut nullus alius adſit Sacerdos, qui loco Parochi ſuppeditare poſſit, & velit: tunc enim & ipſe Parochus alium tenetur ſubſtituere Sacerdotem, licet alias ipſe conſueverit per ſe Viaticum moribundis deferre; cum nullum ſit ſcandalum, ſi quando per accidens, & quidem raro, alteri officium ſuum committat; & qualiſcumque futura plebis admiratio ſufficiens, & idonea non eſt cauſa violandi divinum, & eccleſiaſticum præceptum, & Miſſa non eſt celebranda, niſi præmiſſa neceſſaria confeſſione. Neceſſitatem eandem cognoſcunt plures Theologi in Parocho, qui niſi cum ſola celebret contritione, plebs ſua Miſſæ Sacrificium in die feſto audire non poſſet; & præterea ſine offenſione omittere non valeret: quod pariter & de alio Sacerdote, non Parocho, ſentiendum videtur; quia bonum commune id concedere videtur, & ipſe quoque ſine ſcandalo patenti recuſare non poſſet. Sed quid, ſi Sacerdos in lethali exiſtens cum ſociis iter habeat, qui cum ipſo in die feſto Miſſam audire non poſſunt, niſi ipſe celebret, nec copiam habeat Confeſſarii? Aliqui concedunt, ne ſociis ſcandalo ſit. Et quidem, ſi revera ſine infamia, & gravi ſcandalo abſtinere non poſſit, aſſentirer. Verum, ſi aliqua adhibita excuſatione abſtinere poſſet, puto præferendum præceptum divinum de præmittenda Confeſſione præcepto Eccleſiaſtico de Miſſa audienda. Et revera ita cenſent & benigniores Theologi, Bonacina, Lugo, & Cajetanus. Non ita vero ſentio de Communione Paſchali: quia licet divinum ſit præceptum de ſumenda aliquando Euchariſtia; determinatio tamen temporis eſt ſolum a jure eccleſiaſtico, ac proinde differri poteſt, quoaduſque debito modo, ideſt præmiſſa Confeſſione, celebrare poſſit. Præterquamquod, cum non in uno die conſiſtat, ſed ad duas extendatur hebdomadas ad minus; etiam ſine violatione præcepti Eccleſiaſtici differri poteſt: & ſi poſtrema dies urgeat, adhuc differri tunc poterit; dummodo ſine culpa temporis arctatio non ſupervenerit. De aliis neceſſitatis caſibus dicemus in Confectariis.

X. Hæc quidem ex capite neceſſitatis: ex capite vero ſcandali, & infamiæ, jam puto caſus omnes in hactenus dictis comprehenſos. Nam certe infamia non eſt, ſi Sacerdos etiam quotidie celebrare vel aſſuetus, vel etiam obſtrictus, aliquo die a celebratione abſtineat: ſicut nec quia minus devotus putaretur, ſi a celebratione ceſſaret, cauſa eſſe poteſt legitima, ut ſine confeſſione celebret. Solum urgere poteſt, ſi Sacerdos jam in Altari exiſtens, recordetur alicujus admiſſi lethalis peccati. Et hic notandæ ſunt aliquorum Caſuiſtarum nimium benignæ, ne dicam laxæ, opiniones; cujuſmodi eſt illa Leandri, docentis, poſſe Miſſam proſequi, ſi jam recitato Introitu lethalis culpæ recordetur, licet ſine infamia, & ſcandalo ceſſare poſſit, hac futili, & inepta ratione, quia non decet inceptum ſacrificium abrumpere, cum multo magis non deceat abſque confeſſione celebrare, nec ulla urgeat vel nota, vel infamia. Altera ejuſdem Auctoris, idem docentis & de Sacerdote, qui, antequam Miſſam inchoet, idem occurrit; licet poſſit ſine infamia, & ſcandalo non celebrare. Sicut & illa, quæ aſſerit, Sacerdotem oblitum alicujus lethalis peccati, quod in præmiſſa Confeſſione omiſit, vel ut dubium confeſſus eſt, & poſtea deprehendit certo commiſſum, poſſe differre confeſſionem poſt Miſſæ celebrationem, etiam ſi poſſit ad Confeſſarium reverti. Quamobrem tunc ſolum proſequi Miſſam poterit, 1. ſi jam peracta ſit Conſecratio, nam complere Sacrificium debet. 2. Si recedere non poſſit ſine infamia, & ſcandalo; quamobrem, qui celebrat in privato ſacello, uno, vel

vel altero adſtante, niſi conſecrationem perfecerit, ab Altari recedere debet, ſi adſtantes ſint diſcreti viri, unde de infamia, & ſcandalo timere non poſſit. Quæ ſententia probatur etiam in Rubricis Miſſalis, ubi c. 8. n. 4. & 5. indicitur: *Si ante conſecrationem Sacerdos recordetur, ſe eſſe in peccato mortali, aut excommunicatum, vel ſuſpenſum, vel locum interdictum, & non timeatur ſcandalum, DEBET Miſſam inceptam deſerere*. Si accerſere poſſit Confeſſarium, cui peccatum ſuum confiteatur, tenetur vocare: nam, licet aliqua occurrat admiratio, ſuſpicari tamen poſſunt adſtantes, accerſitum ob aliquem ſcrupulum, vel difficultatem occurrentem in celebratione: & ſicut nullum eſt ſcandalum, nulla infamia, ſi ante celebrationem confiteatur, ita nec, ſi id præſtet in ipſa celebratione. Quod multo magis locum habet, ſi Miſſa in cantu celebretur: poteſt enim Confeſſarium accerſere dum aliqua canuntur, vel concio habetur. Qui vero urgente ſcandalo, vel infamia non poteſt Sacrificium abrumpere, tenetur ſtatim contritionis actum, quo poteſt, Dei gratia majorem elicere. Nec audiendi ſunt Theologi, qui docent, ſatis eſſe, ſi dolorem concipiat, antequam conſecret; vel ſi recordatur poſt couſecrationem, antequam communicet, licet interim manibus attrectare, frangere, miſcere debeat Corpus Chriſti: quia iſta peragere in lethali peccatn ad ſummum nonniſi veniale eſt. Quæ opinio profecto laxa eſt dicenda, cum omnia in Miſſa peragenda ſancta ſint, ad ſanctiſſimam ordinata actionem: proinde ſtatim ac ſtatum ſuum deprehendit Sacerdos, pœnitere, conteri, acriter dolere debet, nec Sacrificium proſequi, niſi prudenter judicet, ſe veram contritionem corde concepiſſe. Quamobrem piarum aurium offenſiva dicenda eſt opinio Tamburini, & Viva; poſſe Sacerdotem celebrare, & communicare in lethali peccato ſine contritione, quin novum perpetret ſacrilegium; quia licet conetur conteri; dolorem tamen perfectum non valet concipere: quam opinionem refutavimus Diſſ. præced. cap. 14. conſect. 2. Hinc addimus confirmationem ex Rubrieis Miſſalis aperte docentis: *Si quis autem in caſu neceſſitatis, non habens copiam Confeſſarii, in peccato mortali abſque contritione celebret, peccat mortaliter*. Non agnoſcit igitur Eccleſia caſum, in quo quis in peccato lethali celebrans ſine contritione, non peccet lethaliter; indefinite enim, & univerſaliter ita docet, & prædicat.

XI. Qui ex neceſſitate, & deficientia Confeſſarii celebravit, tenetur quam primum confiteri. Ita, ut vidimus, præcipit S. Synodus Tridentina, cujus verba n. 7. recitavimus. Hic itaque primo notandæ duæ propoſitiones damnatæ ab Alex. VII. nimirum 38. aſſerens: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum*. Et 39. dicens: *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*. 2. Hiſce affinis, immo pejor eſt ſententia Lacroixii, dicentis non teneri Sacerdotem hoc præcepto, ſi habens copiam Confeſſarii non ſit confeſſus ex malitia, hac captioſa, & cavillatoria ratione: quia licet gravius peccet, tamen in præceptis poſitivis non valet argumentum a majori ad minus; vel ad ſimile. Quandoquidem hujus iniquitatis non meminit Concilium, quia præſupponere non poterat tantam in Sacerdote malitiam, ut, cum confiteri poſſit, velit ſine Confeſſione celebrare; & præſumere poterat adjectum hoc ſuum præceptum etiam in hoc caſu ab impio Sacerdote non obſervandum, qui jam divinum contempſerat de præmittenda Confeſſione. At quis ſine pietatis, & rectæ rationis offenſa diceret, impium Sacerdotem, qui ſacrilege celebrat, minus teneri ad quamprimum confitendum, quam Sacerdotem, qui timore infamiæ, vel neceſſitate compulſus cum contritione celebrat? 3. Nec diſſimilis eſt alia opinio laxa Leandri, aſſerentis Sacerdotem, qui in ipſa actione Sacrificii recordatur peccati mortalis, immo forte illud (horrendum auditu!) committit, non teneri vi dicti præcepti quam primum confiteri; pari nugatoria, & cavillatoria argumentatione: quia Concilium de illo loquitur Sacerdote, qui *neceſſitate urgente abſque prævia Confeſſione celebravit*; non *de Sacerdote*, qui aut celebrando committit peccatum, vel alicujus commiſſi recordatur: hic tamen poſterior juxta Leandrum, ne ſubſit præcepto Tridentini, oportebit, ut nec contritionis actum eliciat; nam ſi elicit, jam, & ex neceſſitate celebrat, & celebrat non præmiſſa Confeſſione cum ſola contritione: quod profecto dicere inſanire eſt; & tamen ſequitur ex doctrina Leandri. Peccantem vero in ipſa tremenda oblatione Sacrificii eximere a præcepto quamprimum confitendi, eſt impellere ad ſordeſcendum in ſacrilegiis. 4. Falſa eſt quoque doctrina docentium, Sacerdotem non celebrantem, ſed communicantem vel menu alterius Sacerdotis, vel manu propria in Miſſa præſanctificatorum in die Paraſceves non teneri præfato Decreto; quia cum præcepta ſint in materia odioſa, verba Tridentini ſunt in rigore intelligenda de ſolo celebrante, non de communicante. Quam doctrinam jam refutavimus Diſſ. præced. cap. 14. conſect. 4. Inter odioſa autem præcepta ea connumerare, quæ profanationem Sacramentorum impediunt, quæ eorum reverentiæ conſulunt, quæ, ſacrilegia ne multiplicentur, obſiſtunt, mihi abſurdum adeo videtur, ut in mentem chriſtianorum Theologorum veniſſe quam maxime obſtupeſcam.

XII. Præceptum itaque Tridentini de Confeſſione facienda quamprimum, ſicut non ita dilatandum eſt, ut Sacerdotem non obliget, niſi alterius celebrationis occaſione, vel inſtantia, quemadmodum aliqui Theologi exiſtimarunt, quorum ſententia reprobata videtur in memorata Alex. VII. damnata propoſitione, quippe quæ decretum Concilii eludit, cum novam celebrationem ad plurium menſium ſpatium differre poſit Sacerdos; ita nec cenſeo adeo rigide obſtringere, ut, ſtatim ac ab Altari receſſerit, ad quærendum Confeſſarium obligetur; niſi forte tali omiſſa ſollicitudine diutius cogeretur differre confeſſionem; non enim videtur tam arcte, & mathematice illud *quamprimum* accipiendum eſſe; ſed moraliter, ut in aliis humanis præceptis, quæ non ita tempeſtivam obligationem injungunt, ut nec leviſſimam patiantur dilationem. Illam tamen levem non eſſe cenſeo, quam nunnulli ad duos, vel tres dies extendunt: nam nec unum diem prætereundum dico, etſi cum aliquo non levi incommodo quærendus ſit Confeſſarius; alias facile in periculum interum ſine

Con-

Confeſſione celebrandi redibit. Neque dilationis exceſſus ex temporis longitudine, ſed potius ex rei præceptæ moroſitate penſandus eſt. Proinde proxime oblatam confitendi occaſionem præterire, præcepti tranſgreſſionem infert; niſi forte alia occaſio adeo proxime inſtet, ut modica dilatio pro nihilo habenda ſit. Quod Tridentini præceptum etiam laicum hominem, qui inſtante neceſſitate, & non habita copia Confeſſarii, cum ſola contritione communicavit, pari pacto obſtringere cenſeo.

XIII. Ad digne celebrandum, ſicut & de ſuſcipienda Communione diximus, requiritur & naturale jejunium, abſtinentia ſcilicet ab omni etiam minimo cibo, & potu a media nocte ad tempus uſque Sacrificii, & oblationis; idque ex Eccleſiaſtico præcepto, quod materiæ non admittit parvitatem. Doctrina hæc & eſt de ſe comperta, & ſuperius a nobis probata, & explicata fuit cap. 13. n. 9. & ſeq. Et quoad horam incipientis jejunii legantur, quæ diximus Tract. de Præcept. Eccleſiæ cap. 9. n. 8. Unum dumtaxat notamus, privilegio donatos celebrandi in veſpere Nativitatis Domini jejunos eſſe debere a media nocte præcedenti uſque ad horam Sacrificii, proinde & in ipſa Miſſa Vigiliæ abſtinere a purificatione ſumenda teneri. Solum igitur expendendum ſupereſt, nam aliquando liceat Sacerdoti non jejuno Miſſam celebrare. Et quidem plures recenſetur a Theologis caſus, in quibus defectum jejunii putant celebrationem non impedire. Et 1. quidem nonnulli enumerant Viatici miniſtrandi neceſſitatem, inter quos eſt Clariſſimus Franzoja, qui quod ſubdubitanter docuit Concina, tamquam certum affirmat, his permotus rationibus: 1. quia præceptum de Viatico ſumendo divinum eſt, jejunii autem lex eſt ſolum Eccleſiaſtica: 2. quia ſicut ſumi poteſt Viaticum a non jejuno; ita poteſt & a Sacerdote non jejuno Miſſa celebrari, ut Proximus divinum impleat præceptum. 3. S. Th. 3. p. q. 83. a. 6. ad 2. docet: *Ubi difficultas occurrit, ſemper accipiendum illud eſt, quod habet minus de periculo.* Porro minus periculum eſt, inquit, ſi Miſſa a non jejuno Sacerdote celebretur, quam ſi infirmo non in aliquali, ſed in urgente neceſſitate conſtituto, Viatici ſubſidium denegetur. At oppoſita opinio, & communior eſt, & mihi probabilior apparet, ita etiam ſentiente, & docente Bened. XIV. in ſuo Opere de Sacrificio Miſſæ cap. 4. §. 2. ubi ſuæ Bononienſis Diœceſis Sacerdotes inſtruit, qui minime ambigit ad Viaticum miniſtrandum licitum non eſſe Sacerdoti non jejuno Miſſam offerre, & quidem hoc invito, & ineluctabili argumento. Ad Eccleſiam pertinet ritus, & modos ſtatuere, quibus ſint indigentibus miniſtranda Sacramenta, quos præterire nemini licet. Quamobrem, quando exhiberi non poſſunt Sacramenta ritu, & modo ab Eccleſia Spiritu S. dirigente inſtitutis, nullum urget præceptum, nulla obligatio ea ſuſcipiendi. Cum itaque infirmus Viaticum ſuſcipere non poteſt, niſi Sacerdos violato jejuno celebret, nullo tenetur præcepto illud ſuſcipiendi. Nec obſtat primum a Franzoja adductum argumentum; 1. quia tunc nullum urget Infirmum divinum præceptum Euchariſtiam ſumendi, cum tamen Sacerdotem obſtringat præceptum non celebrandi ſine jejunio; 2. quia, ſi hæc comparatio valeret, licitum foret & celebrare ſine ſacris veſtibus, & in vitreo ſcypho Sanguinem, & in vimineo caniſtro Corpus Chriſti conſecrare, & reponere; cum veſtes, & ſacra vaſa nonniſi humano ſint requiſita inſtituto; quod nemo dicet. At urgent; licet Sacerdoti celebrare non præmiſſa neceſſaria Confeſſione, ſi neceſſitas urgeat; & tamen Confeſſio eſt de jure divino præmittenda ſumptioni Euchariſtiæ: cur igitur non licebit urgente neceſſitate infirmi Viaticum ſumendi celebrare Sacerdoti non jejuno? *Reſp.* Quia Sacerdos tenetur ex divino præcepto præmittere Confeſſionem celebrationi, quando, & ſi poſſit, cujus etiam locum Contritio ſupplere poteſt, ſicut & infirmus tenetur Viaticum ſumere, quando poſſit; at præceptum de jejunio præmittendo celebrationi ſemper Sacerdotem urget, niſi diſpenſetur. Unde patet & ſolutio alterius argumenti: nam licet Viaticum ſumere a non jejuno, quia ita concedit Eccleſiæ; non licet non jejuno celebrare, id vetat Eccleſia. Doctrina vero S. Tho. hic locum non habet: nam nullum hic occurrit periculum, quod vitari non poſſit etiam ſine violatione Eccleſiaſtici præcepti. Nam quodnam periculum eſſe poteſt? Num ne infirmus præceptum non impleat? At tunc non urget. Num ne careat fructu Sacramenti? At certum eſt ſolo voto effectum Sacramenti obtineri poſſe, quando ipſum Sacramentum re ſuſcipi non licet; ut patet in duobus Sacramentis maximæ, & extremæ neceſſitatis, cujuſmodi ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia, quorum effectus infallibiliter conſequitur, qui illa, debitis poſitis diſpoſitionibus, ſincero corde deſiderat. Non eſt igitur a communi ſententia recedendum, nec celebranda Miſſa a Sacerdote non jejuno, ut Viaticum infirmo miniſtret.

XIV. A non jejuno Sacerdote Miſſa celebrari poteſt, ſi neceſſitas urgeat complendi Sacrificium. Duplici modo hoc contingere poteſt. 1. Si Sacerdos celebrans poſt conſecrationem recordatur ſe non eſſe jejunum. 2. Si poſt conſecrationem Sacerdos vel moriatur, vel ita deficiat, ut Miſſam proſequi non valeat; tunc alius Sacerdos poterit Miſſam proſequi, & complere, licet jejunus non ſit, & alius deſit Sacerdos jejunus, qui ſupplere poſſit. Primo caſu hoc licere docet aperte D. Th. laud. q. 83. a. 6. ad 2. ſcribens: „ Si Sacerdos „ poſt conſecrationem inceptam recordetur ſe a„ liquid comediſſe, vel bibiſſe, nihilominus de„ bet perficere Sacrificium, & ſumere Sacramen„ tum ". Et hic ſtatuit illam a Franzoja inopportune laudatam regulam? *ubi difficultas occurrit, ſemper accipiendum illud, quod minus habet de periculo.* Subdit enim: „ Maxime autem pe„ riculoſum circa hoc Sacramentum eſt, quod „ eſt contra perfectionem hujus Sacramenti; quia „ hoc eſt immane ſacrilegium: Minus eſt au„ tem illud, quod pertinet ad qualitatem ſumen„ tis ". En igitur utrinque periculum, & quidem alterutrum omnino inevitabile, nimirum vel relinquendi incompletum Sacrificium, quod eſt contra præceptum Divinum, vel illud ſumendi ſine jejunio, quod ſola Eccleſia vetat. Cedit igitur hoc ſecundum præceptum priori, quod jam vim obligandi non obtinet. Hoc autem inevitabile periculum locum non habet in adminiſtratione Viatici, ut vidimus. In altero autem caſu, præter-

terquamquod & eadem militat ratio, id concedunt etiam Miſſalis Rubricæ, in quibus ſtatuitur: *Miſſa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille deſiit, & in caſu neceſſitatis etiam per non jejunum*. At, ſi nulla ſit a Sacerdote facta conſecratio, tunc Miſſa non abſolvenda eſt, ſed prætermittenda, ut ſtatuunt Rubricæ dicentes: *Si Sacerdos ante Conſecrationem graviter infirmetur, vel in ſyncopem inciderit, vel moriatur, prætermittitur Miſſa*. Similiter concedunt Rubricæ, ut a non jejuno perficiatur Miſſa, ſi poſt conſecrationem, & etiam Hoſtiæ ſumptionem, advertat illam non fuiſſe idoneam Sacramenti materiam, quia vel corruptam, vel non triticeam; & etiam poſt ſumptionem Hoſtiæ, & Calicis, ſi advertat in Calice loco vini ſolam poſitam fuiſſe aquam. Et hoc quidem quantum ad jejunium. De modo enim ſupplendi & legendæ ſunt Rubricæ, & ſuo loco opportune docebimus. Affinis hiſce eſt caſus, in quo certum immineret periculum profanationis Sacramenti ex ſubito infidelium hoſtium incurſu: tunc enim liceret, nedum Sacerdoti, ſed & Laico etiam non jejuno Sacramentum abſumere, ſi alio plane modo ejuſdem vitare non poſſet profanationem. De aliis caſibus dicemus in Conſectariis.

XV. Ad digne celebrandum requiritur in Sacerdote in ipſa Miſſæ oblatione reverentia, devotio, & pietas. Quamobrem plures Sacerdotes graviſſimo ſe obſtringunt ſacrilegio, qui Miſſas adeo indevote, celeriter, & irreverenter celebrant, ut certe decentius communi Menſæ aſſideant, non ſine magno fidelium ſcandalo, qui *venatorias* hujuſmodi Miſſas deriſorie appellant. Gravius etiam peccant Sacerdotes, dum ſe invicem provocant, quis celerius Miſſam expleat. Sunt etiam, qui cæremonias confuſe, inepte perficiunt, qui genuflexiones cum verbis præcedentibus confundunt, & plura alia committunt, quæ certe a lethali peccato poſſunt vix excuſari. Sibi igitur caveant hujuſmodi Sacerdotes, & vereantur, ne ſibi in damnationem vertant, quod pro ipſorum ſalute eſt inſtitutum Sacrificium, & Sacramentum.

CAPUT QUARTUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Plures Miniſtri poſſunt unum, idemque Sacrificium perficere.*
II. *Tenentur Sacerdotes aliquando ex officio celebrare.*
III. *Non eſt illicitum privatas Miſſas celebrare.*
IV. *Quænam cauſæ legitimæ non ſit, ut quis celebret non præmiſſa Confeſſione.*
V. *Non licet celebrare ſine præmiſſa Confeſſione ob deficientiam Confeſſarii propriæ Religionis.*
VI. *Quando liceat Sacerdoti non jejuno Sacramenti fragmenta ſumere.*
VII. *Num licere forte poſſit, Neomyſtam primum ſacrum offerre non jejunum.*
VIII. *Qui recenter in crimen lapſi ſunt, præſertim libidinis, ab Altari eo die removendi.*

Conſectarium Primum.

I. PLures Miniſtri poſſunt unum, & idem Sacrificium perficere. Veritas hujus poſitionis apparet in ordinatione Presbyteri, & conſecratione Epiſcopi, in quibus & qui ordinantur, & qui conſecrantur ſimul cum Epiſcopo ordinante, & conſecrante celebrant. In Pontificali enim præſcribitur, ut Pontifex *aliquantulum alte* ſecretas dicat, *ut ordinati Sacerdotes poſſint ſecum omnia dicere, & præſertim verba conſecrationis, quæ dici debent eodem momento per Ordinatos, quo dicuntur per Pontificem*. Et in conſecratione Epiſcopi duo jubentur apponi Hoſtiæ, altera pro Conſecrante, altera pro Conſecrato, & vinum in Calice ſufficiens pro utroque, quæ omnia ab utroque ſimul conſecrantur, & poſtea ſeorſum a quolibet ſumuntur. Quæ conſuetudo multo magis viget in Eccleſia Græca, ubi teſte Morino de Ordinat. Eccleſiæ, & Juvenin. de Sacramentis, Sacerdotes omnes in Urbibus, ubi unica eſt Eccleſia, Epiſcopum celebrantem hinc inde cingunt, unaque cum ipſo totam Liturgiam recitant, ac tandem Communionem ſub utraque ſpecie ab ipſo recipiunt. Rationem reddit D. Thom. in IV. Sent. diſt. 23. q. 1. a. 2. quæſtiuncula 2. ſcribens: „ Plures Sacerdotes Epiſcopo concelebrant, „ quando ordinantur, ad repræſentandum, quod „ quando Dominus hoc Sacramentum inſtituit, & „ poteſtatem conſecrandi Apoſtolis dedit, eis con„ cœnavit, ſicut Epiſcopus ſimul cum ordinatis „ Presbyteris celebrat “. Hos autem Presbyteros concelebrantes monet ad 2. „ Quod debent inten„ tionem referre ad illud inſtans, in quo Epiſco„ pus verba profert; & ſic intentio Epiſcopi non „ defraudatur, nec aliquis ibi facit, quod factum „ eſt “.

Conſectarium Secundum.

II. Tenentur Sacerdotes aliquando ex ſuo munere Sacrificium offerre. Ita docent cum S. Th. omnes communiter Theologi. Sic itaque ſcribit S. D. l. l. diſt. 13. q. 1. a. 2. quæſtiuncula 1. „ Se„ cundum quoſdam non peccat, qui dimittit ce„ lebrationem, niſi populum habeat commiſſum, „ vel ex obedientia teneatur celebrare. Sed quia „ ſecundum Gregorium, *cum creſcunt dona, ratio„ nes creſcunt donorum*, cum Sacerdoti ſit data „ poteſtas nobiliſſima, reus negligentiæ erit, niſi „ illa utatur ad honorem Dei, & ſalutem & alio„ rum vivorum, & mortuorum, ſecundum illud „ Petri 1. cap. 3. *Unuſquiſque gratiam, quam ac„ cepit, in alterutrum illam adminiſtrantes* &c. niſi „ forte ex familiari Spiritus S. inſtinctu dimit„ tat “. Sicut legitur de quodam S. Patre in Vitis Patrum, qui ordinatus nunquam poſtea celebravit. Quod & repetit 3. p. q. 82. a. 10. Quando vero hoc præceptum urgeat, exponit loco mox laud. 3. partis ſubdens: „ Unuſquiſque tenetur „ uti gratia ſibi data, cum fuerit opportunum... „ Oportunitas autem Sacrificium offerendi non ſo„ lum attenditur per comparationem ad fideles „ Chriſti, quibus oportet Sacramenta adminiſtra„ ri; ſed principaliter per comparationem ad „ Deum, cui conſecratione hoc Sacrificium of„ fertur. Unde Sacerdoti, etiamſi non habeat

„ cu-

„ curam animarum, non licet omnino a celebra„ tione ceſſare: ſed ſaltem videtur, quod celebra„ re teneatur in præcipuis feſtis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare con„ ſueverunt “. Muneri itaque ſuo graviter deeſt Sacerdos, qui ſolum in Paſchate ad præceptum Paſchalis Communionis implendum celebraret; ſicut & ille, qui frequenter quidem communicaret, at nunquam celebraret: ſed tenetur ſaltem præter Paſcha in ſolemnitatibus præcipuis Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, & fortaſſe aliis diebus celebrare. Monet enim Sacerdotes Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. *Illos non ſolum poteſtatem, ſed & munus, & officium ſacrificandi accipere, quod exigit ab ipſis Eccleſia*; ut patet ex Concilio IV. Lateran. cap. *Dolentes* ubi vix quater in anno celebrantibus peccatum adſcribitur; quod ſub pœna ſuſpenſionis inhibetur. Et Trid. Synod. ſeſſ. 23. cap. 4. ſtatuit: „ Curet Epiſcopus (loquitur de Sacerdotibus cu„ ram animarum non habentibus) ut ſaltem „ diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus Miſ„ ſas celebrent “. Quod etiam S. Carolus Borromæus omnibus non impeditis impoſuit in ſua Diœceſi.

Conſectarium Tertium.

III. Non eſt illicitum, nec vetitum Miſſam etiam coram uno tantum celebrare. Huic doctrinæ adverſantur 1. heterodoxi, qui hujuſmodi privatas Miſſas, in quibus præſertim nullus communicet, deteſtantur. Non conſentiunt etiam aliqui Catholici, ſed plane diverſa ratione; quia ſcilicet nimium meticuloſi, putant reos fieri mendacii, ſi ad unum ſolum præſentem ſalutationes in plurali dirigant. At priorum veſaniam redarguit perpetua praxis Eccleſiæ, quæ primoribus etiam ſeculis privatas Miſſas adprobavit: & revera nec Chriſtus, nec Apoſtoli ulla lege ſanciverunt, Miſſam ſolum in publico conventu, & adſtantibus, qui communicent, celebrandam. Quamobrem S. Gregorius Nazianzenus parentem ſuum commendat, quia in ſuo cubiculo Sacrificium frequenter offerebat; & ſororem ſuam Gorgoniam domeſticum Altare erexiſſe narrat. S. Paulinus Nolanus, ut teſtatur Uranius in ejus vita, in ſuo cubiculo ante ſuum lectulum Altare erigi juſſit, in quo paucis ante ſuum obitum horis Sacrificium obtulit. Similiter & S. Ambroſius trans Tyberim in domo clariſſimæ fœminæ Miſſam celebravit, ut refert Paulinus in ejus vita. Idem confirmant & S. Auguſtinus de Civ. Dei lib. 22. & contra Creſconium Donatiſtam cap. 19. S. Cyprianus epiſt. 5. Amphilochius in vita S. Baſilii, S. Jo. Chryſoſt. hom. 3. in epiſt. ad Epheſios, S. Hieronymus in cap. 1. epiſt. ad Titum, & denique S. Greg. M. lib. 5. epiſt. 43. Syracuſano Epiſcopo mandat, ut Miſſas celebrare permittat in domo Venantii Patritii. Nec obſtat, Patres non ſemel prædicare, fruſtra Sacerdotes quotidianum Sacrificium offerre, Altari frequenter adſtare, cum nemo ſit qui participet. Per hæc enim, & ſimilia verba torporem Chriſtianorum dumtaxat excitare conantur, qui Miſſæ adſtantes raro communicabant, non vero privati Sacrificii inutilitatem oſtendere. Scrupuloſorum vero errorem tollit S. Petrus Damianus in ſuo Opuſculo, quod inſcripſit *Dominus vobiſcum* ad Leonem incluſum, ubi oſtendit, & privatim ea ſalutationis forma uti poſſe etiam cum ſoli recitant Officium Sacerdotes; quippe quia eo nomine totam reſpiciunt, & ſalutant Eccleſiam, & fidelem populum, quem & ille ſolus, qui Miſſæ inſervit, repræſentat. Hactenus dicta ſua auctoritate confirmat S. Thom. hic q. 83. a. 5. ad 12. ſcribens: „ In celebratione Miſſæ plures debent ad„ eſſe. Unde Soter Papa dicit (cujus tamen Epi„ ſtola apocrypha eſt) *Hoc quoque ſtatutum eſt*, „ *ut nullus Presbyterorum Miſſarum ſolemnia cele*„ *brare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibique* „ *reſpondentibus, ipſe tertius habeatur: quia cum* „ *pluraliter ab eo dicitur*, Dominus vobiſcum ... „ *apertiſſime convenit, ut ejus reſpondeatur ſaluta*„ *tioni*. Unde ad majorem ſolemnitatem ibidem „ ſtatutum legitur, quod Epiſcopus cum pluribus „ Miſſarum ſolemnia peragat. In Miſſis tamen „ privatis ſufficit unum habere Miniſtrum, qui „ gerit perſonam totius populi Catholici, ex „ cujus perſona Sacerdoti pluraliter reſpon„ det “.

Sine Miniſtro tamen Miſſam celebrare minime licet; quod præterire, & non adhibere gravem culpam affert. Ita enim decrevit Alexander III. cap. *Propoſuit* Extra de Filiis Presbyterorum, indicens: *Solus Presbyter Miſſarum ſolemnia ſine Miniſtri ſuffragio celebrare non audeat*. Ex privilegio vero conceditur aliquando Monachis perpetuo recluſis, ut ſoli Miſſas in ſua cellula celebrent: quod tamen privilegium a ſola Apoſtolica Sede eſt repetendum, a qua aliquando conceſſum refert Cardinalis Bona Rer. Liturg. cap. 13. Immo id apud Monachos vel toleratum, vel ex indulgentia conceſſum narrant Odo Cameracenſis, & Stephanus Eduenſis apud Natalem Alexandrum. Hic vero Miniſter mas ſit oportet; plurium enim Synodorum auctoritate vetitum eſt fœminis hoc officium. In Laodiceno ſiquidem indicitur, *Non oportet mulierem ad Altare ingredi*. Et in Nannetenſi can. 3. *Nulla fœmina ad Altare præſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare*. Et Gelaſius Pontifex epiſt. 9. ad Epiſcopo Lucaniæ ſic conqueritur: *Impatienter audivimus tantum divinarum rerum ſubiiſſe deſpectum, ut fœminæ ſacris Altaribus miniſtrare ferantur, & cuncta, quæ nonniſi virorum famulatui deputata ſunt, ſexum, cui non competit, exhibere*. Hinc merito Franzoja contrariam conſuetudinem in aliquibus Belgii partibus inductam, corruptelam appellat, a ſacris Canonibus reprobatam. Quod tamen intelligendum eſt de immediato ad Altare miniſterio: nam ex choro reſpondere etiam in noſtra Italia in Monialibus, & puellis virginibus toleratur. Deceret quidem, ut Miſſæ inſerviens Clericus eſſet talari veſte, & ſuperpelliceo indutus. At ſufficit, ſi ſit puer modeſte veſtitus. Proinde arcendi ſunt ſordidi, viles, ſeminudi, fœtentes, quos quilibet certe, etiam non nobilis, a ſua communi menſa arceret. Si recedat Miniſter, & aliquantulum expectatus non revertatur, poterit, immo debebit Sacerdos Miſſam proſequi, ſi id poſt conſecrationem contingat: ſi vero ante conſecrationem, & poſſet ab Altari recedere, cum nullum ſit ſcandalum, nulla admiratio; & ſi vellet adhuc Miſſam progredi, non auderem damnare.

Con-

Conſectarium Quartum.

IV. Legitimæ celebrandi cauſæ, non præmiſſa Confeſſione in Sacerdote lethali inquinato peccato, non ſunt nec neceſſitas ſatisfaciendi Cappellaniæ, nec paupertas, & indigentia eleemoſynæ. Adverſantur quidem plures benigniſſimi Caſuiſtæ, qui in primo caſu concedunt, ſi Sacerdos vel per alium ſatisfacere non poſſit, vel ipſe indigeat eleemoſyna; in ſecundo, ſi Sacerdos ſit pauper, & vivat ex conſueta eleemoſyna Miſſæ, vel ſaltem ejus paupertas ſit valde gravis: unde in communi non concedunt. Verum a poſita doctrina non recedendum, quæ unice vera eſt, & probabilis. Nam ſi copiam non habet Confeſſarii, differre debet Capellaniæ ſatisfactionem, vel alteri Sacerdoti committere; cum enim id raro contingat, & dilatio modica eſt, & leve damnum amiſſæ eleemoſynæ. Si vero id frequenter contingat, quis patiatur Sacerdotem frequenter in peccata labentem, etiam non confeſſum, ad Altare accedere, multoque minus non præmiſſa Confeſſione? At quid, ſi paupertas ſit gravis, & Sacerdos ex ſola vivat eleemoſyna? An Sacerdotale Miniſterium eſt inſtitutum ad panem lucrandum? Nonne Eccleſia jubet, ut ad Sacerdotium non promoveantur, niſi habentes Eccleſiaſticum beneficium, vel ad minus patrimonium, quo vivant? In fumum igitur abeunt hæc ſanctiſſime ſancita Decreta. Præterea rurſum urget argumentum: vel id raro accidit, vel frequenter. Si primum, grave non poteſt eſſe eleemoſynæ amiſſæ detrimentum. Si alterum; danda igitur erit recidivis, ex habitu peccantibus Sacerdotibus abſolutio, ut Miſſam celebrent, & victum ſibi comparent? Quæ ſi denegetur, jam deerit copia Confeſſarii, & eadem urgente neceſſitate ſine prævia, ſin confeſſione, ſaltem abſolutione, poterunt terribile ſacrificium offerre: immo nec præmiſſa Confeſſione, quando jam experientia noverint, vel certo ſciant denegandam a Confeſſario abſolutionem, cum jam inutilis eſſet Confeſſio ipſa. En igitur, quam latiſſima ſternatur via benignis illis doctrinis innumeris pene ſacrilegiis, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ profanationibus. Similiter non licet, abſque præmiſſa Confeſſione, celebrare, ſi Sacrificium ſit pro anima, quæ probabiliter credatur ſuffragio indigere. Nam hac de cauſa liceret ſemper Miſſam pro defunctis celebrare, omiſſa neceſſaria Confeſſione; cum certum ſit, omnes animas in Purgatorio detentas ſuffragio indigere, & quænam magis indigeat, ſcire nemo poſſit. Ita docet & Bened. XIV. de Sacrif. lib. 3. cap. 11. §. 6. Excipiendus tamen Parochus, ad quem defertur defunctus tumulandus, ſi Miſſam omittere non poſſit ſine ſcandalo, nec alteri vices ſuas committere; & ſimiliter, ſi Matrimonium ſit celebrandum, & benedicendæ nuptiæ, ut docet Natalis Alexander.

Conſectarium Quintum.

V. Carentia Confeſſarii propriæ Religionis non eſt legitima cauſa celebrandi non præmiſſa Confeſſione. Ita declaravit, & definivit ſapientiſſimus Pontifax Bened. XIV. in ſuo Brevi 30. Martii anni 1742. in quo omnibus cujuſcumque Ordinis Religioſis conceſſum confirmavit, vel de novo facultatem conceſſit, ut deficiente copia Confeſſarii propriæ Religionis, ſi confeſſione indigeant, confiteri poſſint cuilibet alio Confeſſario, ab Ordinario, ſeu Regulari Superiore adprobato. Nec ſolum Sacerdotibus hoc conceſſit, qui celebrare volunt, ſed & Laicis Religioſis communicare volentibus. Immo & impartitus eſt facultatem abſolutionis obtinendæ etiam a Caſibus, & Cenſuris in ſuis Conſtitutionibus, Regulis, Statutis reſervatis, cum onere tamen, ut ſtatim ac poterunt, ſuo Superiori ſe ſiſtant, & novam obtineant abſolutionem, non a Cenſuris ſolum, ſed & a reſervatis criminibus. Quod onus, licet grave ſit, & communibus regulis oppoſitum videatur, ſtatuentibus, ſemel abſolutum valide, & legitime ab aliquo crimine, non amplius poſſe ad illud in Confeſſione manifeſtandum obſtringi; tamen, cum agatur de Religioſis, qui meliora æmulantur chariſmata, & ad perfectionem niti ex ſuo ſtatu tenentur, jure tale onus poterat imponi. Legatur laudatum Breve.

Conſectarium Sextum.

VI. Non violat jejunium naturale Sacerdos, qui ſumpta purificatione animadvertat remanſiſſe in Corporali, ſeu Patena fragmenta; ſive magna ſint, ſive parva, illa ſumit, cum ad idem pertineant Sacrificium; quod conceditur etiam Sacerdoti in Sacriſtiam reſtituto, & nondum ſacris veſtibus exuto, ſi qua fragmenta in Patena remanſiſſe deprehendat. At, ſi ſacras exuit veſtes, quod ex Sacrificio ſuperfuit, eſt in Tabernaculo reponendum, ſi adſit; ſin minus, vel non liceat ſine populi admiratione reponi, ab ipſo Sacerdote abſumatur. Pari modo agendum, ſi in ipſo Altari ſumpta purificetione, Sacerdos hoſtiam integram deprehendat, ſive parvam, ſive magnam; illam enim vel in Tabernaculo recondere, vel ſupra Patenam alteri Sacerdoti mox celebraturo reſervare debet; & ſolum, ſi id fieri nullo modo poſſit, abſumenda. Denique, ſi hoſtiæ particula in Calicem immiſſa cum vino in os Sacerdotis non difluat, ſed fundo Calicis hæreat, decentius eſt, ut cum novo vino hauriatur, quam digito ad Calicis oram deducatur: nulla enim occurrit fractio jejunii, cum jam ſit peracta ſacra Commmunio. Ita Benedict. XIV. laud. Opere, & Rubricæ Miſſalis.

Conſectarium Septimum.

VII. Neomyſta, qui mane primum eſt celebraturus ſacrum, & incogitanter jejunium frangit, a celebratione abſtinere debet. Ita quidem communiter Theologi. At nonnulli, & præſertim Sporerius, Lacroixius, & noviſſime Ferrarius V. Miſſa art. 11. num. 26. putant, tales, tantaſque poſſe occurrere circumſtantias, ob quas fas ſit illi non jejuno celebrare. Hujuſmodi autem circumſtantiæ ſunt 1. ſi Neomyſta ſit perhoneſtæ familiæ. 2. Si convenerint agnati plures. 3. Si paratum fuerit lautum convivium. 4. Si e ſuggeſtu invitatus populus, & jam plebs, & nobiles adſint. 5. Si error Neomyſtæ ſit occultus. 6. Vitatio obmurmurationum, nec non mortificationis innocentis Neomyſtæ, triſtitiæ cognatorum, temera-

merariorum judiciorum, veri ſcandali, præter magnas expenſas fruſtra factas, & contemptum Neopresbyteri, tanquam hominis incautiſſimi in re graviſſima, quæ omnia præſtant, ut locum habeat legale axioma, *Singula, quæ non proſunt, multa effecta juvant*, nec non Epikia; quia, ſi Papa adeſſet, declararet, nec ſe, nec ſuos Anteceſſores voluiſſe hunc caſum comprehendere in lege jejunii. Verum hæc mihi ſtraminea videntur, & inepta ad cordatum virum movendum. Nam, quod majus eſt, ſcandalum hic locum non habet; etenim ſcandalum oritur ex violatione legis, non ab obſervantia legis; immo majus foret ſcandalum, ſi ſcirent non jejunum celebrare; & ideo poſtulant, ut error Neomyſtæ ſit occultus. Obmurmurabunt; at quinam? Qui verebuntur, ne ſine convivio dimittantur; vel qui dolebunt novum conſtruendum convivium. Cæterum pii, cordati, & Chriſtiani viri ceu optimum laudabunt a Miſſæ celebratione abſtinentiam. Lautum convivium vero, triſtitia cognatorum, expenſæ factæ, ſunt nimium levia argumenta, & cauſæ violandæ legis Eccleſiaſticæ, quam nec pro Viatico adminiſtrando præterire licet. Epikia autem juxta Sanctum Thomam 2. 2. quæſt. 120. art. 1. tunc locum habet, quando *in aliquibus caſibus legem ſervare eſt contra æqualitatem juſtitiæ, & contra commune bonum, quod lex intendit*. Sed, amabo, ſi præfatus Neomyſta ob ſervandam legem jejunii a Miſſæ celebratione abſtineat, in quo aut æqualitatem lædet juſtitiæ, aut contra commune bonum pugnabit? Immo ex adverſo, nonne ratio communis boni poſtulat, ut ſubditi ſibi non attribuant facultatem infringendi legem, niſi ſumma urgente neceſſitate? Si itaque adeſſet Pontifex, cum nullam hic reperiret violandæ legis jejunii neceſſitatem, nec ab ipſa diſpenſationem concederet; tantum abeſt, quemadmodum fingit Ferrarius, ut declararet legem jejunii ad hunc caſum ſe minime extendere. His accedit animi turbatio, & commotio in Sacerdote, qui primum Sacrificium offerre deberet: qui profecto, ſi pius ſit, & religioſus, non niſi animo admodum perturbato celebrabit, conſiderans ob humanos reſpectus ſe primum ſacrum offerre, violata graviſſima Eccleſiæ lege; quod quantum conferat ad reverentiam Sacramenti, & ad bonum ſuſcipientis, quiſque prænoſſe poteſt, & mente concipere. Nunquam igitur aſſentiret opinioni Theologorum huic celebrationi faventium.

Conſectarium Octavum.

VIII. Nonniſi urgente ſcandalo, & quidem gravi, quod ſequeretur ex omiſſione Miſſæ celebrandæ, permittendum a Confeſſario Sacerdoti poſt commiſſum lethale peccatum, præſertim contra caſtitatem, eodem die Miſſam celebrare; quod ſi inculpabilis præceſſerit immunditia, ex juſta cauſa celebratio permitti poteſt. Non deſunt Theologi, ſcilicet Navarrus, Covarruvias, Gabriel, aliique, cenſentes lethaliter peccare ſumentem etiam laicam Communionem eo die, aut paulo poſt admiſſam vel voluntariam pollutionem, vel fornicationem, etiam præmiſſa contritione, & confeſſione; quod profecto multo magis contendunt de Sacerdote celebrante. Fateor hanc doctrinam rigidiorem eſſe, & abſolute minus veram; indicat tamen, quam indecorum, turpe, & irreligioſum ſit tali occaſione celebrare. Et certe ipſi Probabiliſtæ venialis peccati culpant laicum ſic accedentem, proinde multo magis Sacerdotem celebrantem. Hinc patet, quam vera ſit prima poſiti Conſectarii pars. Nam, ſi vetitum eſt Græcis Sacerdotibus offerre Sacrificium poſt habitam conjugalem copulam, a qua biduo, vel triduo ſaltem ante celebrationem abſtinere debent; multo magis hoc diſtricte vetandum eſt Sacerdotibus graviori peccato, & præſertim impudicitiæ, & ſacrilegæ fornicationis paulo ante pollutis. Urgeo. Si involuntaria nocturna pollutio, etiam in laico, impedit Communionem, ut ſuperius vidimus, & decentius, ac religioſius abſtineret; quanto magis in Sacerdote voluntarium, & turpe flagitium? Præterea vel Sacerdos iſte optime moratus, pius, & religioſus ex fragilitate, & aliena inſperata provocatione, ſubita, & repentina occurrente occaſione lapſus eſt; vel non ſemel labitur, & non infrequenter. Si primum; jam ipſe ſui criminis horrore perculſus, & acerbo dolore tactus ſponte a celebratione abſtinebit, aut ſaltem facile erit ipſi ſuadere, ut abſtineat. Si vero alterum; quis Sacerdotem frequenter labentem, vel toties quoties abſolvat, vel ad Altare aſcendere patiatur, cum uſque ad duodecimum ſeculum utraque Eccleſia, tam Orientalis, quam Occidentalis Sacerdotes fornicarios, vel in ea peccata carnis dilapſos per longum tempus ab oblatione Altaris arceret? Nec audiendi, cum vel ſcandalum obtrudunt, vel neceſſitatem quotidiani victus. Nam quæ obtruduntur ſcandala, mera ſunt figmenta: potius enim ſcandalizantur populi, dum vident Sacerdotes vanis indutus veſtibus, mulierum frequentare conſortia, ludis aſſiſtere, & in ipſis detineri, Theatris adeſſe, ſæcularibus negotiis ſe immiſcere frequenter dejerare, & ſancto divino nomine inter loquendum abuti, ebrietati, gulæ indulgere, & nihilo tamen ſecius quotidie celebrare, ſeu potius ſcenam agere, dum tam præcipiti celeritate celebrant, tam irreverenter Corpus Domini tractant, tam præcipitanter liturgiam peragunt. Si ſcandalum ideo horrent; cur non ita vivunt, ut quotidie vel frequenter celebrare poſſint? Præterquamquod & Innoc. III. lib. de Myſteriis Miſſæ cap. 13. docet: *Peccator debet potius eligere, ut abſtinendo reddatur ſuſpectus, quam ut communicando manducet indignus*. Et confirmat S. Thom. hic q. 80. art. 6. *Peccator occultus potius deberet eligere infamiam, quam indigne communicare*. Victus vero indigentia potius delictum, & crimen aggravat, & tollit excuſationem. Si enim probe novit Sacerdos, ſe indigere quotidiana celebratione, ne victu careat; cur peccata non vitat? cur pie non vivit, ut poſſit digne Altari inſerviendo, de Altari vivere? Quilibet operarius, & artifex, qui novit ſuo labore quotidianum comparandum victum, & aſſidue operi ſuo vacat, & omnia refugit, quæ vel lucrum minuere, vel impedire poſſe prænoſcit. Qui aliter agunt, miſeri ſemper ſunt, & egeſtate conſumuntur, quin tamen ſint aliis miſerabiles, vel ſenſum compaſſionis excutiant. Quis igitur Sacerdotis miſereatur, qui quotidiana indigens eleemoſyna, tamen ita vivit, ut ab Altari removeri promereatur, & alimento privari; cum facile poſſit, immo teneatur

tur ita caute vivere, ut lethalia fugiat peccata? Si ipſi ſui non miſerentur, quis eorum miſereatur? Non ſunt igitur audiendi; ſed vel deneganda abſolutio, vel certe, ſi rarus ſit lapſus, ab Altari removendi.

CAPUT QUINTUM.

De effectibus, & valore Sacrificii Miſſæ.

DOCTRINA.

I. *Miſſæ Sacrificium & Deo bonorem rependit, & gratias agit.*
II. *Satisfacit Deo pro pœnis peccatorum debitis.*
III. *Valet etiam ad reatum culpæ amovendum.*
IV. *Et ad ſpiritualia, & temporalia beneficia obtinenda.*
V. *Quo ſenſu fructus Sacrificii dicuntur prodire ex opere operato,*
VI. *Quo ſenſu virtus Sacrificii ſit infinita.*
VII. *Triplex fructus Miſſæ ex parte participantium.*
VIII. *Pro omnibus offerri poteſt Miſſæ Sacrificium.*
IX. *Pro peccatoribus obduratis, & obcæcatis.*
X. *Quomodo pro Sanctis, & Beatis.*
XI. *Nullo modo pro damnatis.*
XII. *At utiliter pro Animabus in Purgatorio detentis.*

I. SAcrificium Miſſæ cum, ut diximus, latreuticum ſit, & euchariſticum, ſatisfactorium, impetratorium, & etiam propitiatorium, ſeu expiatorium, ſtatim apparet, quinam ſint ejus effectus. Quatenus enim latreuticum eſt, Deo tanquam ſupremo rerum omnium Domino honorem, ei ſoli convenientem, ideſt abſolute latriæ, defert: & hoc fructu nunquam caret Sacrificium, cum victima in eo oblata non poſſit Deo non eſſe ſumme acceptiſſima. Quatenus eſt euchariſticum, fuit inſtitutum potiſſimum ad commemorationem Dominicæ paſſionis, adeoque ad gratiarum actionem pro tanto beneficio, & pro aliis inde conſecutis: ideo præfatur Sacerdos in Liturgia, *Gratias agamus Domino Deo noſtro*. Et S. Auguſtinus epiſt. 57. ad Dardanum ſcribit: *Noſti, in quo Sacrificio dicatur, gratias agamus Deo noſtro*. Et hunc quoque effectum ſemper præſtat hoc Sacrificium, ut ex ejus & nomine, & inſtitutione pateſcit.

II. Quatenus vero ſatisfactorium eſt, valet ad debitas pro peccatis, alias quoad reatum culpæ dimiſſis, pœnas diluendas, ut declaravit Trident. Synodus ſeſſ. 21. can. 3. ita definiens: *Si quis dixerit, Miſſæ Sacrificium .... ſolum prodeſſe ſumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit*. Confirmat etiam vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudo illud pro defunctis in Chriſto offerendi; & quia in ipſo pœnæ, quas Chriſtus pro noſtris peccatis ſolvit, (eſt enim Sacrificium ab incruento Crucis ſola offerendi ratione diverſum) ad eas redimendas, quæ hominibus pro commiſſis ſceleribus luendæ manent, applicantur.

III. Quatenus vero propitiatorium, valet ad reatum culpæ amovendum, ita ut Deum placatum, & propitium efficiat iis, qui peccaverunt, remittendo mortalia, & venialia, reſpectu quorum *expiatorium* a quibuſdam vocatur, ſicut reſpectu mortalium *propitiatorium*. Hoc perfracte inficiantur Lutherani, & Calviniſtæ: ſed a Tridentina Synodo definitum fuit, & declaratum l. l. his verbis: *Illud Sacrificium vere propitiatorium eſt, & per ipſum fit, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*. Et revera hoc catholicum dogma in ipſis verbis Chriſti fundatur Lucæ 22. *Hic eſt Calix novum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effundetur*, græce *effunditur*, ſcilicet ut S. Matthæus cap. 26. explicat, *in remiſſionem peccatorum*. His palam fit, hoc Sacrificio Paſſionis Dominicæ fructum hominibus applicari, quæ maxime ad auferenda mundi peccata ordinata fuit. Accedit Patrum unanimis doctrina, & Liturgiarum, totiuſque Eccleſiæ conſonus conſenſus, quæ omnia exploratam, & certam reddunt Dogmatis traditionem.

IV. Quatenus vero impetratorium eſt, valet ad ſpiritualia, & temporalia beneficia divinitus obtinenda. Quod pariter conſtat ex perpetua Eccleſiæ praxi, ad hunc etiam finem ſacrificium Miſſæ, ut ex antiquiſſimis Liturgiis apparet, ordinantis. Sic itaque ſcribit S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 5. Myſtag. *Poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia, obſecramus Deum pro omni Eccleſiarum pace, pro tranquillitate Mundi, pro Regibus, pro militibus, pro ſociis, pro ægrotis, & afflictis, & in ſumma pro omnibus, qui egent auxilio*. Nec minus pro ſpiritualibus beneficiis impetrandis offerri teſtatur S. Auguſtinus, ſic Pelagianos refellens epiſt. 217. ad Vitalem: *Exere contra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad Altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem; & pro Catechumenis, ut eis deſiderium regenerationis inſpiret; & pro fidelibus, ut in eo, quod eſſe cœperunt, ejus munere perſeverent, ſubſanna pias voces, & dic, te non facere, quod hortatur, ideſt Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare, eo quod non ſint iſta divinæ miſerationis beneficia, ſed humanæ officia voluntatis*.

V. Virtus ad prædictos effectus inducendos, quæ ſacrificio Miſſæ abſolute tribuitur, vocaturque valor Sacrificii ex opere operato, eidem convenit, non quidem in eo ſenſu, quod & infallibiliter, & ſemper ſine illius, pro quo offertur, pia diſpoſitione illos producat; ſed quia in ipſa non attenditur dignitas Miniſtri offerentis, ſed ſpectatur inſtitutio a Chriſto facta, & quia, prout eſt oblatio victimæ tam pretioſæ, & nomine talis principalis offerentis, qualis eſt Chriſtus, habet certam efficacitatem, juvandique virtutem, quæ Miniſtri improbitate impediri non poteſt: alias mali Sacerdotis Miſſa contra omnium fidelium ſenſum nihil prodeſſet. Unde egregie A. D. IV. Sent. diſt. 45. q. 2. a. 1. quæſtiuncula 3. „ Ipſum opus operatum, ſicut Sacrificium Altaris, ex ſe ipſo efficaciam habet abſque opere operantis, quam æqualiter explet, per quoſcumque fiat: & quantum ad hoc ſuffragia per malos facta defunctis „ proſunt “.

VI. Hæc virtus, ſi ſpectetur in actu, & quoad ſufficientiam, eſt infinita; ſed finita quoad actua-

lis communicationis, & utilitatis menſuram. Utraque pars poſitæ doctrinæ certa eſt. Nam prima conſtat, quia ſacrificium Miſſæ ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis eſt idem cum ſacrificio Crucis, a quo ſola diſcrepat offerendi ratione. Porro iſtud infinitum quoad ſufficientiam valorem, a dignitate infinitæ victimæ, & Chriſti offerentis traxiſſe non dubitatur. Altera vero pars pariter conſtat; quia ſicut ſacrificium Crucis, licet in ſe infiniti valoris, non tamen in nobis effectum producit infinitum; ita nec Altaris Sacrificium ob ſubjecti finitam, limitatamque diſpoſitionem. Confirmat & praxis Eccleſiæ, quæ Sacrificium & pro iiſdem perſonis, & pro eadem re obtinenda repli cat: quod profecto ſupervacaneum foret, ſi actu etiam eſſet infiniti valoris. Quanta autem ſit utilitas, & fructus inde redundatus, ipſe ſolus Deus novit, qui quantum tali, taliterque affectæ perſonæ intuitu Sacrificii pro ipſa oblati, & operis operati, conferre boni, ſola ſua ſapientia, & miſericordia decreverit, voluit nobis eſſe incompertum. Illud tamen certum eſt, inæqualem eſſe juxta diverſam diſpoſitionem, Sacramentorum exemplo, quæ licet ex opere operato gratiam producant, inæqualem tamen inæqualiter diſpoſitis conferunt. Congruit enim in omni rerum ordine divinæ ſapientiæ diſpoſitioni, ut validior ſit cauſarum agentium operatio, & copioſior influxus, quo ſubjectum ad accipiendum ſit aptius, atque paratius. Hinc docet S. Thom. hic q. 79. a. 7. ad 2. ,, Prodeſt plus vel minus ſecundum modum devo- ,, tionis eorum ''.

VII. Ex parte vero participantium triplex eſt Sacrificii fructus, *generalis* ſcilicet, *ſpecialis*, & *ſpecialiſſimus*. Primus fructus in omnium fidelium, & in totius Eccleſiæ beneficium redundat. Nam ipſe Sacerdos offert & Eccleſiæ nomine, & pro ipſa Eccleſia, cujus publicus eſt Miniſter. Hinc in Canone dicit, *in primis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua Sancta Catholica .... & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus*. In qua tamen univerſalitate Sacrificii cooperantes, & aſſiſtentes, & quædam inſigniores Perſonæ, pro quibus in Miſſa nominatim orari jubetur, ut Papa, ſupremi Regnorum Principes, atque Diœceſeon Epiſcopi, nec non & illi, pro quibus in Memento orat Sacerdos, ſicut diſtinctiorem locum, ita copioſiorem proventum ſibi vindicare noſcuntur. Fructus vero ſpecialiſſimus ille dicitur, quem ipſe Sacerdos offerens participat, qui cum ſit immediatus offerens miniſterialiter, debet & ipſe, immo potiori jure, de Sacrificii fructu participare, ſi capax eſt. Cui enim magis proſit Sacrificium, quam ſacrificanti? qui aſſumptus ex hominibus, & ipſe quoque circumdatus infirmitate, ſicut loquitur Apoſtolus ad Hebr. 5. debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Fructus vero ſpecialis, qui & miniſterialis, & medius etiam conſuevit a Theologis nuncupari, ille dicitur, qui certæ determinatæ perſonæ peculiari quadam ratione a Sacerdote applicatur. Nam pro certis determinatis perſonis ſemper Sacrificium offerre Sacerdotibus conceſſum fuit, & ad id pacto quoque oneroſo ſe adſtringere, ſtipendium, & ſuſtentationem hujus obligationis gratia accipiendo. Quamobrem hic fructus ab intentione, & voluntate Sacerdotis offerentis pendet; quia cum his, vel illis perſonis applicari poſſit, ut potius uni, quam alteri detur, ab applicantis intentione determinari oportet.

VIII. Ex hiſce itaque fructibus, & valore Sacrificii Miſſæ ſequitur pro omnibus offerri poſſe, cum omnibus prodeſſe poſſit. Hinc primo offerri poteſt pro omnibus omnino hominibus in hac mortali vita degentibus, non excluſis, nec hæreticis, nec ſchiſmaticis, nec Judæis, nec Paganis. Id patet manifeſte ex S. Auguſtino, qui, ut vidimus num. 4. dicit, Sacerdotem ad Altare orare pro infidelibus, pro incredulis, pro catechumenis, pro peccatoribus, ut vel ad fidem convertantur, vel pœnitentiam agant, vel in bono perſeverent. Immo ipſe Apoſtolus Paulus ad Timoth. 1. cap. 2. loquens de orationibus habendis in publicis Synaxibus, in quibus ſemper Sacrificium celebrabatur, ſcribit: *Obſecro fieri obſecrationes, orationes . . . pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt*. Et hanc aſſignat cauſam: *Quia hoc bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Et præterea pro omnibus licet Sacrificium offerre, quod eſt pro omnium ſalute inſtitutum. Per hoc non eſt tamen Eccleſiæ diſciplina vel damnanda, vel deſpicienda, quæ excommunicatos, non toleratos videlicet, & vitandos, a communibus pro membris Eccleſiæ orationibus excludit; ut impleta facie eorum ignominia nomen Dei quærant, & reſipiſcant. Quamobrem non licet Sacerdoti Eccleſiæ nomine pro eis orare, licet poſſit privatas preces fundere. Sic docet Sanctus Thomas in IV. diſt. 18. quæſt. 1. artic. 1. ad 1. ſcribens: ,, Pro excommunicatis orari poteſt, quamvis non ,, inter orationes, quæ pro membris Eccleſiæ ,, fiunt .... Sed oratur, ut detur eis ſpiritus Pœ- ,, nitentiæ, ut ab excommunicatione ſolvantur ''. Et rurſum ad 2. ,, Ex intentione Eccleſiæ oratio ,, pro eis (excommunicatis) inter membra Eccle- ,, ſiæ fieri non poteſt; quamvis aliqua perſona ,, privata poſſit ad eorum converſionem aliquod ,, ſuffragium per intentionem dirigere ''. Immo aliquando in generali etiam publica ſit Oratio, ut in die Paraſceves; & ſemper indirecte, dum Eccleſiæ Catholicæ propagatio, & tranquillitas poſtulatur. Unde & in Canone dicitur de Eccleſia, *quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto Orbe terrarum*.

IX. Offerri poteſt tamen Eccleſiæ nomine pro peccatoribus etiam obduratis; eſt enim Sacrificium placationis, & miſericordiæ, ut illis Deus per Chriſti merita gratiam largiatur, quæ illorum auferat cæcitatem, & tollat obdurationem. Offertur etiam, ut inquit S. Auguſtinus, pro Infidelibus, ut Deus eos convertat ad fidem. Hinc & primis Eccleſiæ ſæculis Sacrificium offerebatur, ut ſcribit Tertull. *pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius, ſed quomodo præcipit Deus, pura prece*. Et S. Juſt. Apol. eundem morem confirmat, ſicut & Origenes ad Celſum, & Dionyſ. Alexandr. apud Euſebium.

X. Sanctis vero in Cælo regnantibus cum Chriſto nec Sacrificium offerimus, nec pro illis offerimus, licet in gratiarum actionem Deo pro gratia, & gloria illis collata offerre illicitum non ſit. Et quidem licet mos ſit fidelium Miſſas Sancto-

rum

rum nomine deſignare, puta B. Virginis, SS. Angelorum, SS. Petri, & Pauli; non tamen per hoc deſignatur illis Sacrificium offerri. Ut enim obſervat D. Auguſtinus lib. 10. contra Fauſtum cap. 21. *Ille cultus, qui græce latria dicitur, latine uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam proprie divinitati propria ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens Altari, aliquando dicit, offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane; ſed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit. Ideo autem offerimus apud memorias eorum, quos coronavit, ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat ad acuendam caritatem, & in illos, quos imitari poſſumus, & in illum quo adjuvante poſſumus.* Nec pro Sanctis Sacrificium offerimus, licet eorum nomina recitemus; quippe qui jam in beato termino cum conſtituti ſint, nec gratia eorum poteſt augeri, nec eſſentialis gloria amitti. Unde docet egregie S. Auguſtinus ſerm. 144. de Verb. Apoſt. *Habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipſis oratur, pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria eſt enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Eorum vero nomina ideo in Sacrificio recitantur, 1. quia, ut inquit S. Joan. Chryſoſt. hom. 20. in Acta Apoſt. *Et pro Martyribus magnus honor nominari Domino præſente*; 2. ut eorum meritis, & interceſſionibus, quæ a Deo petimus, facilius, largiuſque impetremus. Quamobrem merito Tridentina Synod. definivit ſeſſ. 22. can. 5. *Si quis dixerit, impoſturam eſſe Miſſam celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda, ſicut Eccleſia intendit; anathema ſit.* Cum vero Miſſa Sacrificium euchariſticum ſit, gratiarum videlicet actionis, nihil vetat, ut illud Deo offeratur, gratias agendo pro gloria Sanctis ſuis collata. Hinc S. Thom. in IV. Sent. Diſt. 12. q. 2. ad 2. rationem reddens, cur Miſſa celebretur pro parvulis morientibus, ſcribit: „ Pro pueris baptizatis Miſſarum ſolem-
„ nia celebrantur, non quia eis juvetur ad remiſ-
„ ſionem alicujus culpæ, vel quantum ad augmen-
„ tum gloriæ, ſed propter alias rationes .... ad
„ commendandum ſcilicet Redemptionis Myſte-
„ rium, per quod parvuli ſine proprio merito ſa-
„ lutem conſequuntur æternam “. Et S. Auguſt. in Enchir. cap. 110. docet: *Sacrificium pro valde bonis gratiarum actionem eſſe.*

XI. Damnatis vero non prodeſt ſacrificium. Et quidem ad quid prodeſſe poteſt? Non utique ad pœnas, quas pro mortalibus peccatis damnati perpetiuntur, aliquando finiendas; nam has æternum duraturas fide catholica certiſſimum eſt contra Origenem, & ipſius ſectatores. Nec ad eaſdem pœnas temporaliter, & per quædam intervalla ante diem Judicii levandas, & minuendas; at veteres aliqui Scholaſtici arbitrabantur, a S. Thom. in Suppl. q. 71. a. 5. confutati. Non demum ad compenſandas pœnas, quibus vel mortalibus rite confeſſis, & quoad reatum culpæ remiſſis, vel pro venialibus dumtaxat culpis obnoxii ex hac vita exceſſerunt, qui in infernum detruſi ſunt: nam licet hæ pœnæ ex ſe terminabiles ſint; per accidens tamen in inferno perpetuas evadere docet Schola Thomiſtica: & etiamſi ex quarumdam Theologorum ſententia aliquo fine donandæ cenſeantur; non tamen vi alicujus compenſationis a Deo miſericorditer acceptandæ, ſed per integram ſatisfactionem a divina juſtitia uſque ad noviſſimum quadrantem exigendam. Et revera, ſi illis nihil omnino prodeſt Sacrificium Crucis, nec prodeſſe poterit ejus commemoratio, quæ in Miſſæ Sacrificio celebratur.

XII. Utiliter tamen, & pie pro Defunctorum ſpiritibus in Purgatorio detentis offertur ob impetrandam ipſis vel mitigationem, vel integram pœnarum relaxationem. Hoc Catholicum dogma, quod Lutherani, Calviniſtæ, Anabaptiſtæ, Sociniani inficiantur, definitum fuit in plurimis Conciliis, Lateranenſi ſub Innoc. III. cap. 6. Florentino, ubi in litteris unionis utriuſque Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ conſenſione approbatum continetur. Et noviſſime Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 3. definivit, & fuſius declaravit ſeſſ. 25. cap. 1. his verbis: *Cum Catholica Eccleſia Spiritu Sancto edocta, ex Sacris litteris, & antiqua Patrum traditione in ſacris Conciliis, & noviſſime in hac Œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero Altaris Sacrificio juvari, præcipit* &c. Et revera ſemper viguit antiquiſſima, & perpetuo retenta Eccleſiæ Catholicæ traditio, & praxis Sacrificium offerendi pro defunctis, quæ in veterum Liturgiarum monumentis, omniumque Patrum ſcriptis eluceſcit, etiam illorum, quos ob ætatem ferme Apoſtolicam reverentur Hæretici, nempe Tertulliani, Cypriani, Clementis Alexandrini, & ſimilium; ita ut fateri coactus fuerit Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 4. *Ante 1300. annos* (ideſt 2. fere Eccleſiæ ſæculo) *uſu receptum fuiſſe, ut precationes, & Sacrificia fierent pro defunctis*. Et Petrus Martyr ſine hæſitatione concedit, Eccleſiam Chriſtianam ſemper pro Defunctis oraſſe. Quid ergo? *Omnes*, inquit Calvinus, *fateor, in errorem abrepti fuere*, ſcilicet, ut alibi ait, *ab Ethnicorum ſuperſtitione infeliciter hauſtum*. Addit Petrus Martyr: *Ad ſummum hanc Eccleſia vetuſtam conſuetudinem, quamvis veræ pietati, & legi Dei contrariam, excuſari poſſe ex naturali humanitatis affectu, quo ad conſervandam defunctorum memoriam precatur pro illis, ac ſi adhuc agerent inter vivos*. Sed ſi Eccleſia in tam craſſos impegit errores; quomodo ex Apoſtolo 1. ad Timoth. 3. *eſt columna, & firmamentum veritatis?* Si humanis abrepta affectibus in aniles lapſa eſt ſuperſtitiones; quomodo contra Chriſti promiſſionem Matth. 16. *Portæ inferi prævalent adverſus ipſam?* Si demum quadam fictione pro mortuis, ac ſi viverent, deprecatur; quid Sacrificium offert, & deprecatur, ut a pœnis eximantur, quibus viventes non ſubjacent? Quid, ut ad bona perducantur, quæ ſolum mortuis conceduntur, ſollicita eſt? Ipſi igitur a Catholica aberrant doctrina, dum in ſui erroris confirmationem adeo inepta proferunt argumenta. Sed ampliorem refutationem Theologis relinquentes, ad noſtra progrediamur.

CAPUT SEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Pœna peccatis debita immediate remittitur per Sacrificium Altaris.*
II. *Remiſſio tamen culpæ, & donum gratiæ non conceditur immediate.*
III. *Bona temporalia per Miſſæ Sacrificium impetrantur.*
IV. *Prodeſt Miſſa etiam ex opere operantis.*
V. *Non licet pro damnatis Sacrificium offerre.*
VI. *Miſſa pro defuncto eſt dicenda de Requie, non de Sancto.*
VII. *Miſſæ ſuffragium pro multis non æque prodeſt ſingulis, ac ſi pro unoquoque ſingulariter offeratur.*

Conſectarium Primum.

I. PEr Miſſæ Sacrificium immediate, & ex opere operato remittitur pœna peccatis debita; ſed non ſemper tota. Et quidem per ſe, & ex opere operato remiſſionem pœnæ concedere hoc Sacrificium patet, quia ſatisfactorium eſt, & Deo paſſio Chriſti offertur, & ejus ſatisfactio pro pœnis nobis ex criminibus debitis. Et ſicut temporalis pœnæ debitum condonare poteſt judex, etiam non cogitanti; ita oblatio hujus Sacrificii pœnæ remiſſionem illi obtinet, pro quo Sacrificium offertur, licet ille tunc de hac remiſſione non cogitet; cum hujuſmodi remiſſio ſit ſolum externa condonatio: in quo differt ab interna condonatione culpæ, quæ haberi non poteſt, niſi præcedat ejus deteſtatio, & dolor. Ita D. Th. hic q. 79. a. 5. ſcribens: „ Euchariſtia, quatenus eſt Sacrificium, „ habet vim ſatisfactivam. Oportet autem, ut „ qui hunc percipere fructum deſiderat, ſit in gra- „ tia; non enim remittitur pœna, cui non eſt „ dimiſſa culpa “. Quod vero non remittatur pœ- „ na, docet S. D. l. l. ſubdens: „ In ſatisfactio- „ ne magis attenditur affectus offerentis, quam „ quantitas oblationis .... Quamvis ergo hæc ob- „ latio ex ſua quantitate ſufficiat pro omni pœna; „ tamen ſit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, „ vel etiam offerentibus, ſecundum quantitatem „ ſuæ devotionis, & non pro tota pœna “. Et in reſp. ad 3. „ Hoc, quod tollatur pars pœnæ, „ & non tota pœna per hoc Sacramentum, non „ contingit ex defectu virtutis Chriſti, ſed ex de- „ fectu devotionis humanæ “.

Conſectarium Secundum.

II. Remiſſio culpæ, & augmentum gratiæ non habentur immediate per Sacrificium Miſſæ, ſed ſolum mediate. Et quidem eatenus propitiatorium dicitur hoc Sacrificium, non quia ipſum, veluti Sacramenta, ex opere operato remiſſionem tribuat peccatorum; ſed quatenus Deus hujus Sacrificii intuitu gratias actuales illuminationis in intellectu, & piæ motionis in voluntate largitur, per quas peccator diſponitur, vel caritate perfecta, vel receptione Sacramentorum ad gratiam ſanctificantem obtinendam. Sic docet Trid. Syn. ſeſſ. 22. cap. 2. in hæc verba: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Porro hæc actualis gratiæ ſubſidia, quibus homo ad pœnitentiam, & gratiam recuperandam diſponitur, niſi obſit impedimentum, ex ipſo Sacrificio obtinentur: tum quia ordinatum eſt hoc Sacrificium, ut in nos fructus redundet paſſionis, & mortis Chriſti, qui hæc nobis ſubſidia promeruit; tum quia hoc Sacrificium offertur etiam pro converſione infidelium, & ſordeſcentium in peccatis, qui profecto nihil conferunt ad hæc ſubſidia gratiæ obtinenda. Ita docet D. Th. in IV. diſt. 12. q. 2. a. 2. ad 4. „ Euchariſtia, inquantum „ eſt Sacrificium, habet effectum etiam pro aliis, „ pro quibus offertur, in quibus non præexigit vi- „ tam ſpiritualem in actu, ſed in potentia tantum. „ Et ideo, ſi eos diſpoſitos inveniat, eis gratiam „ obtinet virtute illius veri Sacrificii, a quo om- „ nis gratia in nos influxit; & per conſequens „ peccata mortalia in eis delet, non ſicut cauſa „ proxima, ſed inquantum gratiam contritionis „ eis implorat “. Pari pacto in juſtis gratiæ ſanctificantis augmentum per ſe non producit, & immediate ex opere operato, ut nonnulli ſenſere Theologi, niſi in ipſo offerente, & ſumente: tunc enim id præſtat Euchariſtia, non quatenus Sacrificium, ſed ut Sacramentum. At illis, pro quibus offertur, non confert vel gratiæ augmentum, vel venialium peccatorum remiſſionem, niſi quatenus a Deo impetrat gratias, & auxilia divina, quibus juſti excitati, & moti bona eliciunt opera, in actus virtutum, præſertim Theologicarum, prorumpunt, quibus & augmentum gratiæ, & remiſſionem venialium peccatorum promerentur.

Conſectarium Tertium.

III. Bona etiam temporalia per Miſſæ Sacrificium impetrantur. Id patet ex SS. Patribus. Inquit ſiquidem S. Jo. Chryſoſt. hom. 71. in Jo. *Pro infirmis & terræ, & maris, & univerſi Orbis fratribus ſacrificamus.* Ex Trid. Synodus ſeſſ. 22. can. 4. declaravit, *Sacrificium Miſſæ offerri non ſolum pro peccatis, pœnis, & ſatisfactionibus, ſed etiam pro aliis neceſſitatibus.* Accedit praxis Eccleſiæ in ſuis Liturgiis, quas celebrat pro pluvia, pro ſerenitate, pro infirmis, pro pace &c. Porro hæc bona temporalia nobis & ipſe Chriſtus ſua paſſione promeruit, quatenus ad æternam ſalutem conferre poſſunt. Non autem ſemper infallibiliter conceduntur; ſed denegantur, quando ſpirituali bono obeſſe divina prævidet Sapientia, vel in aliud opportunius tempus concedenda differt.

Conſectarium Quartum.

IV. Prodeſt etiam Sacrificium ex opere operantis, ideſt ex merito aliquo modo offerentis. Licet, ut inquit S. Auguſtinus lib. 2. cont. lit. Petil. cap. 4. *Sacramentis Dei nihil obſint mores malorum hominum, quo illa vel omnino non ſint, vel minus Sancta ſint*, quamobrem Miniſtri offerentis iniquitas fructum non impedit Sacrificii, reſpectu illorum, pro quibus offertur; tamen & ipſius Miniſtri dignitas aliquid conferre poteſt in utilitatem aliorum, pro quibus ſacrificium offert. Nam inquit S. Th. hic q. 82. a. 7. „ In Miſſa duo eſt

„ con-

„ conſiderare, ſcilicet ipſum Sacramentum, quod „ eſt principale; & orationes quæ in Miſſa fiunt „ pro vivis, & mortuis. Quantum ergo ad Sacramentum non minus valet Miſſa Sacerdotis mali, „ quam boni; quia utrobique idem conficitur Sacramentum. Oratio etiam, quæ fit in Miſſa, poteſt conſiderari dupliciter. Uno modo inquantum „ habet efficaciam ex devotione Sacerdotis orantis; & ſic non eſt dubium, quod Miſſa melioris „ Sacerdotis magis eſt fructuoſa. Alio modo, inquantum oratio in Miſſa profertur a Sacerdote „ in perſona totius Eccleſiæ, cujus Sacerdos eſt „ Miniſter, quod quidem Miniſterium etiam in „ peccatoribus manet . . . . Unde etiam quantum „ ad hoc eſt fructuoſa non ſolum Oratio Sacerdotis „ peccatoris in Miſſa, ſed etiam omnes ejus orationes, quas facit in Eccleſiaſticis officiis, in „ quibus gerit perſonam Eccleſiæ; licet ejus orationes privatæ non ſint fructuoſæ “. Pari pacto plus prodeſt illis, qui aliquo modo offerunt, quo majori pietate, vel Miſſæ aſſiſtunt, vel inſerviunt, vel pro ſe celebrari poſtulant, ut ſuperius diximus.

Conſectarium Quintum.

V. Non ſolum damnatis Miſſæ Sacrificium non prodeſt; ſed & pro illis offerre vetitum eſt. Et quidem vetitum præcepto naturali, & divino conſtat; nam hoc foret divinæ abſolutæ voluntati, nobis notæ per Scripturam, & Eccleſiæ doctrinam, adverſari. Vetitum & Eccleſiæ legibus, quæ collectæ habentur apud Gratianum diſt. 13. q. 2. cap. *Quibus*. Cap. *Cum gravia*. Cap. *Non æſtimamus*. Cap. *Pro obeuntibus*, & ſequentibus. Quia & propter damnatioois præſumptionem a Concil. Bracar. 1. cap. 34. (refertur capite *Placuit* diſt. 23. q. 5.) decretum fuit, *ne pro iis, qui ſe interficiunt, ulla fieret oblatio, ullum ſuffragium*. Et Concil. Tribur. cap. 31. de illo, qui in actuali peccato mortali interficitur, ſtatuit: *Si inventus fuerit quis furtum, aut rapinam exercere, & in ipſa diabolica arte mortem meretur incurrere, nullus pro eo præſumat orare, aut eleemoſynam dare; & eleemoſyna pro eo data in memoriam nec Clericorum, nec pauperum veniat, ſed execrabilis ſordeſcat.* Id tamen non eſt extendendum, nec ad Catechumenos ante Baptiſmum decedentes, nec ad peccatores, qui ſubito correpti morbo confiteri non poſſunt, licet ſine abſolutione deceſſerint: ſemper enim tenuit, & docuit Eccleſia, & Baptiſmi, & abſolutionis defectum voto horum Sacramentorum, & caritatis ardore poſſe ſuppleri.

Conſectarium Sextum.

VI. Miſſa pro Defunctis, niſi aliquod adſit impedimentum, vel Eccleſiæ vetitum, dicenda eſt de Requie, non de Sancto. 1. Quia talis jure præſumitur mens Miſſam petentis. 2. Quia, ut docet S. Thom. in Suppl. qu. 71. art. 9. ad 5. „ Licet „ ex parte Sacrificii oblati æqualiter profit defuncto, de quocumque dicatur, & hoc eſt præcipuum, quod fit in Miſſa: ſed ex parte Orationum magis prodeſt illa, in quibus ſunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen ille defectus recompenſari poteſt per majorem devotionem vel ejus, qui dicit Miſſam, vel ejus, qui „ jubet dici, vel iterum per interceſſionem Sancti, cujus ſuffragium in Miſſis imploratur “. Quod certe maxime locum habet, quotieſcumque ex ritu Eccleſiæ Miſſa de Requie celebrari non permittitur. Miſſa quoque ſolemnis magis, quam privata, prodeſt Defunctis, cum actus religionis multiplicentur, & plures adſint Sacrificio, qui pro defunctis orant. Quare non ſatisfacit oneri celebrandi Miſſam ſolemnem cum cantu, qui privatam, & communem offert.

Conſectarium Septimum.

VII. Miſſæ ſuffragium pro multis non tantum prodeſt ſingulis, ac ſi pro unoquoque ſingulariter fieret. Ita docet S. Thom. in 4. diſt. 45. q. 1. a. 4. quæſtiunc. 2. animadvertens: „ Si valor ſuffragiorum conſideretur, ſecundum quod valent ex „ virtute caritatis unientis membra Eccleſiæ, ſuffragia pro multis facta tantum ſingulis proſunt, „ ac ſi pro uno tantum fierent: quia caritas non „ minuitur, ſi dividatur effectus ejus in multos; „ immo magis augetur ... Si autem conſideretur „ valor ſuffragiorum, inquantum ſunt ſatisfactiones quædam, per intentionem facientis translatæ in mortuos; tunc magis valet ſuffragium alicui, quod pro eo ſingulariter fit, quam quod „ communiter fit, & pro multis aliis: Sic enim „ effectus ſuffragii dividitur ex divina juſtitia inter eos, pro quibus ſuffragia fiunt. Et hoc patet, quare inſtitutum ſit, ut ſuffragia ſpecialia „ in Eccleſia fiant “. At inquies hoc pacto divites ſunt melioris conditionis, quam pauperes; cum pro illis plura offerantur ſpecialia Sacrificia, pro iſtis vero vel nonniſi in commune cum aliis defunctis Miſſæ celebrentur, vel nonniſi paucæ. Reſpondet S. Th. l. l. ad 3. parum referre, quod divites ſint aliquo modo melioris conditionis, quam pauperes quantum ad expiationem pœnæ, cum iſti quantum ad poſſeſſionem regni Cælorum melioris ſint conditionis, quippe qui & minus periculo ſubjacent damnationis, & per patientiam majorem adipiſcuntur gloriam. Sed præterea & illud animadvertendum, illis ſuffragia prodeſſe, ut docet S. Auguſtinus Enchirid. cap. 19. *Qui cum viverent hæc ſibi, ut poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt . . . . Quocirca hic omne meritum comparatur, quo poſt hanc vitam poſſit relevari quiſquam, vel gravari. Nemo autem ſe ſperet, quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum promoveri.* Hinc ſequitur, ex divino judicio ſuffragia, quæ pro aliquo offeruntur, qui in vita non promeruit, ut ſibi poſt mortem prodeſſent, illis applicari, qui, ut ſibi prodeſſent, meruerunt, ut docet & D. Th. de ſuffragiis, quæ fiunt pro illis, qui vel non egent, vel incapaces ſunt. Sic itaque ſcribit D. A. l. l. ad 2. „ Credibile eſt, quod per divinam miſericordiam, ſi aliquid de ſpecialibus ſuffragiis „ ſuperſit his pro quibus fiunt (ut ſcilicet eis non „ indigeant) aliis diſpenſentur pro quibus non „ fiunt, ſi eis indigeant, ut patet per Damaſcenum in ſermone de Dormientibus ſic dicentem, *Deus tanquam juſtus commertietur impotenti poſſibilitatem, tanquam ſapiens vere defectuum commutationem negotiabitur* “.

CAPUT SEPTIMUM.

De Applicatione Sacrificii Miſſæ,

DOCTRINA.

I. *Quid ſit Miſſæ Sacrificii applicatio.*
II. *Non eſt neceſſaria applicatio actualis, nec virtualis, ſed ſufficit habitualis.*
III. *Debet tamen eſſe ſecundum omnes Sacrificii fructus.*
IV. *Nec non certa, & determinata, non vaga, nec conditionata.*
V. *Non eſt neceſſe, ut ſit conformis voluntati Superioris.*
VI. *Sed debet eſſe juxta voluntatem, & mentem Miſſam poſtulantis.*
VII. *Omnes curam Animarum habentes Miſſam applicare debent pro populo.*
VIII. *Et Canonici, & Manſionarii Conventualem pro Benefactoribus.*
IX. *Qui ex Beneficio, vel Capellania celebrare debent, tenentur & Miſſam applicare.*

I. Triplicem diximus Sacrificii Miſſæ fructum, generalem ſcilicet, ſpecialem, & ſpecialiſſimum. Applicatio autem eſt determinatio, ſive deſignatio ſubjecti, vel perſonæ, in cujus utilitatem & beneficium debet Sacrificium redundare. Porro hæc deſignatio locum non habet in fructu generali, cum hæc non a voluntate Miniſtri offerentis pendeat, ſed ab inſtitutione Chriſti, qui voluit omnibus eſſe communem. Non in fructu ſpecialiſſimo, quia licet non deſint Theologi, qui putent ipſum eſſe alteri applicandum; tamen longe probabilius alii docent cum noſtro Donato Lainenſi, ita eſſe proprium, & peculiarem ipſius Sacerdotis, ut ſi ipſi non proſit, aliis prodeſſe nullo modo poſſit, neque ſe privare Sacerdos non valeat. Et certe, ut ſuo loco dicemus, nullum pro illo ſtipendium accipere poteſt. Supereſt igitur fructus ſpecialis, qui & miniſterialis, & medius dicitur, quem alteri ad libitum Sacerdotis eſſe applicabilem diximus cap. 5. & de hujus applicatione diſputabimus.

II. Porro hæc applicatio neceſſe non eſt, ut ſit actualis in ipſa Sacrificii celebratione, cum actualis intentio neceſſaria non ſit ad ipſam Sacramentorum confectionem, in quibus, ut diximus, ſufficit virtualis. Immo nec virtualis Sacrificii applicatio eſt neceſſaria. Nam ſi neceſſaria eſt ſaltem virtualis intentio in Sacramentis, id provenit, quia talis intentio in ipſius Sacramenti influit confectionem; cum ſit unum ex requiſitis ab Eccleſia, quæ poſtulat in Sacramentorum celebratione debitam materiam, formam, & intentionem conficientis. At applicatio non eſt Sacramenti effectiva, cum fieri poſſit Miſſæ Sacrificium etiam ſine ulla applicatione; ejuſque deficientia, ſive culpabilis, ſive inculpabilis non obeſt valori Sacramenti, & Sacrificii. Quamobrem probabiliſſime ſufficit ſola habitualis intentio. Quandoquidem agitur de applicatione fructus, non ab ipſo Sacerdote cauſandi, ſed qui a Sacrificio cauſatur, quique Sacerdotis poteſtati, & voluntati permittitur diſtribuendus; at rem meo ſic ſubjectam, vel ſubjiciendam arbitrio valide alteri in anteceſſum donare poſſum, ita ut hæc donatio ſemel facta, nec amplius revocata, effectum ſortiatur tempore condicto adveniente, ſine novo conſenſu; ut ſi hodie tibi donem, quod cras ad meas manus perventurum expecto. Hinc qui ex onere vel Beneficii, vel Capellaniæ quotidie celebrat, jam in ipſa oneris aſſumptione ſtatuit quotidie ſuo oneri ſatisfacere: eapropter, niſi intentionem mutet, licet eam non renovet, Sacrificium applicare cenſendus eſt. Et idem dicendum de Religioſis, qui quotidie pro Conventu celebrant. Illi vero, qui pro diverſis, ſive Perſonis, ſive legatis offerre Sacrificium debent, tenentur & diſtinctas applicationes habere, prout pro diſtinctis legatis celebrant, vel Perſonis, non tamen ſingulis diebus, ſed in principio, cum oneri ſuo ſatisfacere aggrediuntur.

III. Applicatio fructus miniſterialis debet eſſe ejuſdem fructus ſecundum omnes ſuos effectus, videlicet & quatenus impetratorius, propitiatorius, & ſatisfactorius, quando ex juſtitia, vel obligatione Miſſa celebratur. Talis enim præſumitur voluntas Miſſam pro ſe offerri poſtulantis, ut ſcilicet omnes ejus fructus in ſe redundent. Hoc tamen non impedit, quod ſi Sacerdos Miſſam offerat pro defuncto, cui Sacrificium non poteſt prodeſſe, niſi ut ſatisfactorium, vel qui fortaſſis eo vel non indiget, vel capax non eſt, poſſit, ſine tamen ullo principaliter petentis præjudicio, pro aliis offerre intentione ſecundaria, & conditionata, nullo tamen accepto ſtipendio.

IV. Debet etiam eſſe certa, & determinata, non vaga, & conditionata, conditione ſcilicet de futuro. Nam conditiones, quæ ſunt de præſenti, vel de præterito, cum jam exiſtant, vel non exiſtant, abſolutam efficiunt intentionem: ut ſi quis pro Patre Sacrificium applicet, ſi defunctus eſt, tunc ejus poſito obitu abſoluta eſt applicatio; non vero ſi de futuro contingente ſit. Et ratio eſt manifeſta. Non enim eſt in poteſtate Sacerdotis Sacrificii effectum ſuſpendere, ut non proſit niſi impleta conditione. Ideoque nulla eſſet applicatio Sacrificii pro illo, qui primo daturus eſt eleemoſynam: nam licet hic ſit Deo notus, & præſens; tamen in ſe eſt indeterminatus reſpectu Sacerdotis offerentis: & alias liceret Miſſas offerre conditionatas de futuro contingente; cum quidquid nobis eſt futurum, Deo ſit præſens, & compertum; quod tamen omnes Theologi communiter non licere affirmant. Legatur Sylvius T. 8. Op. orat. 12. qui rem accurate pertractat. Quare merito a Clemente VIII. oppoſita ſententia damnata fuit, tanquam pluribus titulis periculoſa, fidelium ſcandalis, & offenſionibus obnoxia, & a vetuſto Eccleſiæ more aberrans. Decretum refert Lambertinus in ſua Inſtructione 92. T. 2. Excipitur tamen, ſi ſponte offerens eleemoſynam poſtularet offerri Sacrificium pro primo morituro ex ſua familia ad ſanctam illi mortem impetrandam, tunc enim & ita vult, & ſtatim per oblationem Sacrificii a Deo impetrat gratiam opportuno tempore conferendam. Sicut non inutiliter Miſſam applicat, qui ratione Beneficii, vel Capellaniæ teneatur bis, aut ter in hebdomada, ſi celebrationem anticipet; peccabit tamen, ſi Fundator in fundatione voluerit, ut datis diebus Miſſæ celebrentur, ne populus Miſſæ careat Sacrificio, vel Eccleſia de-

debito cultu. Ita docet Lambertinus de Sacrif. Miſſ. cap. 2. par. 2.

V. Ad validam applicationem non eſt neceſſe, ut illa ſit conformis voluntati Superioris. Hinc qui juxta Superioris intentionem celebrare tenetur, ſi aliter applicat, peccat quidem, & fortaſſis injuſtitiæ, vel ſaltem inobedientiæ crimen incurrit; at ejus prævalet applicatio. Ratio eſt, quia ipſe Sacerdos nedum Miniſter eſt Sacrificii, ſed etiam ejus diſtributor, & hoc quidem ſuæ ordinationis virtute & efficacia; ſicut itaque a Superioris voluntate non pendet Sacramenti confectio, ac Sacrificii oblatio; ita nec ejus diſtributio. Ita ſentiunt & Clericatus de Sacrif. Miſ. Deciſ. 36. n. 25. & de Lugo de Sacram. Euchar. diſp. 19. ſect. 10. n. 210. Ita etiam ſentit, & docet Lambertinus de Sacrif. Miſſæ ſect. 2. cap. 2.

VI. Applicatio eſt facienda juxta voluntatem, & mentem offerentis eleemoſynam. Hinc ſi quis Miſſam efflagitet pro ſalute Patris infirmi, vel pro felici exitu litis, vel negotii, qui Miſſam offerret vel defuncto Patre, vel prolata jam a judice ſententia, vel expleto negotio, muneri ſuo minime ſatisfaceret, & fructu Sacrificii fruſtraretur petens, ideoque teneretur acceptam eleemoſynam reſtituere. Ita Cabaſſut. in Theoria, & Praxi Juris Can. lib. 7. cap. 14. n. 18. cui aſſentitur & laud. Lambertinus de Sacrif. Miſſæ loc. mox cit.

VII. Omnes, qui quocumque modo curam habent Animarum, ſingulis diebus Feſtis de præcepto Miſſas pro populo, & grege ſibi commiſſo celebrare teneatur. Ita declaravit, definivit, & ſtatuit Benedict. XIV. ſua univerſali Conſtitutione incipiente *Cum ſemper*, edita anno 1744. die 19. Auguſti. Pro cujus intelligentia 1. obſervandum, curam Animarum habentes vel principales eſſe abſolutos, ac omnino independentes, ut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Plebani, Rectores, Præpoſiti, ſive alii, quocumque nomine nuncupati, Eccleſiarum Parochialium Superiores; alios autem ſecundarios, a prioribus dependentes, ſive amovibiles, ſive non amovibiles, qui aliorum vices in cura Animarum gerunt, ut Vicarii, ſeu Curati Eccleſiarum Parochialium, vel actualiter per accidens, & ad tempus, uſque ad novi Paſtoris electionem, ut Œconomi: & hi omnes, ſive pingues reditus habeant, ſive tenues, hoc onere tenentur celebrandi pro populo. Ita enim expreſſe declarat Pontifex per hæc verba: *Omnes, & ſinguli, qui actu curam animarum exercent, & non ſolum Parochi, aut Vicarii ſeculares, verum etiam Parochi, & Vicarii regulares, uno verbo omnes, & ſinguli, de quibus ſupra dictum eſt, atque alii quicumque etiam ſpecifica, & individua mentione digni, æque tenentur Miſſam Parochialem applicare pro populo, ut præfertur, ſuæ curæ commiſſo*. 2. Non ſolum teneri offerre in commodum populi, ut poſſit Miſſam audire, & Eccleſiæ præcepto ſatisfacere, & quoad fructum generalem, ut præceptum Tridentini aliqui olim interpretabantur Theologi; ſed etiam pro ſalute ſpirituali ovium ſuarum offerre debere abſolute, & generaliter, etiam quantum ad fructum medium, ſive miniſterialem; ita quod pro hujuſmodi Sacrificio oblationem nullam poſſint exigere, vel petere eleemoſynam. Sic enim jubet Pontifex ſubdens: „ Non modo Miſſæ Sacrificium celebra„ re, ſed illius *etiam fructum medium* pro illis „ applicare, nec pro hujuſmodi applicatione elee„ moſynam percipere poſſe “. 3. Non ſolum teneri in diebus Feſtis de præcepto communi Eccleſiæ, ſed etiam de præcepto ſpeciali Diœceſis, Civitatis, loci, quo fideles ex præcepto tenentur Miſſæ intereſſe. Ita ſtatuit idem Pontifex: *Quod præceptum celebrandi pro populo intelligitur non ſolum de præcepto univerſali, ſed etiam de præcepto particulari, ut de Patrono loci, cujus Feſtum . . . . debet coli de præcepto*. 4. Ab hoc onere non liberari obtentu antiquiſſimæ, & immemorabilis contrariæ conſuetudinis. Subdit enim: *Et quamvis antiqua, ſeu etiam immemorabili conſuetudine in ipſorum Diœceſibus, ſeu Parochiis, Miſſa pro populo non applicetur, eadem nihilominus impoſterum eo die applicari debet*. Quid autem concedat Parochis egentibus, & exiguos reditus habentibus, dicemus in Conſectariis.

VIII. Eadem Conſtitutione declaravit, Canonicos, & Manſionarios teneri applicare quotidie Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in communi. Et quidem 1. Applicationem eſſe faciendam juxta normam applicationis Parochorum, ideſt quoad fructum medium, & ſine ſtipendio. 2. Non ſatis eſſe applicationem in diebus feſtis, ſed eſſe debere quotidianam. 3. Non ab hoc onere liberari, vel quia eam applicant pro aliquo Benefactore in particulari, vel ex gratitudine, vel ex onere impoſito; ſed definit Pontifex, onus applicandi Miſſam Conventualem non reſpicere ſingulares perſonas, ſed Benefactores in communi. 4. Minime hoc oneri ſatisfieri per aliquas preces, vel Anniverſaria, quæ in Cathedralibus ſtatis diebus fieri conſueverunt. 5. Excuſationes, quæ afferri ſolent, omnino tollit; nimirum 1. ex contraria conſuetudine. 2. Ex onere, & obligatione jam aſſumpta celebrandi pro particularibus. 3. Ex reddituum exiguitate. Reſpondet enim, contrariam conſuetudinem corruptelam eſſe, omnino eliminandam. Privatum aſſumptum onus ſuppleri poſſe per alium. Denique confugium eſſe ad Sacram Congregationem, quæ comperta veritate tenuitatis redituum, miſericorditer onus ad ſolos feſtos dies coarctabit.

IX. Beneficiarii Capellani, qui ſtatuta elemoſyna onus habent celebrandi vel quotidie, vel certis ſive hebdomadæ, ſive menſis diebus: tenentur non ſolum celebrare, ſed & fructum medium applicare pro anima Fundatoris, niſi certo conſtet, aliam fuiſſe Fundatoris mentem. Et quidem, quotieſcumque onus imponitur celebrandi, licet nulla habeatur in fundatione mentio de applicatione Sacrificii, ſemper tamen ſubintelligi, pluries declaravit S. Congregatio Concilii, ut videre eſt apud Lambertinum de Sacrif. Miſſæ ſect. 2. cap. 2. qui plures affert ex præfatis declarationibus, animadvertitque, licet peculiares ſint pro certis Beneficiis, & Capellaniis, tamen eorum reſolutiones generali regula inniti, Fundatorem Beneficii, vel Capellaniæ, qui onus impoſuit Miſſæ, licet applicationis non meminerit, tamen voluiſſe fieri pro anima ſua: ideoque aſſerenti ſolam celebrationem, non vero applicationem debitam eſſe; onus incumbere id liquido, & abſque ambagibus probandi; quod verum eſt, licet Fundator dixerit, ut Sacerdotes celebrantes *orent pro ipſo in Miſſa*: hæc enim oratio injuncta idem præſumitur cum applicatione Sacrificii, niſi clare, & manifeſte conſtet Funda-

datorem ſolam orationem voluiſſe, non vero applicationem.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Applicatio Sacrificii Conſecrationi eſt præmittenda.*
II. *Valet applicatio etiam pro eam ignorante.*
III. *Non eſt illicitum pluribus diverſos fructus Sacrificii applicare.*
IV. *Non eſt illicitum Miſſam pro Defunctis applicare, eleemoſyna vel nondum collata, vel nondum diſtributa.*
V. *Superiores Regulares tenentur Miſſam applicare, ſicut Parochi.*
VI. *Quid Parochis egentibus concesſerit Pontifex quoad applicationem Miſſæ pro populo.*
VII. *Capellani, qui ad ſolam celebrationem Miſſæ tenentur, poſſunt pro applicatione fructus medii eleemoſynam accipere.*

Conſectarium Primum.

I. Applicatio Sacrificii Miſſæ eſt ſaltem conſecrationi præmittenda. Cum quis pro pluribus, & diverſis, ſive perſonis, ſive oneribus celebrare tenetur, non ſatis eſt, ut in horum onerum ſuſceptione eam implendi intentionem habeat; ſed, neceſſe eſt, ut pro ſingulis, quas celebraturus eſt, Miſſas applicet, ut diximus cap. præced. num. 2. Hanc autem applicationem ante conſecrationem ſaltem efformare debet. Dixi *ſaltem*, nam longe melius foret, ſi prævie ad ipſum Sacrificium id præſtaret. Debet autem ante conſecrationem, quia tunc ſolum eſt in ejus poteſtate de fructu miniſteriali diſponere: peracta enim conſecratione utriuſque ſpeciei abſolutum eſt Sacrificium, cum, ut ſuperius diximus, in ea ſit Sacrificii eſſentia; proinde omiſſa applicatione jam fructus Sacrificii in Eccleſiæ theſauro repoſitus eſt. Non deſunt tamen Theologi, qui cenſentes & ipſam Sacrificii conſummationem ad ejus eſſentiam pertinere, docent applicationem fieri poſſe etiam poſt conſecrationem ante communionem. Quod confirmant, quia poſt conſecrationem fit oratio, & applicatio fructus Sacrificii pro Defunctis. Quamobrem putarem, poſſe Sacerdotem, ſi per oblivionem omiſerit, tunc applicare, ne Sacrificium ſua careat applicatione; præſertim ſi Sacrificii fructus nulli ex juſtitia debeatur; alioquin non ſufficiet hæc applicatio; ſed aliud erit offerendum Sacrificium, ut docet & ipſe benigniſſimus Sporerius T. 2. cap. 5. ſect. 3. §. 2. n. 380.

Conſectarium Secundum.

II. Valet applicatio Miſſæ pro oneribus alicujus Eccleſiæ, vel Capellaniæ, quando Rector, vel Capellanus ſolet eleemoſynam dare Sacerdotibus ad ſuam Eccleſiam confluentibus, licet eum celebrans non præmoneat. Hanc quæſtionem verſat Sylvius T. 5. tract. 12. & noſtræ favet doctrinæ. Nam hujuſmodi applicatio & eſt determinata pro oneribus, ſcilicet Eccleſiæ, quæ onera Rector Eccleſiæ aliis adimplenda, data eleemoſyna, ſolet diſtribuere; & mens Rectoris ſemper ſupponitur ita affecta, ut velit pro ſe celebrantes oneribus ſibi impoſitis ſatisfacere. Nec obſtat ejus neſcientia: hæc enim non impedit, quin Sacrificium proſit illis, pro quibus juxta onera Capellaniæ, vel Sacriſtiæ offertur. Solum dubium eſſe poteſt, num credere teneatur aſſerenti ſe pro ejus oneribus celebraſſe, & eleemoſynam ipſi tribuere. Et quidem, niſi juſta ſit cauſa dubitandi de ſinceritate, & veritate aſſerentis, quippe qui pius eſt, honeſtus, & ipſi Capellano, vel Eccleſiæ Rectori notus, credere illi debet, & congruam eleemoſynam ſuppeditare. At ſi illi ignotus ſit, ſuſpectus, & non probatæ vitæ poterit non credere, & elemmoſynam denegare; præſertim cum ipſi incumbat inſpicere, & providere, ut certa ſit onerum impletio, & ſatisfactio.

Conſectarium Tertium.

III. Non eſt illicitum Sacerdoti, Miſſam offerenti pro Defuncto, illi fructum ſatisfactionis applicare, fructum vero propitiatorium, & impetratorium, aliis concedere; vel etiam ſecundaria intentione, ſi Defunctus non indigeat, totum fructum aliis applicare: in utroque tamen caſu nullam eleemoſynam accipere poteſt. Et primo quidem id licere manifeſtum eſt: nulli enim fit injuria. Nam Defuncto fructus applicatur, cujus tantummodo capax eſt, nimirum ſatisfactionis pro pœnis peccatorum Deo debitis. Cum vero præter hunc fructum ſuperſint fructus ceteri impetrationis, & propitiationis, illos poterit Sacerdos, cui maluerit, applicare. Similiter cum contingere poſſit, ut anima Defuncti Sacrificio juvari non poſſit, vel non egeat; nihil prohibet Sacerdoti illum alteri conditionate applicare, ne Sacrificium ſuo careat fructu, ſed in utilitatem redundet alicujus. Eleemoſynam tamen in hiſce caſibus vel recipere, vel exigere non licet; nam avaritiam redoleret, & mercimonium.

Conſectarium Quartum.

IV. Licet vetitum ſit Miſſam applicare pro illo, qui daturus eſt eleemoſynam; non tamen eſt illicitum Miſſam celebrare pro Defunctis in communi, ubi mos eſt ſingulis menſibus, vel annis eleemoſynas a fidelibus erogatas pro earum Miſſarum celebratione Sacerdotibus diſtribuere; licet vel nondum ſint eleemoſynæ collectæ, vel nondum Sacerdotibus diſtributæ. Nam in hoc caſu Miſſa non applicatur pro primo, qui daturus eſt eleemoſynam; cum nullus dici poſſit primus, quia nullus ſufficientem erogat eleemoſynam. 2. Quia hujuſmodi eleemoſynam erogantes non habent intentionem, niſi ſua eleemoſyna, & Sacrificio Defunctis juvandi; cui intentioni & ſuam Sacerdos celebrans accommodat. Nec incerta eſt applicatio, ſed determinata pro Defunctis in communi juxta mentem illorum, qui tenues ad hoc erogant eleemoſynas. Denique nullum apparet ſcandalum, vel inconveniens, etiamſi fideles ſcirent prævie ad eorum eleeſynas Sacerdotes pro eorum Defunctis Miſſas celebrare. Quamobrem hunc caſum non puto in præfata prohibitione comprehenſum.

Con-

Conſectarium Quintum.

V. Superiores Regulares tenentur Miſſam pro Religioſis ſibi ſubditis in diebus feſtis applicare. Hanc doctrinam jam tetigimus in Tract. de Præceptis Decalogi P. I. Diſſ. 3. Cap. 10. Conſect. 10. & hic ex profeſſo probamus, unico quidem, ſed meo videri efficaciſſimo argumento. Ex præcepto divino omnes curam habentes Animarum tenentur pro ſibi ſubditis Sacrificium offerre; ita enim expreſſe, & aperte declaravit Trid. Synodus ſeſſ. 23. Cap. 1. de Reform. indicens: *Cum præcepto divino* mandatum ſit *omnibus*, *quibus animarum cura commiſſa eſt*, oves ſuas cognoſcere, *pro his Sacrificium offerre &c.* Porro Superiores Regulares vere curam habent animarum; ſuorum enim Religioſorum Paſtores ſunt, & Parochi. Ergo Superiores Regulares divino urgente præcepto ad Sacrificium pro ſuis Religioſis ad ceterorum normam Parochorum offerre tenentur. Et revera Religioſi deterioris eſſent conditionis, quam Laici, pro quibus eorum Parochi offerunt Sacrificium; cum pro iſtis nullus ſit, qui celebret. Non enim pro illis orant Parochi, quibus nullo modo ſubjacent; non Epiſcopi, a quibus pendent quidem quantum ad Sacramenta ceteris adminiſtranda, at quoad proprium ſpirituale gubernium, & privatam Sacramentorum adminiſtrationem ſunt exempti. Vel nullum igitur Paſtorem habent, vel ſi habent, & hi pro illis Sacrificium non offerunt, præcepto Divino non obtemperant. Nec urgent, quæ opponi poſſunt, argumenta. 1. Theologos de obligatione quidem Parochorum diſputaſſe, & in varias ante Benedicti XIV. Conſtitutionem abjiſſe ſententias; verum de Regularium Prælatorum obligatione nec cogitaſſe. 2. Nulla extat definitio, nulla declaratio, quæ tale onus imponat Regularibus; adeo ut nec ipſe Benedictus, qui in ſua laudata Conſtitutione Parochos, Canonicos, & Cathedralium, ac Collegiatarum Miniſtros, & Manſionarios teneri declaravit pro populo, & Benefactoribus celebrare, nec verbum habeat de Regularium Superioribus. 3. Denique ideo Parochi pro populo, Canonici pro Benefactoribus offerre Sacrificium tenentur, quia ab ipſis, unde vivant, & ſuſtententur, accipiunt. Et ideo olim docebant Theologi, Parochos pinguioribus reditibus fruentes quotidie, qui vero tenuiores ſolum aliquoties in hebdomada teneri pro populo celebrare. At Regularium Superiores nihil a ſubditis accipiunt; ſed ſimul cum illis de Monaſteriorum reditibus, vel elemoſynis aluntur. Nulla eſt igitur ratio, cur ad celebrandum pro Religioſis ſint obligandi. At reſp. ad 1. ideo Theologos de Regularium Prælatorum obligatione non diſputaſſe, quia eos non teneri putarunt, quemadmodum & præceptum divinum a Concilio adductum perverſe ſunt quamplures interpretati, nimirum vel de Sacrificio offerendo non in ſpiritualem utilitatem, ſed ſolum in commodum, & utilitatem plebis ſuæ explicantes; vel ſi etiam ad ejus applicationem obſtrictos nonnulli cenſuere, hoc tamen intellexere quoad fructum generalem, non vero quoad medium, & miniſterialem. Quemadmodum igitur in hoc errarunt; ita & errare potuerunt non cognoſcentes onus, de quo loquimur, in Prælatis Regularibus. Verum non deſunt Theologi, qui etiam ante Benedicti XIV. Conſtitutionem illud onus agnoverunt, & declararunt, etiam Regulares Prælatos in Decretis Conciliorum, & Congregationis comprehenſos. Plures affert P. Merati in Obſervationibus ad Gavantum T. 1. q. 3. Tit. 12. Duos tantum exſcribam. Suarez in 3. p. D. Th. to. 3. diſp. 86. Sect. 1. & T. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 3. nu. 3. ſcribit: *Hæc autem Jura* (ſcilicet Concilia, & Decreta Congregationis) *generaliter loquuntur de omnibus Dignitatibus Eccleſiaſticis animarum curam habentibus, ſub quibus comprehenduntur etiam Prælationes Regulares. Magnam enim ſine dubio habent curam Animarum ordinariam, & ex officio.* Naldus idem confirmat in Sum. V. Parochus n. 18. *Non magis debet jure divino obligari Parochus in hoc* (quoad Miſſæ ſcilicet applicationem) *pro ſuis ovibus, quam Prælatus Regularis pro ſuis ſubditis.* Ita ſentiunt Paſqualigus de Sacrif. N. L. quæſt. 847. n. 8. & q. 851. n. 9. Tamburinus de jure Abbatum in Diſp. 5. q. 5. n. 5. Thomas Hurtado Reſol. 4. n. 46. Van Eſpen T. 1. p. 1. tit. 3. cap. 10. num. 11. Rotarius in ſua Theologia Regularium. Ad 2. Fatemur nullam adeſſe pro Superioribus Regularibus expreſſam, determinatamque declarationem, ſeu legem, ſicut pro Parochis. At in generali tum Tridentini Concilii lege, tum Benedicti Conſtitutione eſſe comprehenſos ambigendum non eſt, cum & ipſi proculdubio in eorum numero ſint, qui curam habent animarum; quos omnes ad celebrandum pro populo teneri & præfactum Concilium, & Pontifex declararunt. Ad 3. Falſum eſt Parochos ſolum teneri Sacrificium offerre pro ovibus, quia ab ipſis ſuſtentantur, ſed præcipue ratione ſui muneris, & officii; quia, ut inquit Apoſtolus ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro his omnibus conſtituitur ... ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Ex quibus verbis & ipſi Tridentini Concilii Patres debitum agnoverunt impoſitum Paſtoribus celebrandi pro ſuis ovibus. Quamobrem licet nullam acciperent a plebe ſibi commiſſa ſuſtentationem, adhuc pro ipſa celebrare tenerentur, ut declaravit Congregatio Concilii ſuo Decreto ſub die 30. Auguſti anni 1698. ab Innoc. XII. anno ſeq. 24. Aprilis in Bulla *Nuper* confirmato, indicens: „ Parochos teneri ad prædictam applicatio„ nem, *etiamſi non habeant congruam*, ideſt ſu„ ſtentationem nec ex reditibus, nec a fidelibus ". Licet igitur nihil recipiant a ſuis ſubditis Regulares Prælati; non propterea ab onere Sacrificium pro illis offerendi liberantur. Num vero & hoc graventur onere Monialium Confeſſarii, tam Seculares, quam Regulares, licet aliquis Theologus affirmet, quia & ipſi tanquam Parochi dati ſunt a Prælatis Monialibus; tamen puto non gravari, quia licet Parochialia officia reſpectu Monialium exerceant, vere tamen Parochi non ſunt, ſed ſimplices Superiorum delegati, qui abſque ulla injuria poſſunt illos, cum ſibi lubet, amovere, alios ſubſtituere, ipſis etiam inſervientibus alios ſubſtituere, ipſis etiam inſervientibus alios deputare, qui vel uni, vel pluribus Sacramenta miniſtrent; & cum Moniales vel Epiſcopis ſint ſubjectæ, vel Regularibus, iſti pro ipſis quoque Sacrificium offerunt, quando pro populo, & plebe ſibi commiſſa offerunt.

Con-

Conſectarium Sextum.

VI. Parochis, ceteriſque curam Animarum habentibus, qui tenuiſſimos reditus habent, & qui, ut inquit Pontifex, *ferme ex eleemoſynis, quas a fidelibus pro Miſſarum celebratione accipiunt, vivere coguntur*, conceſſit Benedictus XIV. laudata Conſtitutione, ut poſſint ,, diebus Feſtis eleemoſy-,, nam a pio offerente accipere & pro ipſo Sacrifi-,, cium applicare . . . . dummodo ad neceſſariam ,, Populi commoditatem in ipſa Eccleſia Parochia-,, li Miſſam celebrent; ea tamen conditione, ut ,, tot Miſſas infra hebdomadam pro populo appli-,, cent, quot in diebus Feſtis infra eandem heb-,, domadam occurentibus juxta peculiarem inten-,, tionem alterius pii Benefactoris obtulerint ". Si vero Parochi infirmitate præpediti per ſe ipſos celebrare non poſſint, tenentur per alium ſuo muneri ſupplere. Quia Pontifex abſolute ſtatuit, præfatos Parochos ad hoc onus teneri ex divino præcepto, & quidem abſolute ratione ſui muneris, & officii, nulla adjecta exceptione ſive morbi, ſive alterius legitimi impedimenti; nec ſtatuit eos teneri per ſe ipſos celebrare. Quando igitur infirmitate præpediti non poſſunt hoc onus implere quoad modum, ideſt per ſe, cum poſſint tamen quoad ſubſtantiam per alium, omnino tenentur. Et revera, ſi infirmitas eos impediat ab adminiſtratione Sacramentorum, & aliis Eccleſiaſticis functionibus, per alios ſupplere debent, quia ex divino urgentur præcepto; cum pari igitur mandato teneantur & pro populo offerre, debent per alium ſupplere. Nec dicas, Capellanos, Manſionarios, ſi infirmitate præpediantur, adeo ut per ſe celebrare non poſſint, non teneri per alios ſupplere. Nam hoc 1. ſolum verum eſt de Capellanis, qui quotidie, vel pluries in hebdomada offerre debent; non vero de illis, qui ſolum in diebus feſtis tenentur. 2. Ab onere ſupplendi liberantur ſolum, quoties infirmitas, vel aliud legitimum impedimentum breve ſit, & ſolum per aliquot dies, vel ad ſummum per menſem, ut infra expendemus; non vero, ſi diuturnum ſit; tunc enim & ipſi per alios oneri Capellaniæ ſatisfacere debent.

Conſectarium Septimum.

VII. Capellanos, qui ex Teſtatoris, vel Fundatoris clara, aperta, & manifeſta intentione, & voluntate ad celebrationem quidem Sacrificii, non vero ad ejus applicationem tenentur, probabile admodum eſt poſſe pro applicatione eleemoſynam recipere. Hanc quæſtionem verſat Lambertinus tum Inſtit. 46. tum in Opere de Sacrif. Miſſ. Sect. 2. cap. 2. §. 1. & dicit, aliquibus Theologis, & præſertim Dianæ, ceteroquin benigniſſimo Theologo, viſum eſſe non licere pro uno, & eodem Sacrificio duplex ſtipendium accipere, alterum pro celebratione, alterum pro applicatione; & addit de hoc etiam decreta circumferri, & deciſiones Sacræ Congregationis Concilii ita definientis. At obſervat ſibi nunquam contigiſſe, licet per plures annos in præfata Congregatione a ſecretis fuerit, hujuſmodi Decreta videre; ſicut nec alia, quæ oppoſitæ doctrinæ faventia circumferuntur: & hoc quidem affirmat in laud. Inſtitut. 46. At in opere de Sacrif. Miſſ. loc. cit. inſtructior factus, tanquam certas allegat plures Deciſiones Congregationis, noſtræ faventes ſententiæ, nimirum unam in Cauſa Tridentina anni 1630. 3. Kal. Auguſti, ubi decernitur: ,, Sacerdotem non poſſe eleemoſynam ,, recipere, & duabus obligationibus unica Miſſa ,, ſatisfacere, *niſi in fundatione cautum ſit*, quod ,, non teneatur Sacrificium applicare ". Cui conſonant aliæ Deciſiones pro Cauſis Pientina anni 1639. Peruſina ejuſdem anni, Urbaniana 1640. Vicentina anni 1642. His igitur poſitis veritas conſtat noſtræ doctrinæ, quam defendunt etiam Paſſerinus noſter de Statibus hominum quæſt. 187. art. 4. n. 981. & Gavantus lib. 3. cap. 12. n. 5. quandoquidem cum certum ſit, conceſſum Sacerdoti applicare alteri fructum medium, ſeu miniſterialem; & iterum conceſſum pariter recipere eleemoſynam pro ſuæ ſuſtentationis ſubſidio; nulla apparet injuſtitia, ſi celebraturus ex officio Capellani ſtipem accipiat pro Sacrificii applicatione. Nec obſtat, ipſum duplex ſtipendium accipere pro uno, & eodem Sacrificio. Quandoquidem ſi licet petenti Miſſam duplicatum dare ſtipendium ex ſua liberalitate; jam non apparet, cur illicitum ſit hoc idem duplicatum ſtipendium a duobus accipere ſine neutrius detrimento: quilibet enim, quod poſtulat, conſequitur, alter ſcilicet celebrationem, alter fructum Sacrificii.

CAPUT NONUM.

De Miſſæ eleemoſyna, ſive ſtipendio celebranti erogando.

DOCTRINA.

I. *Eleemoſyna loco oblationum ſucceſſit.*
II. *Simoniacum non eſt eleemoſynam pro Miſſa accipere.*
III, *Omnia pacta, mercimonia, & exactiones pro Miſſis vetitæ.*
IV. *A quibus ſit deſignanda congrua pro Miſſis eleemoſyna.*
V. *Epiſcopi prohibere non poſſunt, ne pinguior detur; vetare tamen poſſunt, ne minor taxata accipiatur.*
VI. *Eleemoſyna in adminiculum ſuſtentationis datur.*
VII. *Non eſt illicitum etiam diviti Sacerdoti eleemoſynam pro Miſſa accipere.*
VIII. *Non licet acceptam eleemoſynam minuere, ſi alteri Miſſa celebranda committitur.*
IX. *Qui ex Beneficio celebrant, conſuetam eleemoſynam dare poſſunt.*
X. *Pro Miſſis perpetuis ſervanda Decreta Pontificum.*

I. ELeemoſynam, ſive ſtipendium, quod modo Sacerdoti ſuppeditatur, locum obtinere oblationum, quæ olim a fidelibus in Templo ad Sacrificium offerebantur, res eſt adeo comperta, & omnibus nota, ac in ſexcentis libris recantata, ut eam vel probare velle, vel confirmare, eſſet viri tempore, & otio abutentis. Satis erit hac de

re erudiri cupientis aureum opus legere de Synodo lib. 5. cap. 8. ubi Sapientiſſimus Pontifex brevi compendio omnia complexus eſt a ceteris ante ipſum Scriptoribus tradita. Deſcribit etiam Pontifex artes, quas Sacerdotibus ſuggeſſit avaritia, ut plures poſſint ſibi arrogare eleemoſynas; & oſtendit, quanta cura Concilia, Pontifices, Epiſcopi conati ſint pacta, nundinationes, & turpes quæſtus, quæ & ipſum Sanctuarium occupaverant, comprimere, & eliminare. Nos itaque ea tantum promemus, quæ noſtrum reſpiciunt doctrinæ moralis ſcopum, & refutatis laxioribus opinionibus, certa, ſolida, & probabiliora dogmata ſtatuemus.

II. Primo itaque certum eſt, eleemoſynam accipere pro Sacrificii oblatione minime ſimoniacum eſſe, ut olim blaterabant Wicleſiſtæ. *Non enim*, inquit S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 2. *Sacerdos accipit pecuniam, quaſi pretium conſecrationis Euchariſtiæ, hoc enim eſſet ſimoniacum; ſed quaſi ſtipendium ſuæ ſuſtentationis.* Conſtat autem ex Evangelio *Dignum eſſe operarium mercede ſua.* Et Apoſtolus docet: *Qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt; & qui Altari deſerviunt, cum Altari participant.* Confirmat praxis, incunabulis Eccleſiæ coæva, de oblatis fidelium Sacerdotium victum decerpendi. Et æquitas ipſa naturalis exigit, ut qui in alterius commodum occupatur, pro temporis, & laboris ratione ſuſtentetur. Caveant tamen Sacerdotes, ne quod de ſe licitum eſt, & conceſſum, eorum prava affectione ſimoniacum fiat, celebrando ſolo ſtipendii intuitu. Qui enim ita eſt animo affectus, ut, niſi eleemoſynam haberet, nullo modo celebraret, profecto oſtendit facto ſuo, ſe propter lucrum ad Altare aſcendere. Et merito hujuſmodi Sacerdotes redarguit, & confundit Robertus Pullus ſcribens: *Quid eſt Miſſarum ſolemnia intuitu temporalis commodi celebrare, niſi cum Juda Chriſtum vendere, tanto nequius, quanto reſurgendo eſt ſublimatus?* Quamobrem hic locum habet doctrina S. Th. in Quodl. 8. art. 11. ubi de Diſtributionibus Eccleſiaſticis ſic docet: *Si hujuſmodi diſtributiones recipiat, quaſi finem ſui operis principaliter intentum, Simoniam committit, & mortaliter peccat. Si autem habet finem principalem Deum in tali actu, & ad hujuſmodi diſtributiones reſpicit ſecundario, non quaſi finem, ſed ſicut id, quod eſt neceſſarium ad ſuam ſuſtentationem, conſtat, quod non vendit actum ſpiritualem, & ita ſimoniam non committit, nec peccat.* Quæ doctrina & Sacerdoti celebranti eſt aptanda, de quo idem A. D. Opuſc. 65. de Offic. Sac. dicit: *Quod pecunia non eſſe debet cauſa celebrandi, ſed occaſio ſolum excitans, & inducens.*

III. Merito igitur conventiones omnes, pacta, mercimonia pro Miſſarum celebratione vetuit Tridentina Synodus Seſſ. 22. in Decreto de obſer. & vitand. in celebr. Miſſæ ſic ſtatuens: ,, Decernit S. ,, Synodus, ut Ordinarii locorum Epiſcopi ea omnia prohibere, ac e medio tollere ſedulo curent, ,, ac teneantur, quæ avaritia idolorum ſervitus... ,, induxit... in primis... cujuſque generis mercedum *conditiones*, *pacta*, & quidquid pro Miſſis ,, novis celebrandis datur, necnon *importunas*, & ,, *illiberales eleemoſynarum exactiones* potius, quam ,, poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a *ſimoniaca labe*, vel certe *a turpi quæſtu* non longe ,, abſunt, omnino prohibeant ". Idem antea ſtatuerat Toletanum Concilium anni 1324. ita indicens: ,, Multa mentis amaritudine concitamur, ,, graviſque doloris aculeus perfodit mentem noſtram, quod aliqui Presbyteri deteſtanda, & abominabili ambitione pro Miſſis per eos celebrandis pecuniam exigant; & ſuper hoc, ac ſi vellent vendere rem profanam, impudenter mercantur... hinc diſtrictius prohibemus, ne aliquis ,, Presbyter pro Miſſis celebrandis *pecuniam exigat*, ,, vel aliam rem temporalem, ſed grate accipiat, ,, ſi aliquid per facientem Miſſas celebrari oblatam ,, ſibi caritative fuerit *abſque pacto, & conventione* ".

IV. Eleemoſynæ, ſive ſtipendii pro Miſſis, vel annualibus, vel perpetuis determinatio non eſt facienda ab offerentibus eleemoſynam, nec a Sacerdotibus accipientibus, ſed a ſolis Epiſcopis, ſeu locorum Ordinariis, vel per Synodales Leges, vel per ſpecialia Decreta, ſecundum approbatam locorum conſuetudinem: cui ſtatuto, & determinationi ſe ſubmittere, & parere debent etiam Regulares. Hujus doctrinæ veritas luculenta eſt; & quidem quoad primum membrum, plura extant Decreta Sacræ Congregationis Concilii a Summis Pontificibus adprobata, quæ ſtipendii taxationem, & determinationem Epiſcopis committunt, & reſervant, ut videre eſt in reſponſione ad dubia propoſita circa generalia Decreta juſſu Urbani VIII. edita anno 1625. ubi ſic legitur: ,, Cenſuit Sacra Congregatio, ubi nullam certam ,, eleemoſynam Teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, ,, quæ reſpondeat oneri Miſſarum celebrandarum, ,, ſecundum modum Civitatis, vel Provinciæ ". Et merito, quia ſi Epiſcopis a Tridentina Synodo demandatum eſt, ut omnia pacta, mercimonia, turpia lucra in hac re arceant, melius huic muneri ſatisfacere nequeunt, quam congruam deſignando eleemoſynam: quæ deſignatio ſi offerentibus relinquatur, minus profecto, quod poterunt, dabunt; ſi Sacerdotibus, plus poſtulabunt, quam deceat. Regulares quoque huic taxationi ſubjacere debere, declaravit Congregatio Concilii anni 1639. his verbis: ,, Eleemoſyna pro ,, qualibet Miſſa, per Regulares celebranda in eorum Eccleſiis, eſt taxanda arbitrio Ordinarii ,, juxta morem regionis ". Quod Decretum refertur a Lambertino Inſtit. 24. Et de Synodo lib. 3. cap. 9. n. 2., & quidem ad æquitatis normam. Si enim omnes ſub gravi tenentur ſtare pretiis rerum a Principe, ſive Communitate deſignatis, nec eſt in illius privati poteſtate illa immutare; cur non Sacerdotes omnes etiam Regulares ſtare debent, & ſervare determinationem eleemoſynæ ab Epiſcopis conſtitutam?

V. Conſtituto ab Epiſcopis congruo pro Miſſæ celebratione ſtipendio, prohibere non poſſunt, ne offerentes pinguiorem, ſi maluerint, tribuant eleemoſynam; at Sacerdotibus, ne minorem accipiant, poſſunt indicere. Ita declaravit Sacra Congregatio Concilii in Decreto relato a Lambertino Inſtit. 57. dato 16. Jan. 1649. quo ſtatuit, Epiſcopum prohibere non poſſe ſub pœna Cenſurarum Laicis, ne pinguius ſtipendium ſolvant Sacerdotibus, tam ſecularibus, quam Regularibus Miſ-

ſam

ſam celebrantibus, & quod iiſdem Sacerdotes illud acceptare non poſſint, etiam a ſponte dantibus. Et quia quidam Epiſcopus hanc prohibitionem ſuo Decreto indixerat, juſſit moderandum eſſe Decretum. Alterum vero pariter conſtat ex alio Decreto ejuſdem Congregationis pro Epiſcopo S. Severini narrantis „ Sacrificium Miſſæ quodammodo vileſcere, dum Sacerdotes quotidie ſe offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemoſynæ pro qualibet Miſſa: unde ſupplicat declarari, an ipſe ſtatuere poſſit eleemoſynam annualem, imponendo pœnam celebrantibus pro minori quantitate “. Reſpondit *affirmative quoad eleemoſynam manualem*. Et jure merito: nam valde indecens eſt Sacrificio, & Sacerdotio indecorum, ut Miniſtri ſeſe offerant, & ſupplicent Magnates & Divites pro Miſſarum eleemoſynis more pauperum mendicantium, oſtiatim victum petentium; & quamcumque eleemoſynam, etiam tenuiſſimam, vel petant, vel accipiant. Præterquam quod oſtendunt ſe in celebratione lucrum quærere, cum & tenuiſſimum, nedum oblatum accipiant, ſed emendicent, & officiis impetrent. Ubi itaque hujuſmodi Decretum ab Epiſcopo ſive in Synodo, ſive extra indictum eſt, parere debent Sacerdotes. Quod tamen non impedire cenſendum eſt officia Caritatis; ut ſi Sacerdos pro paupere defuncto celebrans, minore ſit ſtipendio contentus, quod non ipſe quærit, vel poſtulat, ſed ſolum oblatum acceptat. Dum autem Sacra Congregatio declarans, Epiſcopos poſſe Edictum vetans minoris eleemoſynæ acceptionem indicere, coarctavit ad manuales eleemoſynas, ſequitur ſimile Decretum locum non habere in eleemoſynis perpetuis, ſive annuis, ſive menſilibus. Nam ex tali eleemoſyna perpetua, etiam tenui, nec Sacrificium vileſcit, nec communi bono præjudicium infertur; cum eleemoſyna perpetua ex legatis, Capellaniis, Beneficiis non detur communiter omnibus petentibus, ſed ſolis Capellanis, & Beneficiatis deputatis, non ſingulis diebus, ſed ſingulis annis, vel trimeſtribus, & quidem vel in pecunia, vel in reditibus ex fundis pro Capella, & Beneficio aſſignatis: qui reditus modo tenuiorem, modo majorem reddunt eleemoſynam juxta fructuum diverſum valorem. Quapropter non ea exoriri poſſunt incommoda, & ſcandala, quæ ex manuali eleemoſyna proficiſcuntur.

VI. Eleemoſyna, ſive ſtipendium pro Miſſæ celebratione non ad integram Miniſtri celebrantis ſuſtentationem, ſed in adminiculum ſuſtentationis datur. Ita egregie docet Bened. XIV. de Synodo cap. 9. n. 1. ſcribens: „ Neceſſe non eſt, ut eleemoſyna tanta ſit, quæ integram ſuſtentationem Sacerdoti ea die, qua celebrat, ſuppeditet; etenim . . . actio ſacrificandi non requirit integrum diem, nec majorem ejus partem: unde non eſt, cur Sacerdos propter hoc ſolum miniſterium integre alatur ab eo, pro quo Sacrificium offert. Accedit neminem ſecularem ad ſacros Ordines promoveri, qui Beneficium, aut patrimonium non habeat; nec ullum ad Religionem admitti, qui ex Monaſterii reditibus, aut conſuetis eleemoſynis ali nequeat. Ex quo fit, ut nullus cogatur victum ſibi comparare ex ſolo Miſſarum ſtipendio “. Quam doctrinam confirmat etiam auctoritate Juvenini de Sacram. Diſſ. 5. qu. 7. cap. 1. art. 8. ſic ſcribentis: „ Rationi conſona non eſt conſuetudo, quæ ſtipendium definit ex ſumma, quæ ſatis eſt Sacerdotis in unam diem ſuſtentationi. Ratio eſt, quia ſtipendia non conferuntur ad integram ſuſtentationem, ſed ad illius adminiculum “. In cujus doctrinæ confirmationem, jam adductam a Pontifice rationem affert, ex titulo Ordinationis deſumptam. Quæ pariter locum habent in illis, qui ordinantur vel titulo Menſæ, ut in Germania, vel titulo ſervitutis Eccleſiæ in Italia. Priores enim jam victum accipiunt ex alterius liberali donatione, & obligatione aſſumpta; poſteriores vero ex ipſa Eccleſiæ ſervitute emolumenta ad aliquam ſui ſuſtentationem accipere ſupponuntur. Quod ſi forte non contingat, non ideo evertenda Eccleſiæ diſciplina, & Sacerdotium immutandum in artem de pane lucrando. Hinc non ſatis deplorandum, quod non raro contingit, Sacerdotes ſcilicet vel ex ſcrupulis, vel ex ſenio, vel alia infirmitate adeo emotæ mentis, ut nec decenter, nec ſine populi admiratione celebrare poſſint, tamen ad Altare aſcendere, & a Confeſſariis etiam celebrare compelli, hac una ratione, *quia aliunde non habent, unde vivant*: & dum ipſos & a recitatione officii, & ab omni oratione, immo & ab ipſa confeſſione diſpenſant, quippe quia eos ad hæc peragenda ineptos cenſent, ad celebrandum tamen ſolum idoneos declarant.

VII. Non eſt illicitum etiam habenti, unde de propriis bonis vivat, ſtipendium pro Miſſæ celebratione accipere. Non enim illicitum eſt, ut *qui Altari ſervit, de Altari vivat*, ſeu, ut inquit S. Paulus, *qui in Sacrario operantur, de Sacrario edant*, & *qui Altari deſerviunt, cum Altari participent*. Cui generali doctrinæ nullam apponit Apoſtolus diſtinctionem inter Miniſtros Altaris divites, vel pauperes, propria bona habentes, vel eis carentes. Nec diſcordat præſens Eccleſiæ diſciplina, quæ Capellanias, & Beneficia cum onere celebrationis etiam divitibus, & habentibus propria bona conferre non recuſat; ut notavimus etiam in Tr. de Præc. Decal. par. 1. Diſſ. 3. cap. 10. conſ. 11. Nec obſtat, eleemoſynam concedi Sacerdoti propter vitæ ſuſtentationem. Nec adverſatur S. Thom. dum in IV. diſt. 28. q. 3. a. 2. quæſtiuncula 1. ad 4. ſcribit: *Si autem Sacerdos non habeat alios ſumptus, & non teneatur ex officio Miſſam cantare, poteſt accipere denarios*. Nam licet Sacerdos habeat aliunde ſuſtentationem, non per hoc jure privatur accipiendi etiam ex Altari; & cum ſit ſtipendium per ſe ad ſuſtentationem inſtitutum, ſolum per accidens contingit, Sacerdotem divitem illo non indigere. S. Thomas vero ſolum ibi oſtendit, quomodo in accipiendo ſtipendio vitanda ſit ſimonia, & injuſtitia. Nimirum 1. ut non accipiatur tanquam pretium ipſius oblationis. 2. Ut non accipiat, qui alias teneatur ex officio (puta quia Parochus eſt, vel Beneficiarius) Miſſam cantare. Quomodo autem ſine ſimonia accipiatur ſtipendium, oſtendit exemplo Sacerdotis pauperis, cujus ſuſtentationi deſervit ſtipendium; quin tamen per hoc etiam a non indigente ſuſtentatione ſtipendium accipi poſſe inficietur. Solum igitur ex doctrina S. Thom. extundi poteſt, Sacerdotes divites, non indigentes ſtipendio Miſſæ ad ſuſtentationem, & ra-

rius

rius illud accipere debere, ut ſpeciem, ac umbram ſimoniæ evitent; &, ſi accipiant, optime ſibi conſulere, ſi pauperibus erogent.

VIII. Non licet alteri celebrationem Miſſæ committere, retenta a committente aliqua parte acceptæ eleemoſynæ. Avaritia in Sacerdotibus, & benignitas Caſuiſtarum plures laxas invexit doctrinas. Nam aliqui benigniores Theologi abſolute licere dixerunt, poſſe Sacerdotem per alium celebrare, retenta ſibi parte ſtipendii accepti. Verum hanc doctrinam rejecit Sacra Congregatio Cardinalium Conc. Tridentini interpretum juſſu Urbani VIII. per ſua Decreta, in quibus ſic legitur: „ Omne „ damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, „ prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit cele„ brandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem „ Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi „ retenta, celebrandam committat ". Quod Decretum confirmavit & Innoc. XI. pluribus additis reſponſionibus ad propoſita dubia, inter quæ decimum erat: „ An Sacerdotes, quibus aliquando „ offertur eleemoſyna major ſolita pro celebratio„ ne Miſſæ, debeant dare eamdem integram elee„ moſynam iis, quibus Miſſas celebrandas com„ mittant; an vero ſatis ſit, ut dent celebranti„ bus eleemoſynam conſuetam ". Reſp. „ Debe„ re abſolute *integram eleemoſynam tribuere* Sacer„ doti celebranti, nec ullam illius partem ſibi re„ tinere poſſe ". Eadem doctrina extra omnem dubitationem poſita fuit damnatione propoſitionis 9. ab Alexandro VII. proſcriptæ ſic aſſerentis: *Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta*. Denique Benedictus XIV. ſua Conſtitutione *Quanta cura* anni 1741. abuſum deteſtatur aliquorum tam Eccleſiaſticorum, quam Laicorum eleemoſynas pro Miſſis colligentium, quas poſtea aliis celebrandas committunt minori, quam acceperunt, eleemoſyna: quod genus appellat mercimonii ſacrilegi, avaritiæ, & furti crimen complectentis, proinde a pluribus Romanis Pontificibus de Sacrarum Congregationum tum S. Officii, tum Concilii conſilio reprobatum. Et perverſam hanc nundinationem vetat *ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ* contra Laicos, *& ſuſpenſionis a divinis* contra Eccleſiaſticos *ipſo facto* incurrendis, & ſibi, ac Apoſtolicæ Sedi extra mortis articulum reſervatis. Hic igitur ſtatutis, & Decretis reprobatæ ſunt nonnullorum Theologorum doctrinæ, 1. quæ affirmat retineri poſſe ſtipendii partem, ſi largiorem eleemoſynam conſtet datam non intuitu Miſſæ celebrandæ, ſed perſonæ; quia videlicet vel pauper eſt, vel amicus. Nam abſolute, nulla facta diſtinctione, damnata fuit propoſitio, quæ aſſerebat, poſſe partem ſtipendii retineri. Præterea, qui pinguiorem tribuit eleemoſynam, nedum amico, vel pauperi auxiliari, & benefacere intendit, ſed Deo opus magis gratum facere, & plus ſibi mereri. 2. Pariter reprobata manet alia doctrina, aſſerentium licere partem ſtipendii retinere, ſi alter liberaliter condonet. Nam Puntifex in ſua Conſtitutione narrat, ſuos Prædeceſſores „ decreviſſe... non poſſe „ alteri Sacerdoti celebraturo ſtipendium, ſive e„ leemoſynam minorem erogari, *etſi eidem Sacer„ doti Miſſam celebranti, & conſentienti, ſe ma„ joris pretii ſtipendium ſeu eleemoſynam accepiſſe „ indicaſſet* ". Et merito: nam hujuſmodi conſenſus ægre præſtatur, & ex neceſſitate; quia, niſi hac conditione, Miſſam celebrandam non obtineret. Quamobrem eſt integra eleemoſyna tradenda, cujus partem, ſi Sacerdos condonare voluerit, ſponte reſtituat.

IX. Qui ex Beneficio, vel Capellania collativa celebrant, dare poſſunt taxatam eleemoſynam, licet ipſi uberiorem ex reditibus Capellaniæ vel Beneficii conſequantur. Et 1. id conſtat, quia in præfatis Decretis, Conſtitutionibus, & damnatæ propoſitionis proſcriptione ſolum ſermo eſt de manualibus eleemoſynis. 2. Quia ita declaratum fuit in laudato Urbani VIII. & Innoc. XI. Decreto, nec non in Conſtitutione Benedictina. Nam propoſito Sacræ Congregationi dubio: „ Num lau„ datum Decretum de integra danda eleemoſyna „ habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in „ titulum, ideſt an Rector Beneficii, qui poteſt „ per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebran„ ti dare ſtipendium ad rationem redituum Be„ neficii. Reſponſum fuit, *Non habere locum*: Sed „ ſatis eſſe, ſi Rector Beneficii, qui poteſt Miſ„ ſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti ce„ lebranti elermoſynam congruam ſecundum mo„ rem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatio„ ne Beneficii aliud cautum ſit ". Dixi tamen, ſi reditus ex vero Beneficio, ſeu Capellania collativa, ideſt Eccleſiaſtica accipiantur; non vero ſi ex Capellania mere laicali, per quam Nobiles quotidianam Miſſam vel in ſuo privato Oratorio, vel in rurali Eccleſia celebrandam jubent. Nam nec Beneficium eſt Eccleſiaſticum, nec Eccleſiaſtica Capellania; licet fortaſſe eleemoſyna non in pecunia tribuatur celebranti, ſed in frumento, vino, oleo, lignis &c. Sacerdos enim, qui alteri celebrationem committit, eleemoſynam dare debet juxta valorem, quem res illæ obtinebant tempore receptionis, & non ſecundum quantitatem a lege, vel conſuetudine deſignatam.

X. Quoad onera vero Miſſarum perpetuarum, ſive annualium, ſive hebdomadalium, ſive menſilium ſervanda ſunt Sacræ Congregationis Decreta ab Urbano VIII. & Innoc. XI. confirmata. Quæ ſunt hujuſmodi. 1. Ne hujuſmodi Miſſarum onera perpetua acceptentur ab Eccleſiaſticis ſecularibus ſine licentia vel Epiſcopi, vel Vicarii generalis, a Regularibus vero ſine Generalis, aut Provincialis venia in ſcriptis, & gratis concedenda, ſub pœna tranſgreſſoribus interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ quoad ſeculares; & privationis officiorum, vocis activæ ac paſſivæ, & inhabilitatis perpetuæ quoad Regulares, ipſo facto incurrenda. 2. Ut Epiſcopi, & Prælati Regulares, non niſi re accurate perpenſa, & penſatis tum reditibus aſſignatis, tum oneribus impoſitis, licentiam impertiantur. 3. Si Capitale in pecunia, ſive aliis rebus mobilibus tradatur, in bona immobilia, & fructifera impendatur; nec a Superioribus Eccleſiarum, vel privatis Sacerdotibus, quibus datum eſt, obtentu neceſſitatis in alios uſus inſumatur. 4. Bona immobilia tali pecunia acquiſita alienare non poſſint ſine Sedis Apoſtolicæ licentia. 5. Si eadem bona deinceps alienari contingat, vel ad cenſum data, a Cenſuario reſtituatur acceptum pretium, ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ reſpectu ſecularium Sacerdotum, & privationis omnium Officiorum,

rum, ac perpetuæ ad ea inhabilitatis, vociſque activæ ac paſſivæ reſpectu Regularium, verum in alia bona ſtabilia & fructifera, vel legitimos cenſus ut impendantur, mandat. 6. Eleemoſyna pro hujuſmodi perpetuis oneribus non aſſignanda juxta normam manualis ſtipendii, ſed juxta illam pro perpetuis oneribus conſtitutam vel a conſuetudine, vel a ſtatutis Epiſcopalibus, quæ proinde alia, & major eſſe debet, & uberior; cum onus perpetuum plura afferat gravamina, & incommoda. Ita etiam ſtatuit Sacra Congregatio juſſu Benedicti XIII. anno 1725. & refertur in Concilio Lateranenſi ſub eodem Pontifice celebrato, decernens: „ Habendam eſſe rationem, ut reditus, & bona, quæ „ Monaſteriis, & Eccleſiis aſſignantur pro Miſſis „ perpetuis, reſpondeant non eleemoſynæ manuali, „ ſed eleemoſynis perpetuis, taxandis juxta morem „ cujuſque Civitatis, Diœceſis, vel Provinciæ.

CAPUT DECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui aliquid ſupra eleemoſynam taxatam exigit, & legem Eccleſiæ, & juſtitiam violat.*
II. *Quando a culpa, & injuſtitia excuſetur.*
III. *Non licet pro una Miſſa plures eleemoſynas accipere.*
IV. *Qui ſtipendium accepit, Miſſam celebrare ſub gravi tenetur.*
V. *Qui quotidie per ſe celebrare tenetur, num poſſit a celebratione ceſſare.*
VI. *Quinam ſubjaceant pœnis a Benedicto XIV. conſtitutis contra colligentes eleemoſynas pro Miſſis.*

Conſectarium Primum.

I. QUi aliquid ultra eleemoſynam ab Epiſcopo taxatam exigit, nedum Eccleſiæ legem violat, ſed & commutantem lædit juſtitiam. Similiter & qui accepto pro pluribus Sacrificiis ſtipendio nonniſi unum offert. Nam quamvis eleemoſyna pro celebratione data, pretii rationem non habeat; poſita tamen lege Eccleſiæ, quæ ſtatuit, proportionem ſervandam inter miniſteriale opus Sacerdotis conferendum, & eleemoſynam tribuendam, qui legem hanc violat, peccat, & injuſtitiæ reus efficitur. Ita docuit Bened. XIV. de Synodo lib. 5. cap. 9. n. 2. Altera vero pars conſtat ex damnatione propoſitionis 8. ab Alex. VII. lata, quæ aſſerebat: *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre. Neque enim eſt contra fidelitatem, etiam ſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.* Nec licet Sacerdoti pro Miſſa, quam in ſua Ordinatione cum Epiſcopo celebrat, ſtipendium accipere: quia qui eleemoſynam tribuit, Miſſam ad Altare more ſolito celebratam poſtulat, ut animadvertit & Lambertinus de Sacrif. Miſs. ſect. 2. cap. 5.

Conſectarium Secundum.

II. Non licet Sacerdoti uberiorem exigere eleemoſynam pro celebratione Miſſæ 1. nec ratione paupertatis; 2. nec titulo Altaris privilegiati: 3. vel privilegii, ſuæ Eccleſiæ, vel Monaſterio conceſſi: 4. at aliquando pro extraordinario labore. Et quidem non poſſe primo titulo patet: quia Miſſa non eſt ad pauperes Sacerdotes alendos inſtituta; immo e contra, ne Sacerdotes pauperes ſint, & ad paupertatem levandam celebrare cogantur, ſtatuit Eccleſia, ut ad ſacros Ordines non admittantur, niſi qui vel Beneficium, vel ſaltem patrimonium ſufficiens obtineant, quo convenienter ſe valeant ſuſtentare. Nec Sacerdotis paupertas juſtitiam tollit debitam: ſicut enim artifex, quia pauper eſt, non poteſt ultra juſtum pretium ſuo debitum labori exigere; ita nec Sacerdos titulo paupertatis aliquid ultra taxatum ab Eccleſia ſtipendium accipere. 2. Nec titulo Altaris privilegiati, ut perperam aſſerit Bordonius, cujus doctrina ſcandaloſa mihi videtur, utpote quæ mercimonium in re diviniſſima, & plane ſpirituali inducit; & aperte adverſatur citatis Decretis Urbani VIII. & Alex. VII. vetantibus, ne ulla ratione plures eleemoſynæ, præter unam ab Epiſcopo taxatam, exigantur; nec Pontifices, Altaria privilegiata concedentes, indulgentias venales fieri conſentiunt. 3. Non vero titulo privilegii. Nam licet non deſint Theologi, qui affirment conceſſum Benedictinis a Sixto IV., Minimis a Julio II., Minoribus a Leone IX. ut poſſent pro unica Miſſa plures accipere eleemoſynas, & eadem omnibus petentibus ſatisfacere, applicando auctoritate ſua de Theſauro Eccleſiæ ad eorumdem Religioſorum paupertatem levandam, quidquid ex omiſſione Sacrificiorum Animabus minuebatur de fructibus ſibi debitis; modo tamen hujuſmodi privilegia ſublata ſunt Decretis Sacræ Congregationis Concilii, a Summis Pontificibus confirmatis: „ Sacra Congregatio eadem auctoritate „ revocat privilegia, & indulta omnia, quibuſvis „ perſonis, Eccleſiis, & locis piis, tam ſecularibus „ quam Regularibus, cujuſcumque Ordinis, „ Congregationis, & Inſtituti, quamcumque ob „ cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum „ Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, „ aut aliquibus Collectis, ſeu Orationibus plurium „ Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatis„ fiat “. Num vero poſſit aliquis uberiorem petere, & exigere eleemoſynam ratione laboris in celebratione ſubeundi, puto diſtinctione opus eſſe. Si enim labor, etiam major ſubeundus ſit ipſi celebrationi naturaliter adnexus, puta quia Sacerdos eſt valde ſenex, vel infirmus, debilis, vel ratione majoris frigoris, vel æſtuantis caloris, vel Eccleſiæ ventis expoſitæ, & ſimilia, nihil poteſt ſupra conſuetam eleemoſynam exigere: quippe quia hæc incommoda, & moleſtiæ ſunt veluti ipſi Sacrificio intrinſecæ, quas neceſſario ſubire debet, qui celebrat. At, ſi labor ſit ipſi celebrationi omnino extrinſecus, puta quia debet celebrare vel ſummo mane, aut cum cantu, in Eccleſia longe diſſita, & ſimilia, poteſt aliquid amplius exigere; cum labor in hiſce circumſtantiis ſubeundus, & ſit Miſſæ omnino extrinſecus, & pretio æſtimabilis. Poteſt igitur jure pinguiorem eleemoſynam exigere.

Conſectarium Tertium.

III. Non licet Sacerdoti plures eleemoſynas recipere 1. nec ratione diverſæ applicationis fructuum: 2. nec ob applicationem fructus ſpecialiſſimi: 3. nec quia eleemoſynæ tributæ ſunt incongruæ, & nulla taxatum æquat ſtipendium. Et quidem quoad 1. partem refert Fagnanus in 3. Decret. Par. 1. Cap. *Fraternitatem* de Sepult. n. 97. doctrinam ſuo tempore a nonnullis Auctoribus ſubtiliter adinventam, videlicet: ,, Cum valor, ſeu ,, fructus medius Sacrificii, de quo Sacrificans ,, poteſt ad libitum diſponere, dividatur in ſatisfactorium, & impetratorium, ſi quis dat Sacerdoti ſtipendium pro Miſſa cum applicatione fructus ſatisfactorii, & alius eidem Sacerdoti det ,, aliud ſtipendium pro Miſſa cum applicatione fructus impetratorii, poteſt Sacerdos unica Miſſa ,, ſatisfacere utrique obligationi, applicando cuilibet ,, fructum petitum". Deinde ſubdit, ſe hanc ſententiam detuliſſe ad Sacram Congregationem, quæ juſſu Summi Pontificis eam expendit, & reprobavit, declarando, ,, non poſſe utrique obligationi ſatisfacere, & adverſari Decreto Sacræ Congregationis Concilii de celebratione Miſſarum". Secunda quoque pars conſtat ex propoſitione ab eodem Alexand. damnata n. 8. aſſerente: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.* Tertia quoque pars conſtat pariter ex definitione ejuſdem Decreti, in quo dicitur: ,, Ubi pro pluribus Miſſis, ,, etiam ejuſdem qualitatis celebrandis, *plura ſtipendia*, quantumcumque *incongrua & exigua*, ,, ſive ab una, ſive a pluribus Perſonis collata ,, fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, ,, Congregationibus, Domibus, ac Locis piis quibuſcumque, tam ſecularibus quam Regularibus, ,, Sacra Congregatio, ſub obteſtatione Divini judicii mandat, & præcipit, ut abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; ita ut alioquin ii, ,, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quin immo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur". Quod tamen Decretum ita eſt intelligendum, ut Sacerdos ſciens, & volens incongruam acceptaverit eleemoſynam, & Miſſas ſpoponderit. Quod ſi errando incongruam accepit eleemoſynam, quam putavit congruam, quia illam in charta involutam accepit, nec ex urbanitate numeravit, vel numerare non potuit, ſive quia numerando erravit; tunc non tenetur Miſſas celebrare ſibi conſtitutas, ſed poteſt ſolum tot Miſſas celebrare, quot correſpondent congruæ eleemoſynæ: quia non conſenſit in numerum, niſi quia putavit ſibi datam pro ſingulis congruam eleemoſynam, qua proinde deficiente, ad pactum non tenetur. Quod etiam patet ex reſponſione ad 3. dubium: ,, An, cum Ordinarius præſcripſerit ,, eleemoſynam congruam juxta qualitatem loci, ,, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo teneantur Miſſas illas ab offerente præſcriptas celebrare". Reſpondit *Teneri*. Ubi manifeſte loquitur de ſciente, volente, & acceptante ſtipendium minus congruum; non de illo, qui ex errore, & inadvertentia ſimile acceptat ſtipendium. Tenetur tamen, ſi poſſit, offerentem de incongruitate eleemoſynarum certiorem facere; ne falſo credat Miſſas omnes fuiſſe celebratas, unde earum privetur fructibus, vel defunctorum animæ debitis ſuffragiis. At ſi offerens defectum ſupplere recuſet, tunc licebit Sacerdoti Miſſarum numerum ad congruam eleemoſynam æquare.

Conſectarium Quartum.

IV. Sacerdos, qui Miſſæ ſtipendium accepit, vel liberaliter etiam Sacrificii oblationem promiſit, tenetur ſub gravi Miſſam celebrare, & ſecundum legitimas ab offerente præſtitutas conditiones. Et quidem teneri ſub gravi, nemo ambigit. Nam & Sacra Congregatio toties laudata ſub obteſtatione divini judicii mandat, & præcipit, ut abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, *quin immo graviter peccent*, & ad reſtitutionem teneantur. Hinc qui & unius Miſſæ celebrationem omittit, graviter peccat; quia tali omiſſione grave damnum ſpirituale infert offerenti, aut ei, pro quo Miſſa eſſet celebranda, præſertim ſi eſſet defunctus, qui fructibus Sacrificii privaretur. Nec admittenda aliquorum Theologorum limitatio, qui dicunt grave non eſſe peccatum, ſi Sacerdos accepto ſtipendio pro magno numero Miſſarum, pro una, eademque perſona celebrandarum, unam tantum omittat; putant enim in hoc caſu leve eſſe ſpirituale damnum, ex tali omiſſione proveniens, & eleemoſynæ furtum leve ob parvitatem materiæ. Nam, ut optime docet Tournelius de Sacrif. Miſſæ cap. 9. ſect. 5. quæſt. 4. quidquid ſit de furto eleemoſynæ, certe damnum ſpirituale illatum ex tali omiſſione eſt grave; & maxime, ſi ſint pro defuncto Miſſæ celebrandæ, quippe qui fortaſſis tali celebratione a Purgatorii flammis eriperetur. Quoad circumſtantias autem 1. tenetur per ſe celebrare, nec alteri committere, quando eleemoſynam accepit cum hoc onere, quod ſemper ſaltem ex fidelitate annexum videtur ipſi acceptationi eleemoſynæ: non tenetur tamen ſub gravi; quia Miſſa a quocumque Sacerdote celebrata ſemper, ex opere operato, eſt æqualis valoris: niſi forte Sacerdos haberet Miſſam privilegiatam, & hoc ſciat offerens, ideoque ipſi eleemoſynam dat, addita pactione, ut per ſe celebret; tunc enim juſtitiam violaret in re gravi, & grave damnum inferret animæ defuncti ex tali omiſſione, quod compenſare alia celebratione teneretur. Debet etiam celebrare in Eccleſia, vel Altari privilegiato ab offerente deſignato, præſertim ſi id poſtulet expreſſa conditione, qua rejecta, eleemoſynam non daret, ſed alium quæreret Sacerdotem; tunc enim omiſſio gravi culpa non vacaret: ſi vero celebrationem indiceret cum clauſula, ſi poteſt, non niſi venialem culpam committere cenſerem. Celebrare quoque debet Miſſam ſive de requie, ſive votivam, prout ab offerente præſcribitur: variatio tamen in hoc gravem culpam non infert, dummodo celebret pro offe-

rente, & juxta ejus intentionem, quia quælibet Miſſa eſt ſubſtantialiter eadem, & mutatio eſt tantum accidentalis; niſi forte Miſſa ſit privilegiata, c. ex. ſi dicatur de requie pro Defunctis, votiva vero, vel currentis Feſti, careat privilegio. Tempus quoque conſtitutum ſervare debet, quando præſertim urget neceſſitas offerentis; ut ſi roget pro graviter ægrotantis ſalute, pro imminente partu uxoris, pro lite mox tractanda &c. tunc enim, ut diximus, dilatio etiam modica non excuſat a gravi culpa, & debitum etiam inducit reſtitutionis: ſi vero tempus præfinitum non ſit, diu tamen differre celebrationem non poteſt. Sacra enim Congregatio declaravit, tunc ſolum poſſe onera Miſſarum celebrandarum ſumi, quando *infra modicum tempus* poſſit omnibus ſatisfieri: quod modicum tempus alio Decreto ſub die 17. Julii 1654. relato a Lambertino, declaravit eſſe *infra Menſem;* niſi forte offerens admonitus dilationi conſentiat. Hoc autem Decretum, licet privatos reſpiciat Sacerdotes, magis tamen ad Communitates religioſas, ſive ſeculares, ſive regulares pertinet, quibus eodem Decreto diſtincte vetitum eſt, ne ullo modo onera Miſſarum recipiant, quando omnibus infra menſem ſatisfacere non poſſunt. In Ordine vero Prædicatorum ſalubriter conſtitutum eſt Diſtinct. 1. cap. 3. Tex. 1. lit. 9. „ Præſidentibus noſtrorum Conventuum, & aliis, qui hujuſmodi eleemoſynis recipiendis deputati fuerint. *diſtricte præcipimus*, quatenus Miſſarum per ſingulos dies advenientium, earum numerum dumtaxat admittant, quem commode poſſint implere, ne ultra modum gravati, occurrentibus aliis neceſſitatibus providere nequeant; & ne hac occaſione Sacerdotes aut non *admodum diſpoſiti, aut ex conſuetudine potius*, quam devotionis affectu, ad tremendum Altare interim accedant ".

Conſectarium Quintum.

V. Qui quotidie ex Beneficio, vel Capellania celebrare per ſeipſos tenentur, poſſunt aliquando a celebratione ceſſare, quin omiſſas Miſſas ſupplere per alium teneantur. Ita declaravit Sacra Congregatio Concilii die 30. Martii 1699. Interrogata enim, an Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Capellaniæ, Legati, aut ſtipendii celebrare quotidie Miſſam per ſe ipſos, poſſint aliquando a celebratione vacare, & quando, & quoties. Reſpondit *affirmative*, concurrente aliqua cauſa. In quo tamen Decreto nonnulla ſunt notata, & notanda. 1. Siquidem inibi declaratur, Sacerdotes a celebratione vacantes non poſſe pro aliis celebrare, multoque minus ſtipendium accipere. 2. Sacerdotes obligatos quidem quotidie celebrare, *ſed non per ſe*, minime poſſe a celebratione ceſſare, niſi ab alio oneri ſatisfieri curent. 3. Hujus vacationis juſtam eſſe debere cauſam, quæ talis certe non eſt, ſi celebrationem omittat voluptatis captandæ, aut curioſitatis explendæ cauſa, aut ob iter non neceſſarium, aut ut vacet ludis, otio, ſomno, venationibus, & ſimilibus, immo nec convenientia celebrando *pro ſe, vel ſuis*, cum eam excluſerit aperte Sacra Congregatio. Nam interrogationi, num poſſit Capellanus diebus licitæ vacationis celebrare *pro ſe*, vel pro aliis, non accepta eleemoſyna, reſpondit *negative*: ſed ſolum, ſi infirmitas, vel legitimum impedimentum, immo devotionis, & fervoris defectus, qui aliquando ex humana fragilitate etiam piis, & Deum timentibus viris ſubrepit, a celebratione impediat. 4. Quando vero, & quoties ceſſare poſſit, Sacra Congregatio minime definivit. Barboſa, & alii, a Donato noſtro citati, dicunt, poſſe ſemel in hebdomada celebrationem omittere, nulla alia aſſignata ratione, niſi quod, ſi Teſtator, vel Fundator Capellaniæ de hoc fuiſſet interrogatus, minime negaſſet. Verum de ejus conſenſu ambigo, quippe qui ægre tuliſſet ſupra quinquaginta Miſſas in anno omitti; & præſertim ſi aliæ addantur omiſſiones ex infirmitate, vel alio impedimento. Et ipſa Sacra Congregatio ſolum definivit poſſe *aliquando*, idest per *aliquas vices* celebrationem omitti. Porro quinquaginta Miſſarum omiſſio non eſt *per aliquas vices*, ſed *per plures*, & fortaſſis plurimas. Proinde ego non niſi ſemel, vel ad ſummum bis in menſe, hanc vacationem admitterem. Ratione vero infirmitatis quandiu vacare poſſit, non conſentiunt Theologi. Nonnulli enim meo videri nimium coarctant ad octo, vel decem dies: alii nimium dilatant ad duos integros menſes, vel etiam ad totum infirmitatis tempus. Ipſe libenter ſubſcribo ſententiæ Concilii VII. Provincialis Mediolanenſis, in quo dicitur: „ Si Capellanus ſaltem per annum functus ſit munere celebrandi in aliquo loco, ſi etiam *per menſem* ægrotet, adhuc integram eleemoſynam judicio Epiſcopi accipere debet ". Porro hæc infirmitas involuntaria ſit, oportet: alioquin, ſi ſit indirecte volita, ac prævifa, videlicet ob crapulam, ebrietatem, venerem, & ſimilia, nec per diem Capellanus ab onere ſupplendi per alium liberatur; cum ob illius iniquitatem innocens pœnam privationis fructus Sacrificii ſuſtinere non debeat. Sicut nec excuſaretur ab eodem onere, ſi abſtineret, quia prohibitus a Confeſſario ob ſua flagitia, relapſus, pravos habitus, retentas occaſiones proximas &c. Excuſatur tamen, ſi ob fragilitatem lapſus copiam non habeat Confeſſarii, vel cenſura ligatus per ipſum non ſtet, ut abſolvatur.

Conſectarium Sextum.

VI. In Conſtitutione Bened. XIV. vetante ſub pœna *excommunicationis latæ ſententiæ* contra Laicos, & *ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto* contra Clericos, relata cap. præced. n. 8. ne colligantur Miſſæ, quæ alteri committuntur celebrandæ, retenta eleemoſynæ parte, comprehenduntur etiam accipientes Miſſas, & probabilius etiam permutantes, non vero qui unam, aut alteram Miſſam alteri tradit celebrandam exigua retenta eleemoſynæ parte. Nam licet Pontifex de colligentibus loquantur, tamen cum cauſæ prohibitionis æque militent etiam in iis, qui acceptas plures Miſſas aliis tradunt celebrandas diminuta eleemoſyna, & hos comprehendi liquido apparet. Cauſæ enim a Pontifice adductæ, ſunt, 1. Quia eſt contra mentem offerentium, qui eleemoſynam tradunt Sacerdoti pro ſe celebranti, non aliis. 2. Quia eſt quædam mercatura rei ſacratiſſimæ, avaritia, & furtum reſtitutioni obnoxium. 3. Quia retrahit homines ab eleemoſynis pro Miſſis amplius offerendis.

dis. Porro tam qui colligunt, quam qui ſibi datas recipiunt Miſſas, quas celebrandas aliis committunt diminuta eleemoſyna, contra mentem offerentium agunt, quoddam exercent mercimoniam rei ſacratiſſimæ, avaritiæ, & furti rei ſunt, ac reſtitutioni obnoxii, retrahunt fideles ab oblationibus pro Miſſis. Ergo ejuſdem culpæ rei ſunt, eiſdemque pœnis ſubjecti. Et quidem hoc mihi certum videtur. Num vero idem ſit ſentiendum & de illis, qui pinguiori accepta eleemoſyna pro Miſſis, qui ſtatutis diebus celebrare non valent, alteri celebrationem committunt, onere ſibi aſſumpto pro ipſo celebrandi, cum voluerit, non ita liquido apparet: at mihi probabilius videtur iſtos comprehendi, his enim moveor argumentis. 1. Quia per hujuſmodi permutationem Sacerdos nihil aliud intendit niſi lucrum ex illa reportare, & ita ſuo oneri ſatisfacere, ut ſuæ cupiditati, & avaritiæ nullum afferat detrimentum. 2. Quia idem omnino mihi videtur, ac ſi Miſſam daret alteri celebrandam retenta ſibi parte ſtipendii. 3. Quia tota illa eleemoſyna eſt ab offerente data, ut in beneficium cedat Sacerdotis celebrantis, & non alterius; quod in hac permutatione non contingit: qui enim celebrat, nonniſi minorem obtinet eleemoſynam. 4. Denique, quia hujuſmodi permutatio eſt legis illuſio: nam ſub pallio permutationis occultatur diviſio, & diminutio eleemoſynæ; adeoque legis tranſgreſſio, & inobedientia. Quæ tamen abſurda non contingunt, quando permutatio Miſſarum fit de pari eleemoſyna; vel quando ambo Beneficiati Miſſas ex Beneficii obligatione celebrant: cum tunc nullum ſit lucrum, nulla ſit avaritiæ ſpecies, nullum mercimonium, proinde auctor ſum Sacerdotibus, ut periculoſis permutationibus caveant, ne pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis irretiantur. Num vero, qui unam, vel alteram Miſſam, retenta parte ſtipendii, alteri celebrandam committit, eiſdem pœnis vel excommunicationis, vel ſuſpenſionis ſubjaceat, licet aliquis Theologus affirmet, quia adhuc apparet ſtudium avaritiæ, mercimonium, turpis quæſtus, immo & furtum; ſi tamen hæc omnia in tenui quantitate conſiſtant, quæ lethale peccatum non conſtituant, ut quando quis accipit pro duabus Miſſis eleemoſynam quatuor libellarum venetarum, vel juliorum Romanorum, & alteri tres tantum libellas, ſive tres dumtaxat julios tribuit, licet hic habeatur mercimonium, & furtum, cum tamen levia ſint, nec lethalis peccati reum faciant, non puto puniri tam gravi pœna, cujuſmodi eſt vel excommunicatio, vel ſuſpenſio. At contra, ſi tributa eleemoſyna pinguis ſit, puta unius aurei, & non detur celebranti, niſi tenuis taxata eleemoſyna, cum furtum grave ſit, & ſordidum mercimonium, ſaltem dubitari merito poſſet, num cenſuras incurrerit; quia licet Pontifex loqui videatur de hujus mercimonii multiplicitate, & frequentia, & hic non habeatur niſi unus actus; tamen in eo coadunantur abſurda, quæ deteſtatur Pontifex, & eliminata vellet ab Eccleſia, ſcilicet ſordidum mercimonium, turpis quæſtus, avaritia, furtum grave, ſimoniæ ſpecies; proinde culpa cenſuris latis digna committitur.

CAPUT UNDECIMUM.

De loco Sacrificii.

DOCTRINA.

I. *Nonniſi in ſacris locis licet Sacrificium offerre.*
II. *Quando liceat in loco profano celebrare.*
III. *Quando in mari, vel fluminibus.*
IV. *In Oratoriis tum publicis, tum privatis licet celebrare.*
V. *Adempta eſt Epiſcopis facultas concedendi domeſticum Oratorium.*
VI. *Soli Indultarii Miſſam poſſunt in Oratorio celebrandam jubere.*
VII. *Quinam eſſe debet locus Oratorii domeſtici.*
VIII. *Quod eſt ab Epiſcopo viſitandum, & adprobandum.*
IX. *Una tantum Miſſa in privato Oratorio celebranda conceditur.*
X. *Non omnibus diebus licet in Oratorio celebrare.*
XI. *Quinam intereſſe poſſint Miſſæ in Oratorio privato ad ſatisfaciendum præcepto.*

I. CErtum eſt, primis Eccleſiæ ſeculis Pontifices, Epiſcopos, Sacerdotes conſueviſſe Sacrificium offerre, ubi tuto a perſequentium violentia poſſent, proinde in privatis domibus, in cryptis, & ſpeluncis celebraſſe, ut narrant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores, & publica, quæ adhuc extant, monumenta demonſtrant. At data tandem Eccleſiæ pace, certa quædam fuerunt ſemper deſtinata loca, in quibus communiter Sacrificium offerre ſolum liceret; & plura lata ſunt Decreta, Canones, Leges vetantes extra ſacrum locum Miſſam celebrare. Hinc cap. *Nullus* de Conſecrat. Diſt. 1. cap. 12. indicitur: *Nullus Presbyter Miſſas celebrare præſumat, niſi in conſecratis ab Epiſcopo locis.* Et in cap. *Sicut* ib. *Non in aliis, quam Domino ſacratis locis, Miſſas cantare, aut Sacrificia offerre non liceat.* Concilium quoque Tridentinum ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis, & vitandis in celebr. Miſſ. *Mandat Epiſcopis, ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium a ſecularibus, & regularibus quibuſcumque peragi.* Rationem aſſignat S. Thom. in IV. diſt. 13. q. 1. a. 1. quæſtiuncula 6. ſcribens: In hoc Sacramento continetur ille, qui eſt totius ſanctitatis cauſa; & ideo omnia, quæ ad conſecrationem hujus Sacramenti pertinent, etiam conſecrata ſunt, ſicut ipſi Sacerdotes conſecrantes, & Miniſtri, & veſtes, & vaſa, & hujuſmodi: & ideo etiam debet in Altari, & in domo conſecrata celebrari hoc Sacramentum ".

II. Licet tamen de licentia Epiſcopi, & juſta de cauſa etiam in loco profano celebrare, ſolum tamen aliquando, & per accidens. Hæc permiſſio habetur in Jure Canon. Cap. *Miſſar.* diſt. 1. de Conſecrat. cap. 12. ubi ſic legitur: „ Miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, *vel ubi ipſe* permiſerit, celebranda eſſe cenſemus ". Quod & confirmat D. Th. l. l. ſcribens: „ Quamvis in locis profanis cele-

„ celebrare non liceat; licet tamen Epiſcopo concedente". Non obſtat Concilium Tridentinum, lo. cit. mandat Epiſcopis, quod non permittant celebrationem extra loca ſacra: non enim vetat illis, ne unquam permittant; ſed ne regulariter, & permanenter id concedant (nam hoc pertinet ad Summum Pontificem) ſed non prohibet, ne aliquando, & juſta de cauſa concedant: ut ſi infirmus ſit communicandus, nec Viaticum poſſit ab Eccleſia deferri, mandare poteſt Epiſcopus, ut in ejus domo Sacrificium celebretur, & Communio illi adminiſtretur. Multoque magis id licebit ex conceſſione Summi Pontificis, qui & privilegia frequenter impartitur tum Oratorii privati, tum Altaris portatilis. Immo licet Tridentinum privilegium revocaverit Altaris portatilis, pluribus Religioſis Ordinibus conceſſum, & præſertim Ordini PP. ab Honor. III. cap. *in his* lib. 5. Decret. Tit. 33. cap. 30. non abſolute tamen revocavit, ſed ſolum ne eo utantur ſine *Ordinariorum licentia*, ut declaravit Sacra Congreg. Concilii Decreto de Oratoriis privatis, de mandato Clem. XI. die 15. Decembris 1703. Quamobrem concedentibus Ordinariis vetitum non eſſet Regularibus uti privilegio Altaris portatilis. Immo in Jure Canonico etiam ſine Epiſcopi licentia, quæ haberi non poſſit, conceditur celebratio Miſſæ in loco non ſacro, in caſibus tamen ſummæ neceſſitatis. Sic enim legitur Can. *Sicut* l. l. ubi poſtquam ſtatuit „ quod non in aliis, quam in Domino ſacratis locis Miſſas cantare, aut ſacrificium offerre non liceat", ſubdit ſtatim, „ niſi ſumma coegerit neceſſitas". Quando autem occurrat hæc ſumma neceſſitas, ibi quoque explicatur. Nam Cap. *Concedimus* diſt. 1. de Conſecr. cap. 30. dicitur: „ Ut ſi qualicumque modo Eccleſiæ fuerint incenſæ, & combuſtæ, in Capellis (ideſt Oratoriis non conſecratis, ait Gloſſa) cum tabula conſecrata Miſſas interim celebrari permittimus, donec Eccleſiæ ipſæ reſtaurari queant. In itinere vero poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſub dio (ideſt ſub aere, dicit Gloſſa) ſive in Tentoriis, ſi Tabula Altaris conſecrata, ceteraque ſacra miniſteria . . . . adfuerint". Proinde merito docuit S. Thom. l. l. ex ſent. „ Si autem neceſſitas adſit, vel propter deſtructionem Eccleſiarum in aliqua terra, vel in itinere conſtitutis, licet etiam in locis non conſecratis celebrare, dummodo habeant Altare portatile conſecratum, & alia, quæ ad conſecrationem hujus myſterii requiruntur; alias non licet, niſi Epiſcopo concedente".

III. In mari ſine Sedis Apoſtolicæ conceſſione celebrare non licet. Lambertinus de Sacrif. Miſſæ ſect. 2. cap. 1. Sacerdotalis Romani generalem regulam refert, ſtatuentis: *In loco fluctuanti, ut in mari, vel in fluminibus, celebrare non licet alicui*. Quamobrem invaluit, ut in longa navigatione ad devotionem populi fovendam ſicca Miſſa celebraretur, quæ & nautica dicebatur. At hæc merito, ut diximus in 3. Eccleſiæ præcepto cap. 8. conſect. 6. rejecta fuit, & abolita. Rationem autem afferunt Theologi, cur non liceat in mari celebrare, ob periculum ſcilicet effuſionis calicis. Quamobrem hoc ceſſante periculo licere arbitrantur. Ita enim ſentiunt & S. Antoninus, & Joannes Major a laud. Lambertino citati. Ille quidem P. II. tit. 13. cap. 6. ſcribit: *In nulla neceſſitate licet celebrare in mari, vel ſupra fluvium, ubi probabiliter timetur de effuſione Sanguinis propter agitationem navis*. Iſte vero in 4. ſent. diſt. 13. q. 4. dicit: *Cum autem non patet acceſſus rationabilis ad terram, tales excuſantur ab auditione Miſſæ; eſſet enim periculum effuſionis Sanguinis Chriſti, a quo ubi caveretur, poſſet celebrari*. Et revera olim celebratum in mari Sacrificium narrant & Surius in vita S. Ulfrani Epiſcopi Senonenſis, & Cardinalis Baronius, qui, narrato miraculo patenæ in mare delapſæ, & ſancto Epiſcopo mirabiliter reſtitutæ, addit: *Intelligis, Lector, non deſtitiſſe Sanctos viros in mari, cum tranquillitas eſſet, religata anchoris navi, celebrare ibi ſacroſanctum Sacrificium Miſſæ, Deo maxime gratum, quod ipſe tanti editione miraculi patefecit*. At in præſenti Eccleſiæ diſciplina nulli licet in mari celebrare abſque privilegio, & conceſſione Sedis Apoſtolicæ, ut oſtendunt Cardinalis Petra, & Pater Meratius. Nec ſufficit privilegium Altaris portatilis: cum in eo apponatur clauſula celebrandi in *loco honeſto, & tuto*; quod mari non convenit. Privilegium vero hoc non conceditur, niſi pluribus additis conditionibus; nimirum 1. ut navis bene firma ſit, & tuta. 2. Mare tranquillum. 3. in loco a littore admodnm diſſito. 4. Alius adſit Sacerdos, vel ſaltem Diaconus, qui calicem teneat, ne aliquo ſubito motu invertatur. Videri poteſt forma conceſſionis in Brevi Equitibus Melitenſibus conceſſo a Clemente XI. in Bullar. n. 11.

IV. In Oratoriis tam publicis, quam domeſticis licet Miſſam celebrare. Et quidem in publicis Oratoriis, quæ enumeravimus, & deſignavimus in tract. de Eccl. Præcept. de 1. Præcepto cap. 5. n. 3. plures etiam Miſſæ celebrari poſſunt; & inibi celebrationi aſſiſtentes, in quocumque numero, & cujuſcumque conditionis ſint, præcepto Eccleſiaſtico ſatisfaciunt. At non ita in privatis Oratoriis, in quibus facultas celebrandi Miſſam, & eam audiendi ad implendum præceptum, pluribus coercetur limitationibus, & afficitur conditionibus, quas exponere operæ pretium duco.

V. Sublata eſt Epiſcopis facultas concedendi privatum Oratorium, idque ſoli Apoſtolicæ Sedi reſervatur. Id colligitur 1. ex Tridentino Concilio, quod Epiſcopos monuit, ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum cultum dedicata Oratoria, ab iis Ordinariis viſitanda, & deſignanda, hoc Sacrificium a ſecularibus, vel regularibus quibuſcumque peragi. 2. Conſtat ex Epiſtola Encyclica juſſu Pauli V. ad omnes Epiſcopos directa anno 1615. in qua dicitur: „ Tametſi Sacra Cardinalium Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, optimis innixa rationibus, ſæpiſſime reſponderit, celebrandi licentias in privatis Oratoriis, nonniſi a Sede Apoſtolica eſſe concedendas &c. Illuſtriſſimi Patres . . . . . Sanctiſſimi Domini noſtri juſſu ſignificandum duxerunt, *facultatem hujuſmodi, licentiam dandi, ipſius Concilii Decreto ademptam eſſe*, ſolique Beatiſſimo Romano Pontifici eſſe reſervatam". Præterea & ipſis Epiſcopis vetitum eſt in domibus Laicorum Altare erigere, atque in eo Sacrificium vel per ſe offerre, vel ab alio offerri concedere, vel mandare, ut patet ex declaratione Clementis XI. quæ

„ ex

,, ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii
,, Tridentini interpretum, inhærendo declaratio-
,, nibus, alias hac de re editis, expreſſe decla-
,, rat, Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiam
,, Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub præ-
,, textu privilegii incluſi in corpore juris, neque a-
,, lio quoque titulo, nullo modo licere extra do-
,, mum propriæ habitationis, in domibus laicis,
,, etiam in propria Diœceſi, quod fortius intelligi-
,, tur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus ad-
,, hibeatur, erigere Altaria, ibique ſacroſanctum
,, Miſſæ Sacrificium celebrare, ſeu celebrari face-
,, re ". Quando vero id poſſint, dicemus in Con-
ſectariis.

VI. Conceſſo igitur a Sede Apoſtolica privati domeſtici Oratorii privilegio, 1. eſt inſpiciendum, cui, vel quibus hoc detur privilegium, iiſque ſolis poteſtas eſt faciendi, ut Miſſa celebretur. Hi autem, qui & Indultarii dicuntur, ſolum ſunt, ut declaravit Bened. XIV. in ſua Conſtitut. 48. Bullarii T. 3. illi, qui *nominantur in fronte*, ſeu inſcriptione Brevis, quibus non præſentibus Miſſa celebrari non poteſt. Si tamen, ut ſubdit ipſe Pontifex, quis forte in ipſo Brevis corpore nominetur, coram quo Miſſa celebrari poſſit, licet in fronte nomen ejus non legatur, pari tamen cum illis privilegio fruetur. Exemplum ipſe exhibet, ut ſi Breve viro dirigatur, & uxori, eorumque nomina in fronte ſint poſita, & in Brevi dicatur, ut etiam vel viri, vel uxoris parens poſſit facere, ut coram ſe Miſſa celebretur, licet in fronte non recenſeatur, poterit tamen & Miſſam ordinare, illique adeſſe. Hinc falſa apparet quorumdam Theologorum opinio, affirmantium quemcumque ex familiaribus tali privilegio gaudere, quippe quod toti eſt conceſſum familiæ: conceſſum ſiquidem eſt ſolum familiaribus, ut Miſſæ aſſiſtentes præcepto ſatisfaciant Miſſam audiendi, non vero jubendi ejus celebrationem; ut declaravit Sacra Congregatio Cardinalium, quam confirmavit Bened. XIV. an. 1740. qui voluit præfatum Decretum omnibus notum fieri.

VII. *Ut erigatur Oratorium*, duæ ſtatuuntur in Brevi conditiones, alia formam reſpiciens, alia locum. Quoad formam, Oratorium muro circumcingi debet, qui ſit ſaltem ex tabulis calce tectis conſtructus, & ſejungatur ab omnibus aliis locis, ac appareat ſpecialiter ad Sacrificium deputatus. Quamobrem non ſufficit, ſi ſejungatur telis, ſtoreis, aulæis &c. quia clauſula Brevis expreſſe dicit, *in Oratorio ad hoc decenter ex muro extructo, ſeu extruendo*. Debet etiam eſſe ornatum ſacris Imaginibus, & aliis ad celebrationem neceſſariis, videlicet Altari portatili conſecrato, tribus mappis cooperto, Cruce, Candelabris cum cereis, tabellis, pulvinaribus, ampullis cum pelvicula, manutergio, campanula, paramentis cujuſque coloris, calice, patena, purificatorio, palla, corporali, Miſſali &c. nam hæc omnia ornamenta ſunt neceſſaria ad decentem Sacrificii oblationem. Quoad locum vero Oratorii erigi debet in eo ſitu, ſive domus parte, quæ illud reddat *ab omnibus domeſticis uſibus liberum*, ideſt, ubi nihil profanum in eo exerceri oporteat. Quamobrem non eo in loco conſtituendum, quo per ipſum ad quaſcumque manſiones pateat ingreſſus; ex hoc ſiquidem ſequeretur frequens per ipſum familiarium curſus, & recurſus, frequens per ipſum rerum etiam viliſſimarum ad Cameras ſpectantium de loco in locum aſportatio, tranſeuntium pedibus in pavimento relicta immunditia, frequens & continua Altari, & Imaginibus irreverentia; quæ omnia profecto Sacrificio inibi celebrato, & celebrando indecora ſunt. Pari ratione erigendum non eſt Oratorium prope coquinam, vel ſtabulum, vel aliud immunditiarum receptaculum: ab horum ſiquidem propinquitate fumus, fœtor, pulvis, aliæque ſordes ipſum contaminarent.

VIII. Hinc merito indicitur, ut locus prius ab Ordinario *viſitetur*, *& adprobetur*, ac in eo celebrandi *licentia concedatur*, ipſius Ordinarii arbitrio duratura. Non ſunt igitur audiendi Theologi illi, qui cenſent, Ordinario injuſte denegante vel erectionem Oratorii, vel in eo erecto Miſſæ celebrationem, adhuc ipſum erigi poſſe, vel in eo erecto Sacrificium offerri, quia, inquiunt, licentia juſte petita, & injuſte denegata, vel revocata, præſumitur ipſo jure a Pontifice conceſſa. Quod, quantum a vero longe diſtet, patet 1. quia nullus poteſt eſſe judex in propria cauſa; & in dubio præſumendum eſt in favorem Epiſcopi, qui juſtam fortaſſis cauſam habet negandi vel erectionem, vel celebrationem, quam petenti manifeſtare non tenetur. 2. Patet ex damnatione propoſitionis 13. ab Alex. VII. lata, quæ aſſerebat: *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato*: quæ doctrina non alio fulciebatur argumento, niſi prorſus ſimili; videlicet quia facultas audiendi Confeſſiones præſumitur ipſo jure a Pontifice conceſſa. In caſu igitur injuſtitiæ etiam manifeſtæ in deneganda licentia erectionis, vel celebrationis in Oratorio erecto, parendum eſt Epiſcopo, & confugiendum ad Sedem Apoſtolicam, quæ alterum deliget ad viſitationem, & probationem Oratorii, ſi juſtum, & æquum viſum fuerit.

IX. Nonniſi unius Miſſæ celebratio in privato Oratorio conceditur. Quapropter qui ultra unam Miſſam, aliam celebraret, niſi perſonali privilegio donatus eſſet celebrandi etiam in privatis Oratoriis, peccaret mortaliter; ſicut & qui Sacerdotem ad celebrandum induceret; ſicut & qui obtentu novi privilegii in eodem Oratorio aliam pro ſe Miſſam celebrari juberet; cum aperte dicatur in Brevi conceſſionis, *dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit*: tandiu autem eam cenſetur licentiam durare, quandiu ille, vel aliquis illorum vixerit, cui Conceſſionis Breve datum fuit. Hinc quidem vetitum non eſt in pluribus magni Palatii locis plura habere Oratoria ab Epiſcopo viſitata, & adprobata, in quibus modo in uno, modo in altero pro familiæ commodo Miſſa celebretur; dummodo tamen non niſi una celebretur.

X. Aliquibus tamen diebus vetitum eſt in privato Oratorio celebrare. Nam in Brevi dicitur: *Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis D. N. J. C., aliiſque ſolemnioribus anni feſtis diebus exceptis*. Quinam vero, præter nominatim recenſitos, ſint ſolemniores feſti dies, quibus ceſſat Oratorii privilegium, declaravit Sacra Congregatio Rituum 17. Nov. 1607. nimirum *Epiphania*, *Annuntiatio*, *& Aſſumptio B. Virginis*, *Feſtum SS. Petri & Pauli*, quibus alio Decreto

Concilii additum eſt *Feſtum S. Titularis Eccleſiæ loci*. Bened. vero XIV. in ſua Encyclica hos exceptos dies enumerat, *Paſchatis Reſurrectionis*, *Pentecoſtes*, *Nativitatis D. N. J. C. Epiphaniæ*, *Aſcenſionis Domini*, *Annuntiationis*, *& Aſſumptionis B. V.*, *Omnium Sanctorum*, *necnon SS. Apoſtolorum Petri*, *& Pauli*, *ac Titularis Eccleſiæ loci*. Nonnulli Theologi, inter quos eſt Natalis Alexander, cenſent excipiendum Feſtum Corporis Chriſti utpote ſolemniſſimum. Verum hæc exceptio non reperitur nec in Decretis Congregationis, nec in præfata Pontificis Encyclica. Excipiuntur etiam tres poſtremi dies hebdomadæ Majoris, videlicet Fer. V. in Cœna Domini, Paraſceve, & Sabbatum Sanctum, in quibus etiam in Eccleſiis Miſſæ privatæ prohibentur, etiamſi in ipſis Feſtum occurrat Annuntiationis B. V. In Oratorio autem privato vetita intelligitur celebratio Miſſæ in die Feſto Annuntiationis, licet translato, dummodo ſit feſtivum cum obligatione audiendi Miſſam.

XI. Intereſſe Miſſæ in privato Oratorio ad præceptum implendum in die feſto poſſunt omnes, qui ſunt de Familia, quo nomine deſignantur omnes conſanguinei, affines, aliique Nobiles, qui in domo ſunt, & cum Indultario cohabitant, & convivunt; non vero famuli etiam continuo commenſales, & cohabitantes, ut nonnulli cenſent Theologi: De illis enim in ſequentibus ſtatuitur, *ut qui actu ſervitiis neceſſarii non ſunt*, *Miſſam in Eccleſia audire teneantur*. De quibus ſatis diximus in Tract. de Præcept. Eccl. Diſ. 1. cap. 5. nu. 4. Intereſſe etiam poſſunt Hoſpites Nobiles, quo nomine intelligi & eos, qui in eodem loco habitant, & ad menſam tantum invitantur, etiam invitati ad hunc finem, ut frui poſſint privilegio, cenſent plures Theologi. Verum oppoſitum probabilius tenendum, ut docent Diana, & Quarti. Nam hoſpitis nomen, licet extendatur ad quemcumque gratis domi exceptum, tamen proprie advenientem ex alio loco ſignificat. Hos autem nobiles eſſe ex origine, & familia, minime neceſſarium eſt; ſicut requiritur in Indultariis, de quibus in Brevi, dicitur, qui de nobili *genere procreatus exiſtis*. Sed ſatis eſt, ſi nobiles ſint etiam privato, & perſonali titulo, & primus in ſua Familia, de hoc enim verum eſt, eſſe vere nobilem. Non deſunt, qui eo nomine deſignatum intelligunt etiam non nobilem; dummodo tamen nobilis habeatur, quippe qui mechanicas artes non exerceat. At nimium Privilegium de ſe odioſum, & ſtricte interpretandum dilatant: cum enim deſignentur ſolum Hoſpites nobiles, in iſtis non nobilitas exiſtimata, apparens, & umbratilis, ſed vera, licet infima, qualis eſt perſonalis, requiritur. Immo nec ipſi Conſanguinei, & Affines Indultarii gaudent privilegio, ſi jam extra Familiam ſint conſtituti; puta Soror, quæ ſit alteri matrimonio copulata, cum Marito ſeorſim vivat; & licet etiam in una, eademque domo vivant, ſed ſeorſim, & ſuis quoque expenſis, & proprias habeant habitationes, ſervos, menſam; abrupta eſt enim familiaritas, & materialiter tantum loco conjuncti ſunt, non vero unam familiam conſtituunt, ad quam requiritur communis convictus, & menſa. Et hæc de privato Oratorio dicta ſufficiant. Qui plura cupit, adeat Paſqualigo de Sacrif. Miſſæ, at ab ejus benignioribus nimium doctrinis caveat.

CAPUT DUODECIMUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Oratoria publica debent eſſe ſaltem benedicta.*
II. *Quomodo inepta fieri poſſint ad celebrationem.*
III. *Epiſcopis non eſt ſublatum prorſus privilegium Altaris portatilis.*
IV. *Templa, & Oratoria a ſimplici Sacerdote benedici poſſunt.*
V. *In Altari celebrandum eſt.*
VI. *In diebus vetitis celebrare in Oratorio privato nec ad præceptum implendum licet.*

Conſectarium Primum.

I. UT in Eccleſiis, vel publicis Oratoriis liceat celebrare, requiritur, ut ſint ab Epiſcopo, vel alio poteſtate donato conſecrata, vel ſaltem benedicta. Non ſufficit, ut putant aliqui apud Layman T. 2. lib. 5. Tr. 7. de Sacrif. Miſſæ cap. 5. n. 2. quod erecta ſint auctoritate Epiſcopi, ejuſque conceſſione, vel mandato ad Divinum cultum deputata; quia hoc modo jam locus religioſus factus eſt, & a profano ſeparatus. Nam licet hoc verum ſit; Canones tamen, & Concilia ad Sacrificii oblationem ulterius poſtulant conſecrationem, vel ſaltem benedictionem. Sic enim decernitur Cap. *Nemo* de Conſecrat. diſt. 1. cap. 9. *Nemo Eccleſiam ædificet*, *antequam Epiſcopus Civitatis veniat*, *& ibidem Crucem figat*, *publiceque atrium deſignet . . . & poſtquam conſtructa fuerit*, *atrium ejuſdem Eccleſiæ ſancta aqua aſpergat*. In caſu ſolum neceſſitatis, ſi aliæ dirutæ, vel incenſæ forent Eccleſiæ, poterit Epiſcopus concedere, ut in Eccleſia nondum benedicta ſacrum offeratur Sacrificium; cum hoc concedere poſſit, urgente neceſſitate, etiam in loco profano ſub dio, in tentoriis, littore &c. Hæc tamen benedictio non requiritur pro domeſticis Oratoriis: Satis enim eſt, ſi ab Ordinario per ſe, vel per ſuum Vicarium viſitentur, & adprobentur. Novas autem ædificare Eccleſias, vel Oratoria, imponere primum lapidem, figere Crucem, & ædificatam conſecrare, ita ad ſolum Ordinarium pertinet, ut nec Prælatis Regularibus convenire poſſit; & licet olim Honorius III. & Leo X. conceſſerint Regularibus, ut injuſte renuente Epiſcopo ædificationi alicujus regularis Eccleſiæ, vel impoſitioni primi lapidis, vel Crucis erectioni, vel earum conſecrationi facta ſecunda, & tertia petitione, Ordinario adhuc renuente, poſſint alium Epiſcopum vocare, qui ea præſtet; hoc tamen privilegium omnino ſublatum eſt a Tridentino Concilio, vetante Epiſcopis Pontificalia agere in aliena Diœceſi, ut optime obſervat Paſſerinus, citatus a Bremondo in Concordantiis Bullarii Ord. Præd. Licet tamen Prælatis Regularibus proprias Eccleſias, Oratoria, Capitula, Cœmeteria benedicere, cum hoc privilegium a pluribus Pontificibus fuerit illis conceſſum, nec unquam revocatum; ut videre eſt in præfato To. VIII. Bullar. Ord. Præd.

Conſectarium Secundum.

II. Eccleſiæ, & Oratoria, licet ſemel conſecrata, vel benedicta, tamen inepta evadere poſſunt ad Miſſæ celebrationem. Tribus autem modis juris Canonici periti animadvertunt, præfatas Eccleſias, vel Oratoria inepta reddi, videlicet *execratione*, *pollutione*, *interdicto*. Per execrationem omnem amittunt ſive conſecrationem, ſive benedictionem; ideoque iterum benedici debent, vel conſecrari. Per pollutionem ſolum eorum ſanctitas graviter maculatur; proinde ſatis eſt, ſi reconcilientur. Per interdictum vero nec benedictionem deperdunt, nec maculantur; ſed ſolum ad tempus inepta a Superiore declarantur, ut Sacrificio celebrando inſerviant; proinde ſatis eſt, ſi Superior interdictum tollat. Execratio habetur per deſtructionem, vel integram, vel majoris partis Eccleſiæ, ut enim docet S. Th. 2. 2. q. 39. *Omnes conſecrationes Eccleſiæ ſunt immobiles, manente re, quæ conſecratur*. Ea igitur vel realiter, vel moraliter deſtructa, corruit conſecratio, vel benedictio. Polluitur autem Eccleſia non phyſice, & in ſe, ſed moraliter in hominum exiſtimatione. Nam, ut obſervat D. Th. 3. p. q. 83. a. 3. ad 3. *Sicut Eccleſiæ, & Altaria, & alia hujuſmodi inanimata, non ſunt gratiæ ſuſceptiva, ita nec capacia ſunt intrinſecæ, & realis maculæ*. Polluuntur tamen, quatenus in deteſtationem turpis alicujus ſceleris, vel actionis, indigna declarantur ab Eccleſia, ut in iis immaculata offeratur Hoſtia, & ſacrum peragatur miniſterium. Quinque autem modis polluitur Eccleſia, 1. per homicidium; 2. per copioſam ſanguinis effuſionem; 3. per effuſionem ſeminis; 4. per ſepulturam excommunicati; 5. & infidelis. Primus, & tertius modus decernuntur in Cap. *Si motum* de Conſecrat. Diſt. 1. cap. 19. *Si homicidio, vel adulterio Eccleſia ſit violata, diligentiſſime expurgetur, & denuo conſecretur*; ideſt, ut declaratur in Gloſſa, *mundetur per aſperſionem: nam propter ſanguinis effuſionem non reconſecrantur Eccleſiæ, ſed reconciliantur*. Secundus ſtatuitur Cap. *Si Eccleſia* eodem lib. cap. 10. *Eccleſia, cujuſcumque fuerit ſanguinis, vel ſeminis effuſione polluta, aqua protinus tota lavetur*. Quartus modus ſtatuitur Cap *Conſuluiſti* eodem lib. cap. 7. *Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contigerit, reconcilianda erunt aſperſione aquæ ſolemniter benedictæ*. Denique quoad 5. Cap. *Eccleſia* cap. 28. ſtatuitur: *Eccleſiam, in qua mortuorum cadavera infidelium ſepeliuntur, ſanctificare non licet; ſed, ſi apta videtur ad conſecrandum, evulſis corporibus, & raſis parietibus, vel tignis ejus loci, reparetur*.

Quoad prædictas vero pollutiones generatim animadvertendum: 1. Crimina, ſeu turpes actiones eſſe debere commiſſas intra Eccleſiam, vel ejus ambitum; non autem ſat eſt, ſi committantur in loco profano, etiam Eccleſiæ proximo. 2. Eſſe debere non occulta, ſed publica, & manifeſta; ut declarat Gloſſa in cap. *Si Eccleſia* in 6. lib. 3. tit. 31. cap. 5. ad verbum *pollui*, dicens: *Si pollutio fuerit occulta, non debet reconciliari*. Et confirmat S. Antonin. P. III. tit. 12. cap. 6. §. 4. *Quando vitia hæc in Eccleſia commiſſa, ſunt occulta, non indiget reconciliatione*. Notoria autem hæc vitia dicuntur, non ſolum ſi ſint per judicis ſententiam declarata, ſed ipſa facti notorietate: in dubio ad Epiſcopum controverſia eſt deferenda, ejuſque ſtandum judicio. 3. Polluta Eccleſia, cenſetur pollutum & Cœmeterium, ſi ſit eidem contiguum. At non e converſo, polluto Cœmeterio, etiam contigua cenſetur polluta Eccleſia. Si plura ſunt Cœmeteria, pariete medio ſejuncta, licet per eandem partem communis habeatur acceſſus, uno polluto, non cenſetur & alterum pollutum: ita declaravit Bonif. VIII. in Cap. *Si Eccleſiam* in 6. lib. 3. tit. & cap. 1. 4. Celebrantes in Eccleſiis pollutis peccant quidem lethaliter; at nullam canonicam cenſuram incurrunt. Nec audiendi, qui hujuſmodi celebrantes irregularitati ſubjacere affirmant Bonifac. VIII. cap. *Is qui* in 6. lib. 5 tit. 11. de ſent. excommun. dixerit: *Is, qui in Eccleſia ſanguinis, aut ſeminis effuſione polluta, vel qui præſentibus majore excommunicatione innodatis celebrare præſumit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen laqueum non incurrit*. Puniri tamen poſſunt, licet ſint Regulares, arbitrio Epiſcopi. Celebrantes vero in Eccleſia, vel loco interdicto irregularitatem incurrunt; cum Eccleſiaſticam violent cenſuram. Ita Lambertinus de Sacrif. Miſſæ ſect. 2. c. 1.

Quoad ſingula vero crimina, ſeu vitia animadvertendum 1. Ut polluatur Eccleſia homicidio, oportet, ut ſit occiſio hominis violenta, a cauſa libera, & extra neceſſitatem. Hinc 1. occiſio beſtiæ non polluit Eccleſiam; 2. nec occiſio hominis caſualis, vel quia ipſe labatur ex tecto in pavimentum; vel quia forte aliquid ſuper ipſum cadit, licet de manu alterius; quia non eſt occiſio violenta; 3. nec occiſio facta ab amente, furioſo, puero, quia non eſt voluntaria, & a cauſa libera; 4. nec ſi fiat ex neceſſitate, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. Verum cum hoc ſit admodum difficile; ideo Pontaſius, aliique Theologi cenſent, ſemper reconciliandam Eccleſiam: quod & cenſeo ſervandum, ſi occiſio fiat ab ebrio, vel amente habente lucida intervalla, & a puero poſt ſeptennium; vix enim fieri poteſt, ut ſit ſine culpa. Polluitur tamen, ſi ſententia Judicis reus juſte occidatur in Eccleſia: quia licet juſta ſit occiſio, eſt tamen loco ſacro indecens, quia reis non ſupplicii locum præbet, ſed ſecuritatis aſylum.

Effuſio quoque ſanguinis polluit Eccleſiam; ſi violenta ſit, injuſta, & ex gravi vulnere copioſa, licet non fluat ſanguis in pavimentum, ſed vel in veſtes, vel in aliquo vaſe recipiatur; cum adhuc & vera ſit ſanguinis effuſio, & indecora loco ſacro. Et idem dicendum de ſeminis effuſione, quæ procedere debet a cauſa libera, & voluntaria per aliquem actum externum contra pudicitiam. Hinc ſi copula habeatur in Eccleſia, & nulla ſequatur ſeminis effuſio, adhuc polluitur Eccleſia: tum quia eſt injurioſa Eccleſiæ, tum quia per ſe eſt ad effuſionem ſeminis ordinata, licet per accidens non ſequatur. Immo & ipſam conjugalem copulam, licet ex neceſſitate habitam, & non ex libidine, ſed cauſa reddendi debiti, vel amore prolis obtinendæ, nonnullis diſſentientibus Theologis, Eccleſiam polluere affirmat, & docet S. Antoninus 3. P. tit. 12. cap. 4. §. 4. dicens: *Non valet, quod reddere debitum eſt meritorium, quia aliqua ſunt illicita ratione loci, quæ alias de ſe*

ſunt licita: Quia bene ſequitur, reddere debitum eſt meritorium, ergo non meretur pœnam; ſed non ſequitur, quod Eccleſia non ſit polluta. Et addit auctoritatem Dominici a S. Geminiano, docentis, *quod non in omni loco eſt reddendum uxori debitum.*

Ut Eccleſia polluatur ex ſepultura excommunicati, vel infidelis, primo requiritur, ut excommunicatus ſit vitandus, non vero ſi ſit toleratus, licet publicus, & notorius, ſicut nec ſi ſit ſolum interdictus, licet publice denuntiatus. 2. Ut in excommunicatione moriatur, licet pœnitentiæ ſigna dederit, & abſolutionem petierit, quam tamen obtinere non potuit; quia Innoc. III. declaravit cap. *a nobis* lib. 5. tit. 37. de ſent. excom. c. 28. *Excommunicatus, quantumcumque ſigna pœnitentiæ præceſſerint, ſi tamen morte præventus abſolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis abſolutus apud Deum fuiſſe credatur, nondum tamen eſt habendus apud Eccleſiam abſolutus.* Et in Rituali Romano expreſſe prohibetur, ne in duello morientes in loco ſacro ſepeliantur, licet ſigna exhibuerint pœnitentiæ. 3. Infidelium nomine intelliguntur illi, qui nunquam Baptiſmate tincti ſunt. Horum itaque cadavera in loco ſacro tumulari vetat Eccleſia; & ſi in Templo fuerint tumulata, polluitur locus ſacer. Excipiuntur tamen Catechumeni, qui licet baptizati non fuerint, inter infideles tamen minime connumerantur. Mortui vero in ventre Matris Chriſtianæ cum ipſa defuncta ſepeliuntur, quin violetur locus ſacer. Illi vero, de quorum Baptiſmo dubitatur, ceu infideles non ſunt habendi. At ab Eccleſiaſtica ſepultura excluduntur pueri decedentes abſque Baptiſmo, licet ex Catholicis parentibus nati; ut conſtat ex Rituali Romano de Exequiis, ubi declaratur, denegandam Eccleſiaſticam Sepulturam infantibus mortuis abſque Baptiſmo. Sed de his fuſius erudiri cupientes ad juris Canonici Doctores remittimus.

Conſectarium Tertium.

III. Perſeverat adhuc in Epiſcopis privilegium celebrandi in Altari portatili, aliquibus dumtaxat appoſitis limitationibus. Barboſa Alleg. 23. n. 1. oſtendit, Concilii Tridentini Decretis minime ſublatum Epiſcopis Altaris portatilis privilegium. Sic enim ſcribit: „ Sacra Congregatio cenſuit, „ Cardinales, non ſecus ac Epiſcopos, licentia uti „ poſſe Altaris portatilis .... Nec hujuſmodi pri„ vilegium ſublatum fuiſſe ejuſmodi Concilii De„ creto ſeſſ. 22. cap. unico". Verum Clem. XI. ſuo Decreto anni 1703. 15. Decemb. capite præcedente laudato n. 5. oppoſitum ſtatuit. Quo tamen Decreto non fuit omnino ſublatum Epiſcopis Altaris portatilis privilegium; ſed ſolum ad abuſus eliminandos ita limitatum, ut quemadmodum declararunt ſummi Pontifices Innoc. XIII. & Bened. XIV. poſſint eo uti 1. in domibus Laicorum, in quibus occaſione viſitationis, vel itineris hoſpitio excipiuntur. 2. Quando in caſibus a jure permiſſis, vel de ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, abſentes a domo propriæ habitationis, moram faciunt in aliena domo per modum ſimilis habitationis.

Conſectarium Quartum.

IV. Templa, & publica Oratoria etiam a ſimplici Sacerdote benedici poſſunt; conſecrari vero nonniſi ab Epiſcopo. Et quidem benedici poſſe a ſimplici Sacerdote, patet ex Romano Rituali, qui Sacerdotibus hoc concedi licere declarat. Et in jure Canonico dicitur, non eſſe celebrandum Sacrificium, niſi in loco *ab Epiſcopo* vel per ſe, vel *per alium* benedicto. Requiritur tamen in Sacerdote benedicente delegatio, & poteſtas a Superiore commiſſa; pertinet enim hujuſmodi benedictio ad poteſtatem Juriſdictionis Eccleſiaſticæ in loca, quam ſibi uſurpare ſimplices Sacerdotes non poſſunt, nec debent. Quamobrem, dum Prælati Regulares ſua Templa, vel Oratoria benedicunt, id peragunt facultate a Summis Pontificibus illis & conceſſa, & commiſſa per plura privilegia nunquam revocata. Conſecratio tamen ex antiquiſſima, & Apoſtolica conſuetudine ſolis Epiſcopis ita eſt reſervata, ut per ſe ipſos id præſtare debeant, nec ſimplici Sacerdoti demandare: quod tamen præſtare poteſt Summus Pontifex, & aliquando conceſſum refert Bened. XIV. de Synod. lib. 13. cap. 15. n. 4. Num vero valide conſecretur Templum ab Epiſcopis hæreticis, & excommunicatis vitandis, ambigunt Canoniſtæ. Qui affirmant, hac innituntur ratione; quia præfati adhuc valide confirmant, conſecrant, ordinant. Verum hæc ratio omnino valida mihi non videtur; præfata enim munia ſunt charactéri Epiſcopali divino jure, & inſtitutione annexa, & omnino ad Ordinis pertinent poteſtatem. At Eccleſiæ conſecratio, licet ex Apoſtolica traditione characterem ſupponat Epiſcopalem, tamen eſt Eccleſiaſticæ inſtitutionis, & po ius ad juriſdictionis poteſtatem pertinet, qua omnino privari poſſunt, ſicut valide privantur, quando Epiſcopo hæretico excommunicato ſubditi ſubtrahuntur, quos tunc valide abſolvere non poteſt. Pari itaque pacto & facultate conſecrandi Eccleſias ita privari poſſunt, ut conſecratio nec licita ſit, nec valida, & locus potius profanatus dicendus ſit, quam conſecratus. Polluta vero Eccleſia, ſi conſecrata fuerit, nonniſi ab Epiſcopo reconciliari poteſt, ſive Ordinario, ſive delegato: ſi vero ſolum benedicta, a ſimplici Sacerdote, & quidem juxta nonnullos Canoniſtas, inter quos Reiffenſtuel, etiam nulla obtenta ab Epiſcopo facultate, nixus Decretali Greg. IX. incipienti *Aqua* de Conſecr. Eccl. & cum aqua ſolum communi ritu benedicta. At probabilius requiri & Epiſcopi delegationem, & aquam per ipſum benedictam, oſtendit Rituale Romanum ind cens: *Eccleſiæ violatæ reconciliatio fiat per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum*; & confirmant privilegia conceſſa Regularibus pro ſuarum Eccleſiarum violatione tollenda: ſi enim ſimplex Sacerdos id præſtare valeret, fruſtra hocce privilegium Regularibus concederetur. Propterea eis demandatur, ut ad reconciliationem aquam adhibeant a Catholico Epiſcopo, & quidem Diœceſano benedictam, niſi forte ipſam dare renueret: tunc enim conceditur, ut aqua utantur a quocumque Epiſcopo benedicta, qua uti poſſunt, etiam deficiente Epiſcopo, ſive per mortem, ſive per abſentiam, ut pro Ordine Prædicatorum ſtatuit Bened. XIII. in ſua Bulla *Pre-*

tio-

tioſus. Non eſt cenſenda reconciliata Eccleſia, ſi a Sacerdote vel bona, vel mala fide in ea Sacrificium celebretur, ut putant nonnulli Theologi a Diana citati, quorum opinioni non eſt adhærendum.

Conſectarium Quintum.

V. Non in quocumque Templi, vel Oratorii loco celebrandum, ſed ſuper Altare ad hoc inſtructum. Et quidem Sacrificium eſſe ſuper Altare offerendum, patet tum ex Veteri, tum ex Novo Teſtamento, immo & ex Lege naturæ: ſemper enim erecta leguntur Altaria ad ſacrificandum. In nova Lege Altare & fixum, ac ſtabile eſſe poteſt, & mobile, quod & viaticum dicitur: primum ſuæ baſi immobiliter inhæret; alterum vero moveri poteſt, & transferri de loco ad locum. Licet olim adhibita fuerint Altaria lignea, in præſenti diſciplina nonniſi lapidea eſſe poſſunt, & quidem ab Epiſcopo conſecrata per unctionem chriſmatis, & benedictiones in Pontificali deſignatas, & in ipſo recondi debent Sanctorum Reliquiæ. Cum Eccleſia Græca viatica, ſive portatilia non admittat Altaria, ſed ſolum firma, & ſtabilia, eorum loco lintea adhibent, quæ Antimenſia appellant, in quorum angulis Sanctorum Reliquiæ reconditæ ſunt. Iſtis Antimenſiis uti conceſſit Benedictus XIV. etiam Latinis Presbyteris, in Ruſſia Polonica degentibus, dummodo illa a Ruthenis unitis accipiant, & Miſſam latino ritu celebrent; ut videre eſt in ſua Conſtitut. 46. incipiente *impoſito nobis* Bull. T. III. Altari imponenda eſt Crux inter Candelabra, & non quidem nuda, ſed cum Crucifixi figura, nec parva, ut non ita facile occurrat oculis celebrantis, ut docuit Bened. XIV. in Encyclica ad Ordinarios ditionis Eccleſiaſticæ: quæ tamen neceſſaria non eſt, ſi in Tabula Altaris prima Imago exhibeat Crucifixum, ut declaravit Sacra Congregatio. Num vero ſit apponenda, cum expoſita eſt adorationi Euchariſtia, cenſuit Sacra Congregatio, ut quælibet Eccleſia ſuam retineat conſuetudinem. Duo addantur luminaria, vel ex cera, vel ex oleo, & ſolum in neceſſitate ſebacea adhibenda, quæ adeo ſunt neceſſaria, ut ne quidem ad Viaticum moribundo miniſtrandum liceat ſine lumine Sacrificium offerre: numerus tamen, ſicut & qualitas tantæ non ſunt neceſſitatis. Operiri autem debet Altare tribus Mappis mundis, ab Epiſcopo, aliove poteſtatem habente, benedictis, quarum ſuperior ſaltem ita oblonga ſit, ut fere uſque ad terram pertingat; aliæ duæ vero breviores ſint, vel una duplicata. Hæ vero lineæ eſſe debent, vel cannabinæ, non vero laneæ, ſericæ, argenteæ, vel alterius materiæ, etiam pretioſioris. Quia, inquit S. Thom. in iv. Diſt. 13. q. 1. a. 2. quæſtiuncula 5. ad 3. *Linum competit huic Sacramento & propter puritatem, quia ex eo panni candidiſſimi, & facile mundabiles ſunt, & propter multiplicitatem functionum lini, quibus paratur ad hoc, ut ex eo fiat pannus candidus, qui competit ad ſignificandam Chriſti paſſionem*. Unde non deceret de pannis ſericis corporale, & pallas Altaris eſſe, quamvis ſint pretioſiores, nec de panno tincto, quamvis ſit pulchrior. Carentia mapparum impedit oblationem Sacrificii, ut dicitur in Rubricis Miſſalis: numerus tamen non tantæ eſt neceſſitatis, ut, gravi urgente cauſa, omnino Miſſæ impediat celebrationem. Benedictio quoque illarum neceſſaria omnino eſt, & circumſtantia notabilis, cum Epiſcopis, vel aliis poteſtatem habentibus illa reſervetur; quod profecto indicat, rem eſſe non levioris momenti, ſed ſummi, proinde nonniſi in neceſſitate, & quidem gravi, omittenda. Præter tres mappas, & quarta brevior addi debet, quæ corporale dicitur, de quo in ſequentibus.

Conſectarium Sextum.

VI. Non licet in Oratoriis privatis Miſſam celebrare in diebus exceptis, quamvis tota Familia privilegiati Miſſa carere deberet. Contingere poteſt, ut ob inundantes pluvias, vel ob torrentis, vel fluminis tumeſcentiam, vel alia de cauſa non poſſit in diebus ſolemnioribus vel aliquis de familia, aut etiam tota Familia Eccleſiam adire ad Miſſam audiendam; adeoque, niſi adeſſet Oratorium privatum, Miſſæ omittere cogerentur auditionem. In hoc igitur caſu dicimus, adhuc non licere Miſſam in privato Oratorio celebrare, hac, meo videri, firma ratione. Nam præceptum de audienda Miſſa non obligat, niſi juxta ſtatuta Eccleſiæ celebrari poſſit: quamobrem in præfato caſu non liceret vel Altare portatile erigere, vel ſub dio celebrare. Ergo nec in Oratorio privato; nam tunc illud Oratorium eſt locus omnino ineptus ad celebrationem Miſſæ, & in hoc cuicumque profano loco comparatur: quia in illis diebus non ſolum conceſſum non eſt Miſſam celebrare, ſed expreſſe vetitum; proinde foret omittenda Miſſa, & aliis piis operibus ad diei Feſti ſanctificationem huic omiſſioni ſupplendum. At in aliis diebus, quibus conceſſa eſt Miſſæ celebratio, præfatis occurrentibus impedimentis, & illi, qui privilegio non gaudent, Miſſam & poſſunt, & tenentur audire; quippe qui eo meliori, quo poſſunt, modo ſatisfacere debent Eccleſiæ præcepto.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De tempore Miſſæ, aliiſque requiſitis ad celebrandum conditionibus.

D o c t r i n a.

I. *Nonniſi unam in die Miſſam celebrare Sacerdotibus conceſſum.*
II. *Nonnullæ hujus legis exceptiones.*
III. *Quando urgeat neceſſitas bis celebrandi.*
IV. *Non omnibus diebus conceſſum eſt celebrare.*
V. *Qua hora liceat celebrare.*
VI. *Num Regulares privilegiis gaudeant præveniendi horam.*
VII. *Num liceat in die Feſto celebrare ante Miſſam Parochialem.*
VIII. *Quo idiomate ſit Miſſa celebranda.*
IX. *Quibus veſtibus utendum, & quidem benedictis.*
X. *Sunt & ſacra vaſa cum ſuis ornamentis neceſſaria.*
XI. *Nudato capite celebranda Miſſa, & cum calceis, ac ſine anulo.*

I. In

I. IN præſenti Eccleſiæ diſciplina ſingulis diebus nonniſi unam celebrare Miſſam conceſſum eſt. Olim pluries in die Sacrificium offerre Sacerdoti minime vetitum erat, ut ex eccleſiaſticis conſtat monumentis. De S. enim Alberto Monacho narrat Robertus Diaconus, quod factus Presbyter duas in die celebravit Miſſas, pro vivis alteram, alteram pro defunctis: & Walafridus Strabo, IX. ſeculi Scriptor, de Leone III. Summo Pontifice narrat, ſepties, & novies etiam in die conſueviſſe Sacrificium offerre. At ſeculo undecimo diſciplina mutari cœpit. Nam Alex. II. in can. 2. *Sufficit* de Conſecrat. diſt. 1. interroganti, num liceret Sacerdoti binas in die Miſſas celebrare, reſpondit: *Sufficit Sacerdoti unam Miſſam in die celebrare; quia Christus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit. Non modica res eſt, unam Miſſam facere, & valde felix eſt, qui unam digne celebrare poteſt:* quod & iiſdem ferme verbis repetit Honorius III. & Innoc. III. cap. *Contuliſti* de celebrat. Miſſ. ſtatuit: *Excepto die Nativitatis Domini, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam ſolummodo Miſſam celebrare.* Hinc diſciplina invaluit, ut unam tantum conceſſum ſit Miſſam Sacerdoti in die celebrare; adeout, qui & jejunus bis celebraret, reus eſſet lethalis peccati, & irregularitatem incurreret, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii in Placentina die 11. Januar. 1610. referente Ferrario V. *Miſſa* a. 5. n. 11.

II. Ab hac vero generali regula excipitur in univerſali Eccleſia, ut diximus, dies Natalis Domini, in quo ab immemorabili conſuetudine conceſſum eſt, ut quilibet Sacerdos tres Miſſas celebrare licite poſſit, non ſumpta tamen purificatione in duabus prioribus Miſſis; alioquin, fracto naturali jejunio, jam ad alias progredi Miſſas non amplius conceſſum eſt. Binas quoque celebrant in die Miſſas illi, quibus poteſtas facta eſt Miſſam celebrandi ſub initium noctis Nativitatis Domini, licet moraliter ad diem ſequentem pertinere Miſſam Nativitatis appareat: oportet tamen, ut & ipſe jejunus ſit a media nocte præcedente; ideoque ſi Miſſam celebret Vigiliæ Nativitatis Domini, a purificatione ſumenda abſtinere debet. In Hiſpaniarum, & Luſitaniæ Regnis privilegio fruuntur Sacerdotes, ut in die Commemorationis Defunctorum poſſint ſinguli tres Miſſas celebrare, pro quibus tamen nonniſi unius Miſſæ eleemoſynam accipere poſſunt, nec illis ſatisfacere oneribus Miſſarum, pro quibus jam eleemoſynas percepiſſent; ut videre eſt in Bulla Bened. XIV. incipiente *Quod expertis* To. 2. n. 6.

III. Neceſſitas quoque aliquando ita urgere poteſt, ut Sacerdos bis celebrare cogatur. Hanc neceſſitatem agnovit Pontifex Innoc. III. qui eam excepit in ſuo Decreto, plurium Miſſarum celebrationem vetante, cujus verba dedimus n. 1. At quando occurrat hæc neceſſitas, inquirendum eſt. In Gloſſa ad laudatum Innoc. III. Decretum legitur ad illud verbum *neceſſitatis*: *Sed quam dicit neceſſitatem? Reſpondeo, ſi celebravit de die, & poſtea etiam moriatur aliquis .... unde poteſt unam celebrare de die, & aliam pro defuncto.* S. Raymundus addit, *Si ſuperveniat peregrinorum numerus in die feſto, Miſſis jam omnibus celebratis.* Alii addunt, ſi Princeps, vel Epiſcopus ſuperveniat in die feſto, qui Miſſam non audierit, nec ullus ſit Sacerdos, qui non celebraverit. Alii addunt neceſſitatem miniſtrandi Viaticum moribundo. Nonnulli denique coarctant ad Sacerdotem, qui duas Parœcias regit, qui proinde in die feſto bis celebrare poteſt, ne Sacrificio careant Parochiani. Verum hoc poſtremo excepto, de quo poſt pauca, ceteri Caſus non ſunt ſufficientis neceſſitatis, ut poſſit contra Decreta, & Conſuetudinem Eccleſiæ Sacerdos eodem die bis celebrare; cum præcepta tum Miſſæ audiendæ, tum Viatici ſuſcipiendi non obligent, quando impleri non poſſunt, niſi violatis Eccleſiæ ſanctiſſimis legibus: & pro Defuncto bis celebrare in tanta Sacerdotum frequentia contingere vix poteſt, & Miſſa pro illius depoſitione in ſequentem diem poteſt transferri: ſicut & celebratio Miſſæ Nuptialis, ſi forte contingat eo die contrahi matrimonium, quando jam Parochus Miſſam celebravit. Præterea, cum in præfatis caſibus non ſolum bis celebraret Sacerdos, ſed etiam non jejunus, utpote qui inopinate occurrunt; patet non licere unquam hoc pacto celebrare: nam & quando mos erat, ut Sacerdos bis poſſet celebrare, in prima Miſſa a ſumenda purificatione abſtinebat; ut teſtatur S. Petrus Damiani in ep. 28. lib. 5. ſcribens: *De celebrandis vero Miſſarum ſolemniis, nos hanc conſuetudinis regulam in diſciplinatis Eccleſiis & didicimus, & tenemus, ut Calicem differamus in Miſſarum fine perfundere, ſi noſmetipſos eodem die Sacrificium denuo ſperamus offerre.* Supereſt igitur unicus caſus, & a Benedicto XIV. in lib. de Sacrif. Miſſæ, & de Synodo admiſſus, quando ſcilicet unus Parochus, ſive Miniſtrorum inopia, ſive ſubditorum indigentia duplicem Parœciam regere cogitur. Hoc in Europa ſaltem rarum omnino eſt, quandoque tamen contingere poteſt. In Miſſionibus vero apud exteras Gentes, ſive infideles, ſive hæreticos frequentius occurrit. Hæc itaque ſunt tunc obſervanda. 1. Ut nullus alius ſit Sacerdos, etiam non Parochus, qui celebrare poſſit: tunc enim Parochus cetera quidem Paſtoris munia obibit, at Miſſæ celebrationem alteri relinquet Sacerdoti. 2. Ut in prima Miſſa purificationem non ſumat, ut jejunus alteram celebret. 3. Si in loco eſt, ubi habeatur Epiſcopus, ejus licentiam petere debet, & monere de urgente neceſſitate, quam ipſe expendet, num talis revera ſit, & num aliquo modo ſine duplici celebratione queat providere. 4. Ne hæc licentia bis celebrandi eodem die concedatur ab Epiſcopo generaliter, quaſi privilegium alicujus Sacerdotis, ſed tantum in aliquo caſu particulari, neceſſitatis cauſa, ab Epiſcopo examinanda; ut declaravit Sacra Congregatio Cardinalium apud Fagnanum Cap. *In ordinando* de Simonia n. 37. 5. Animadvertit opportune Lambertinus ex Sylvio, non licere huic Parocho Feria VI. in Paraſceve bis Miſſam Præſanctificatorum celebrare: nam cum in prima ſimul cum hoſtia reſervata & vinum in Calice ſumpſerit, jam amplius jejunus non eſt, ut poſſit iterum communicare; & ſi in prima Miſſa ſolum ſumat hoſtiam, ritum Eccleſiæ, & illius diei myſterium violat: ſat proinde eſt, ſi in una tantum Parœcia officium celebret; cum nulla ſit neceſſitas iterandi illius diei officium, cum ad Miſſam illam audiendam non teneantur fideles ullo præcepto vel Divino, vel Eccleſiaſtico.

IV.

IV. Sunt tamen nonnulli dies, in quibus vel abſolute omnibus vetitum, vel non omnibus eſt conceſſum Miſſam celebrare. Hi vero dies ſunt tres poſtremi hebdomadæ majoris, ſcilicet Fer. V. in Cœna Domini, Paraſceve, & Sabbatum Sanctum. Non deſunt Theologi, qui excepta Fer. VI. in Paraſceve putant licere Miſſam celebrare; dummodo in Cœna Domini celebretur, priuſquam incipiatur Miſſæ ſolemnis celebratio, & in Sabbato Sancto poſt ejuſdem celebrationem. At plura obſiſtunt Sacræ Rituum Congregationis Decreta, vetantia in præfatis diebus privatas Miſſas, nec niſi ſolemnem concedentia: quæ omnia confirmavit Clemens XI. ſuo Edicto idibus Martii anni 1712. in quo, poſtquam omnem, ſive ſolemnem, ſive privatam Miſſam celebrare vetuit in die Paraſceves, ſubdit: *Hoc tamen interdicto minime concedit SS. Miſſas privatas celebrare in die Cœnæ Domini, vel Sabbato Sancto, cum id vetitum ſit pluribus, & repetitis Sacræ Congregationis Decretis*, quæ per extenſum a Gavanto, & Meratio referuntur: immo nec Miſſa ſolemnis Fer. V. in Cœna Domini, vel Sabbato Sancto licite decantantur in Oratoriis, ſive Eccleſiis etiam publicis Confraternitatum, in quibus non aſſervatur in Tabernaculo Euchariſtia; ut declaravit S. Congregatio Rituum die 24. Jun. 1659. Quod ſi contingat in aliquo ex præfatis diebus Feſtum vel S. Joſeph, vel Annunciationis, ſiquidem Fer. VI. in Paraſceve, vel Sabbato Sancto occurrat, Feſtum, & præceptum audiendi Miſſam in aliam transfertur diem; ſi vero contingat in die Cœnæ Domini, cum Officium quidem non celebretur, at dies Feſtus habeatur, ſtatuit Sacra Congregatio, per Ordinarios loci accurate providendum, ut eo die aliquæ Miſſæ privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint.

V. Quoad horam vero diei, Miſſalis Rubricæ ſic ſtatuunt, Miſſa privata ſaltem poſt Matutinum, & Laudes, quacunque hora ab aurora uſque ad meridiem dici poteſt, ut enim inquit S. Th. hic q. 73. a. 2. *Regulariter Miſſa debet celebrari in die, & non in nocte... ita tamen quod principium diei accipiatur non a media nocte, nec etiam ab ortu ſolis, ideſt quando ſubſtantia ſolis apparet ſuper terram, ſed quando incipit apparere aurora*. At refert Lambertinus in ſua Inſtit. 12. ſub tribus Pontificibus Clem. XI. Innoc. XIII. & Bened. XIII. petitum fuiſſe, ut Miſſa celebrari ſaltem per tertiam horæ partem ante auroram, & poſt meridiem, & petitioni priores binos Pontifices non annuiſſe, licet Congregatio Cardinalium conceſſioni faveret. Sed demum benigne annuiſſe Bened. XIII., & conceſſiſſe, ut per prefatam tertiæ horæ partem, ideſt per viginti minuta ante auroram, & poſt meridiem, vel præveniri poſſit, vel retardari Miſſæ celebratio: quod & confirmatum fuit ab ejus ſucceſſore Clem. XII. Quoad auroræ tempus, hoc vel ex ipſa phyſice aurora deſumendum eſt; vel ut declaravit S. R. C. die 18. Septembris an. 1634. ubi non eſt aurora phyſice, pro licita Miſſarum celebratione attendatur ea moraliter, & politice, quando ibi terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor, juxta probatam regionum conſuetudinem, quod & de meridie eſt intelligendum.

IV. Plura proferuntur a Scriptoribus Regularibus privilegia, ipſis conceſſa præveniendi, vel retardandi horam celebrationis Miſſæ, & etiam in quodam Martyrologio O. PP. edito 1650. in principio ſub titulo *Peculiaria quædam privilegia O. PP. a Summis Pontificibus conceſſa*, hæ recenſentur conceſſiones. 1. Eugenii IV. concedentis FF. PP. „ ut *de licentia Prælati* poſſint celebrare *ſtatim* „ *poſt Matutinum*, & *poſt meridiem uſque ad no-* „ *nam*, ideſt uſque ad horam tertiam poſt meri- „ diem “. 2. Innoc. VIII., ut *per unam horam ante auroram*, & *poſt meridiem*, nulla tamen habita, de Prælati licentia petenda, mentione. 3. Salmanticenſes privilegium referunt Alex. VI. conceſſum Benedictinis Montis Serati celebrandi duabus horis poſt meridiem, & Eugenii IV. datum Benedictinis Congregationis S. Juſtinæ *tribus poſt meridiem horis*, nec indicta conditione de licentia a Superioribus petenda. Peyrinus refert privilegium Sixti IV. Minimis datum celebrandi *ante diem*, & Gregorii XIII. datum Jeſuitis celebrandi *per horam* ante auroram, & *infra horam* poſt meridiem; ſed *cauſa itineris*, *aut alterius legitimi impedimenti*. La Crux privilegium citat datum Minoribus a Leone X. præveniendi horam celebrationis, ſed nullo deſignato termino, *maxime ratione itineris*. 4. Denique Layman generaliter ſtatuit licere Regularibus omnibus de ſuorum Superiorum licentia celebrare una hora ante auroram, & una poſt meridiem. At, num hæc privilegia vera ſint, fateor me ignorare. Illud pro certo tenendum arbitror, privilegia ab Eugenio IV. a Sixto IV. Innoc. VIII. Alex. VI. Leone X. non amplius vigere, poſtquam Tridentinum ſeſſ. 22. in Decreto *de obſervandis, & vitandis in celebrat. Miſſæ*, mandavit Epiſcopis, ut caveant, ne Sacerdotes *aliis*, *quam debitis horis* celebrent, non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcumque, quibus derogat. Abolita ſunt itaque præfata privilegia. Unum ſupereſt conceſſum Jeſuitis poſt Concilium Tridentinum, limitatum tamen *ad unam horam*, & *cauſa itineris*, *aut alterius legitimi impedimenti*, quod pariter extincta Societate, cum ipſa corruiſſe arbitror.

VII. In Eccleſiis Regularium Miſſæ celebrari poſſunt etiam ante Miſſam Parochialem, & etiam in Oratoriis publicis ruralibus, niſi juſta de cauſa vel Epiſcopus, vel Synodus Diœceſana prohibeat. Et quidem Regularibus prohiberi non poſſe celebrationem Miſſæ ante Miſſam Parochialem conſtat ex pluribus Decretis S. Congregationis per extenſum citatis a Lainenſi T. 3. Tr. 12. quæſt. 44. & a Salmanticenſibus To. 4. Tr. 18. de Privileg. cap. 3. punct. 2. n. 19. quibus fuit ſtatutum, prohiberi non poſſe, quominus Miſſa in Eccleſiis Regularium celebretur ante Miſſam Parochialis Eccleſiæ, & poſſe ſignum dari ejuſdem celebrationis. Quoad Eccleſias vero, & publica Oratoria ruralia plura extant tum Sacræ Rituum, tum Concilii Congregationum Decreta, quæ videri poſſunt inter ſe pugnantia. Hæc tamen, ut probabiliora, ſtatui poſſunt. 1. In præfatis locis poſſe abſolute Miſſam celebrari ante Parochialem. 2. Parochos nullo modo poſſe celebrationem prohibere. Hæc conſtant ex duplici Decreto 1. relato a Meratio in ſua Collect. Decret. To.

To. I. n. 142. & edito die 31. Martii 1624. quo dictum eſt: *Non poteſt prohiberi celebratio Miſſæ in Oratorio ruri ædificato per laicum, antequam celebretur Miſſa Parochialis.* Alterum relatum a Lambertino in ſua Inſtit. 44. n. 12. & 13. & datum a Congregatione Concilii die 28. Jan. 1640. quo declarat, *ſtando in rigore juris, non poſſe abſolute prohiberi celebrationem Miſſæ in Oratorio rurali per Laicum ædificato.* 3. Nec Epiſcopos poſſe generaliter, indifferenter, & abſolute prohibere eandem celebrationem. Et hoc patet ex ſecundo Decreto, in quo abſolute declaratur, ſtando *in rigore juris* non poſſe abſolute prohiberi. 4. Poſſe tamen Epiſcopum in aliquo ex præfatis Oratoriis, vel Eccleſiis vetare Miſſæ celebrationem ante Parochialem ex juſta, & rationabili cauſa; puta, quia Oratorium eſt nimis Eccleſiæ propinquum, vel ſitum in loco plebi obvio magis, & commodo; quamobrem relicta Eccleſia ad illud conflueret, & ſpirituali careret inſtructione. Id patet ex ſecunda parte laudati mox Decreti, in quo poſt allata verba ſubditur: *Sed Epiſcopus pro ſua prudentia procurare poteſt, ut in diebus feſtivis prius celebretur Miſſa in Parochiali Eccleſia, dummodo tamen hora opportuna celebretur.* Legatur de Synodo lib. 12. cap. 7. n. 7.

VIII. Miſſa celebranda eſt idiomate ab Eccleſia conſtituto & adprobato, licet a populo non intelligatur. Hanc veritatem oppugnarunt Lutherani, teſte Joanne Ecchio, obtendentes, ideo morem invectum celebrandi Sacrificium idiomate populo minime intelligibili, ut Miſſæ myſteria ignoraret. Queſnellus quoque hanc conſuetudinem reprobaſſe videtur in ſua 86. propoſitione a Clemente XI. damnata, qua aſſerebat: *Eripere populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.* Sed optime fideles inſtruit Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ cap. 8. dicens: „ Etſi Miſſa „ magnam contineat populi eruditionem, non ta„ men expedire viſum eſt Patribus, ut vulgari „ paſſim lingua celebretur. Quamobrem, retento „ ubique cujuſque Eccleſiæ antiquo, & a Sancta „ Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum matre, „ & magiſtra probato ritu, ne oves Chriſti eſu„ riant, neve parvuli panem petant, & non ſit, „ qui frangat eis, mandat S. Synodus Paſtoribus, „ & ſingulis curam animarum gerentibus, ut fre„ quenter inter Miſſarum celebrationem, vel per „ ſe, vel per alios, ex iis, quæ in Miſſa legun„ tur, aliquid exponant, atque inter cetera ſan„ ctiſſimi hujus Sacrificii myſterium aliquod de„ clarent, diebus præſertim Dominicis, & fe„ ſtis". Hac de re egregiam Paſtoralem epiſtolam edidit Colbertus Archiepiſcopus Rothomagenſis, qua oſtendit, quam juſta, & religioſa ſit Romanæ Eccleſiæ conſuetudo Sacrificium offerendi latino idiomate, in quo ſolum modo celebranda eſt Miſſa in Occidentali Eccleſia, exceptis tamen aliquibus Eccleſiis Iſtriæ, Liburniæ, Dalmatiæ, quibus conceſſum eſt Romano ſervato ritu, Illyrica, ſeu Sclavonica lingua celebrare.

IX. Ad rite Miſſæ Sacrificium offerendum & ſacræ Veſtes ad hoc inſtitutæ, & benedictæ, ſunt adhibendæ. Et quidem non communibus, ſed peculiaribus ad hoc inſtitutis veſtibus, & quidem benedictis, offerendum Sacrificium, nullus eſt, qui ambigat; cum ita aperte, & perpetua Eccleſiæ diſciplina inſtitutum ſit, & ſacris Canonibus imperatum; Cap. enim *Veſtimenta* diſt. 1. de Conſecrat. ſtatuitur: *Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, & ſancta debent eſſe, & honeſta, quibus in aliis uſibus non debent frui, quam Eccleſiaſticis, & Deo dignis officiis.* Hæc autem ſunt *Amictus*, & *Alba*, quæ linea eſſe debent, vel cannabina; *Cingulum*, quod decentius ex lino, & filo ſit, quam ex ſerico; *Manipulus*, *Stola*, ſive *Orarium*, & *Planeta*, ſive *Caſula*, quæ coloris eſſe debent officio, & ſolemnitati congruentis; ſi tamen pretioſa ſint ex auro, & gemmis, pro quocumque officio adhiberi poſſunt, modo nigra non appareant. Benedictionem illis impertiri poſſunt Epiſcopi, non tamen ſimplici Sacerdoti delegare, ut tribus Decretis a Gavanto relatis P. II. tit. 19. declaravit S. Congregatio, & confirmat Lambertinus in ſua Inſtit. 21. ubi refert plurimos oblatos ab Epiſcopis ſupplices libellos Summo Pontifici ad impetrandam poteſtatem delegandi ſimplices Sacerdotes ad paramentorum benedictionem, ipſumque, dum Archiepiſcopatum Bononienſem regebat, per quinquennium impetraſſe. Eadem poteſtate fruuntur Prælati Regulares ex privilegiis pluries conceſſis, & præſertim a Bened. XIII. in ſua Bulla *Pretioſus* confirmatis, ſed eis uti poſſunt ſolum pro ſacris veſtibus ad uſum ſuarum Eccleſiarum inſervientibus, ut declaravit Sacra Congregatio, cujus plura Decreta refert Bremond Tom. 4. Bullar. O. PP. fol. 45. n. 14. Sine ſacris indumentis celebrare abſque gravi culpa non licet, nec ad dandum Viaticum, nec ad mortem vitandam; cum in hoc ſecundo caſu non abeſſet contemptus, & qui cogeret, intenderet ſaltem tacite Sacrorum Rituum, & Sacramenti dehoneſtationem. Si vero aliquod tantum deeſſet, cujus carentia adſtantium oculos non offenderet, in gravi neceſſitate, puta Viatici miniſtrandi, ſine gravi culpa illud omitti poſſe cenſerem. Quod & docere videtur Pontaſius V. Miſſa, caſu 7. ubi ſine caſula celebrari poſſe Sacrificium negat; quod tamen de altarum veſtium defectu non pronuntiat. Idem dicendum & de veſtium benedictione; nam indumentis uti non benedictis peccatum eſt lethale: in neceſſitate autem graviſſima a peccato gravi excuſarem, tum quia in neceſſitate licet & in loco profano ſub dio, in littore &c. celebrare; & nullum occurreret ſcandalum fidelium, cum defectus benedictionis ſit occultus. Sunt qui & cinguli benedictionem omitti poſſe arbitrantur, quia veſtis non eſt: ſed cum ſine benedictione cingulum ſit res profana, omitti non debet, ut fiat res ſacra divino inſerviens miniſterio, & docet etiam Lambertinus Inſtit. 21. n. 12. Celebrantem tamen ſine cingulo benedicto, niſi adſit contemptus, peccati mortalis damnare non auderem.

X. Idonea quoque vaſa ſunt adhibenda ad hoc conſecrata cum ſuis ornamentis. Priora quidem ſunt Calix, & Patena; & licet olim, cum Sacerdotes aurei eſſent, in ſcypho vitreo, & vimineo caniſtro Sacrificium offerrent; modo tamen ex præſenti diſciplina, & Pontificum Decretis aurea eſſe debent, vel argentea ſaltem in cuppa. Sic enim in Jure canonico ſtatuitur Cap. *Ut Calix* 46. diſt. 1. *Ut Calix Domini cum patena, ſi non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem*

vel

vel ſtanneum Calicem habeat. De ære, aut aurichalco non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo Calice præſumat Miſſam cantare. Rubricæ quoque Miſſalis docent: *Calix eſſe debet vel aureus, vel argenteus, aut ſaltem habere cuppam argenteam.* Si argentea ſint Calix, & Patena, inaurata eſſe debent, licet hoc negent Salmanticenſes: ita enim præſcribunt laudatæ Rubricæ ſubdentes: *Cuppam argenteam intus inauratam, & ſimul cum Patena itidem inaurata.* Immo licet Decretum concedat Calicem ſtanneum, tamen puto veram doctrinam Tamburini T. 2. Meth. celeb. Miſ. lib. 1. cap. 1. §. 1. n. 2. aſſerentis, non licere modo Miſſam offerre in Calice ſtanneo, etiam cauſa paupertatis, & neceſſitatis; quia, ut ipſe obſervat, praxis, & conſuetudo jam in re gravi nunc uſurpata, & ab omnibus Eccleſiis recepta, & Rubricæ Miſſalis, quæ ſolum Calicem, & Patenam argenteam admittunt, videntur canonis conceſſionem revocaſſe, & aboleviſſe. Hinc apparet falſam, & improbabilem eſſe doctrinam Sporerii, cum ſuo Gobato aſſerentis, Calicem fieri poſſe ex plumbo, ære, aurichalco, cupro etiam quoad cuppam, dummodo ſit inaurata: nam omnia metalla præter aurum, argentum, & ſtannum laudatus Canon excludit. Debent autem eſſe ſacra unctione conſecrata, cujus vices minime ſupplet oblatio Sacrificii in ipſis vaſis, ſive ex errore, ſive ex malitia. Conſecratio hæc nonniſi ab Epiſcopis jure ordinario fieri poteſt, & quidem valide, & licite in propria Diœceſi; valide vero, at illicite in aliena, quia, ut docet Lambertinus Inſtit. 21. §. 15. cum in his adhibendus ſit uſus Pontificalium, non datur illis hiſce uti in aliena Diœceſi. Ex privilegio autem conceditur & Abbatibus Regularibus; ſed ſolum pro uſu ſuarum Eccleſiarum. Num quoad alias Eccleſias, lis ſub judice eſt, cum ex Decreto Alex. VII. mandatum ſit, ut exhibeant indultum Apoſtolicum, & interim abſtineant. Qui in vaſis non conſecratis ſcienter celebrat, graviter peccat, non excuſante ne quidem gravi neceſſitate: quia inquit S. Tho. in IV. diſt. 13. q. 1. a. 2. quæſtiuncula 5. *Eſſe contra reverentiam Sacramenti, in quo continetur ille, qui eſt totius ſanctitatis cauſa; & ideo omnia, quæ ad conſecrationem hujus Sacramenti pertinent, etiam conſecrata ſunt, ſicut ipſi Sacerdotes conſecrantes, & miniſtri, & veſtes, & vaſa, & omnia hujuſmodi.* Ornamenta autem Calicis ſunt quinque, ſcilicet corporale, palla, purificatorium, velum, & burſa. Tria priora ex lino eſſe debent, pura, & candida, & quidem omnia ab Epiſcopo, vel alio habente facultatem benedicta. Hoc inficiantur de palla, & purificatoriis nonnulli Theologi: quia, inquiunt, in Rubricis nulla eſt mentio benedictionis pallæ, & purificatorii. At 1. quoad pallam fallontur, nam in Rubricis Miſſalis §. 1. n. 1. dicitur: *Burſa intus habeat corporale plicatum, ab Epiſcopo, vel alio habente facultatem, ſimul cum palla, benedictum.* 2. Pallæ, & purificatorii benedictio continetur in benedictione Corporalium. Et revera, ſi veſtes Sacerdotales, quæ tam immediate Chriſti corpus non contingunt, benedictæ ſint, oportet; cur & non benedicenda palla, & purificatoria, quæ proximius ipſum Chriſti Corpus, & Sanguinem contingunt? Ita docent ſaniores Theologi. Velum vero peculiarem non expoſtulat benedictionem.

XI. Nudato capite celebranda eſt Miſſa, & cum calceis. Ita Miſſam eſſe celebrandam ſtatuitur Cap. *Nullus* de Conſecrat. diſt. 1. ubi dicitur: *Nullus Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei aſſiſtere, quoniam Apoſtolus prohibet, viros velato capite orare; &, ſi temere præſumpſerit, communione privetur.* Et in Rubricis Miſſalis indicitur: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Miſſæ ſine expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, non obſtante quacumque contraria conſuetudine.* Hinc nunquam licere uti coma fictitia, vulgo Parrucca, Miniſtris divino ſervitio dicatis, egregie oſtendit Bened. XIV. de Synod. lib. 11. cap. 9. n. 2. & ſeq. Et merito infert, poſſe Epiſcopos omnibus Clericis uſum fictitiæ comæ prohibere, & quidem in ſacris conſtitutis, & Beneficio eccleſiaſtico donatis ſub pœna excommunicationis interdicere. Deinde, quia plures Theologi, præſertim Paſqualigus, & Raynaudus docuerant, licere cum coma fictitia, modeſta tamen, quæ vix a naturali capillitio diſtingui poſſet, Miſſam celebrare; nec comprehendi in canone vetante uſum pileoli; refert in Congregatione particulari, ab Alex. VII. deputata diſcuſſum, utrum pileoli nomine comprehendatur etiam *coma ſuppoſititia;* & reſponſum fuiſſe, *comprehendi*: quamobrem non licere ſine diſpenſatione Papæ illa uti in oblatione Sacrificii, & Innoc. XII. juſſiſſe per ſuos Nuntios Apoſtolicos moneri Ordinarios, ut nequaquam permitterent cum adulterino capillitio ſine Apoſtolicæ Sedis privilegio Sacroſanctum peragi Miſſæ Sacrificium. Peccant igitur, & quidem graviter Sacerdotes, qui non obtenta a Sede Apoſtolica licentia, ſolum ex conſilio unius, alteriuſve Medici obteſtantium grave damnum, & nocumentum ex denudatione capitis, fictitia coma obtecti celebrant. Nec Epiſcopi, aut Legati Apoſtolicæ Sedis poteſtatem habent concedendi, ut Miſſa tecto capite celebretur. Calceati quoque eſſe debent celebrantes; quia ita jubet Rubrica, indicens Sacerdoti, ut *pedibus calceatis* ad Altare accedat; quibus verbis indicat, vetitum eſſe accedere non ſine caligis, ſic enim accedunt omnes Religioſi, qui illis non utuntur; ſed ſine calceis, ideſt nudatis pedibus ſupra, & infra, hoc enim indecens eſt, & indecorum. Quare præfati Religioſi ſaltem in eorum ſacrariis crepidas habent, quas ſandaliis depoſitis aſſumunt, & pedem totum tegunt: qui vero ex proprio inſtituto calceati incedunt, ſaltem venialiter peccarent, ſi non calceis, ſed crepidis contenti, quibus certe induti neminem ſecularem vel viſitationis gratia adirent, ad Altare accedant. Anulum quoque in Miſſæ celebratione geſtare communiter vetitum eſt Clericis, & ſolum Epiſcopis, & Abbatibus benedictis reſervatur. Plura refert Meratius Decreta id vetantia. Nam nu. 1. refert Decretum 9. Decembris anni 1623. indicens, anuli uſum in Miſſa prohiberi Protonotariis non participantibus, & quibuſcumque Doctoribus. Et n. 414. Canonici, quando Miſſam celebrant, de rigore uti poſſunt anulo aureo, ſed ſine gemma, & ſine aliqua effigie.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *In nocte Natalis Domini una tantum celebranda Miſſa.*
II. *Quando liceat in domeſtico Oratorio in feſtis exceptis celebrare.*
III. *Quando nulla adſit neceſſitas vera bis eodem die celebrandi.*
IV. *Non omnibus licet in Fer. V. in Cœna Domini celebrare, nunquam, nec in ficto Sporerii caſu, in Paraſceve.*
V. *Non licet in populi commodum horam celebrationis vel prævenire, vel protrahere.*
VI. *Nec Miſſam, niſi urgente neceſſitate, abrumpere, interpolare, vel repetere.*
VII. *Omnia ad Altaris Sacrificium inſervientia benedicta eſſe debent.*
VIII. *Sine Miſſali libro celebrare non licet.*

Conſectarium Primum.

I. IN nocte Nativitatis Domini non niſi una celebrari poteſt Miſſa, binæ reliquæ ad ſtatutum tempus differendæ. Ita ſtatuit, & declaravit Sacra Congregatio die *9.* Auguſti *1653.* Nam cum quidam Regulares uſum invexiſſent tres celebrandi Miſſas in nocte Nativitatis, hoc non eſſe permittendum declaravit: cumque præfati Regulares aſſererent hoc licere, & ſupplicaſſent audiri, annuit Sac. Congregatio, ipſiſque auditis cum Procuratoribus, & Advocatis, ſtetit in deciſis. Nemo tamen tali die tenetur tres Miſſas celebrare, ſed una contentus eſſe poteſt, quæ ſit conformis horæ qua celebrat. Quare ſi nocte celebret, primam dicere, ſi in aurora, ſecundam, ſi mane, tertiam debet. Puto tamen Parochos ſine ſcandalo non poſſe a trina celebratione abſtinere, niſi omnibus manifeſta appareat cauſa; & tunc per alium Sacerdotem ſupplere devotioni, & neceſſitati populi tenentur.

Conſectarium Secundum.

II. Aliquando in Oratoriis privatis conceſſum eſt quotidie, etiam diebus alias exceptis, celebrare: & tunc licet Sacerdoti celebranti tres Miſſas, ſicut & aliis, recitare in die Natalis Domini. Nam infrequenter viris, præſertim nobilibus, conceditur facultas audiendi Miſſam in diebus ſolemnioribus aliis, in communi pro Oratorio domeſtico Brevi, exceptis; ſed ſub his clauſulis, ut etiam in diebus, ut præfertur, exceptis, *ſi in illis ob infirmitatem domo egredi non poſſint*, in dicto Oratorio prædictam unicam Miſſam celebrare faciant, ac illam cum una perſona, ſervitiis ſuis neceſſaria dumtaxat, audire libere, & licite valeant. Porro illa verba *prædictam unicam Miſſam* dubium invexerunt, num in die Natalis Domini liceret Sacerdoti tres Miſſas celebrare; eo vel magis, quia eo die nonniſi unicæ Miſſæ auditio eſt in præcepto. Et revera ita ſenſere Navarrus, Bonacina, Salmanticenſes, aliique. Verum Sacræ Congregationi Concilii propoſito dubio, an in Oratorio privato, in quo ex cauſa infirmitatis a Sede Apoſtolica conceditur, ut Miſſa die Nativitatis Domini celebretur, tres Miſſas ab eodem Sacerdote celebrari poſſint, vel unica tantum Miſſa ſit celebranda die 20. Januar. anni 1725. hæc prodiit reſolutio ad primam dubii partem *affirmative*, ad ſecundam *negative*. Conceſſum eſt igitur Sacerdotibus etiam in privato Oratorio tres Miſſas eo die celebrare.

Conſectarium Tertium.

III. Miſſam bis ab eodem Sacerdote eodem die celebrari poſſe putant ratione ſufficientis neceſſitatis Ferar. V. *Miſſa* art. 5. n. 19. 1. Si Sacerdoti celebranti poſt conſecrationem hoſtiæ mors, vel morbus ſuperveniat, per quem ab ulteriori celebratione impediatur; tunc alius Sacerdos, qui jam celebravit, illius loco ſubſtitui poteſt. Quod libenter admittimus, cum integritas Sacrificii ſit juris Divini; unica vero celebratio, & jejunium ſit juris dumtaxat Eccleſiaſtici. 2. Quando Sacerdos habet plures Parœcias inter ſe valde diſſitas, & de hoc jam diximus cap. præced. n. 3. 3. Si in partibus Infidelium pauci ſint Sacerdotes, & multi Catholici, ut in Anglia, Hollandia &c. At hoc puto limitandum ad ſolum Parochum, vel ad Sacerdotem, qui, ea expoſita S. Sedi neceſſitate, privilegium obtinuerit bis celebrandi. 4. Si occurrente maxima ſolemnitate tam magnus eſſet concurſus populi, ut omnes in eadem Eccleſia capi non poſſent ad aſſiſtendum ſacro, nullo alio exiſtente Sacerdote. Verum hæc non eſt urgens neceſſitas, nec ſufficiens cauſa bis celebrandi: 1. Quia exiſtentes extra Eccleſiam Miſſam ſufficienter audire poſſunt, licet Sacerdotem nec videant, nec audiant; ut ipſe Ferr. docet cap. 16. n. 14. in magno populi concurſu. 2. Quia eo in caſu Miſſa potius in campo, & ſub dio celebranda eſt, quam bis ab eodem Sacerdote repetenda.

Conſectarium Quartum.

IV. Sporerius aperte docet de Sacrificio Miſſæ cap. *6.* ſect. *6.* §. 2. n. 453. ſimpliciter fas eſſe in Cœna Domini cuilibet Sacerdoti celebrare, ſaltem privatim, immo & publice ex rationabili cauſa, ex. c. ob devotionem populi ſacrum petentis, & ſolemni intereſſe non valentis. Verum hæc aſſertio mihi falſa videtur, utpote praxi, conſuetudini Eccleſiæ, & Decretis Pontificiis plane adverſa, ut oſtendimus cap. præced. n. 4., quibus cedere debet præpoſtera, & inordinata populi devotio. Addit, ſuam doctrinam communem eſſe Doctorum maxime Germanorum. At puto, neminem poſſe tuta conſcientia, relicta aliorum Theologorum doctrina, Germanorum ſententiam ſequi. An autem praxis ſit, & conſuetudo in Germania, ſpretis Pontificum Decretis eo die communiter celebrandi, ut ex Dicaſtillo affirmare videtur Sporerius, videant Epiſcopi Germaniæ, & pro ſuo ſtudio, & pietate provideant. Sed quid dicendum de Sacerdote, qui, ut idem Auctor n. 452. narrat, in *celebri oppido* Germaniæ hoſtiam ſecundam oblitus eſt conſecrare pro ſequenti officio Paraſceves, hic quid agere debet? Officium omittere? Scandalo eſſet, & admirationi. Unam, inquit, accipiat ex particulis jam pro infirmis repoſitis, & cum ea officium peragat. Non abnuo.

Sed

Sed quid, ſi nec particulas pro infirmis reſervavit? Tunc ſi alium habet Sacerdotem, ſubdit, ipſi celebrandam committat ſecreto in die Paraſceves Miſſam de Cruce, vel de Paſſione, in qua duplicem conſecret hoſtiam, quarum alteram reſervet pro Officio ſolemni. Sed nullus alius adeſt Sacerdos. Quid tunc? Ipſe Parochus clam celebret, & non ſumpta purificatione hoſtiam reſervet pro officio. Duplex, utique fatetur, violabit præceptum, & de non celebrando in eo die, & de non bis communicando. At tolerandum potius, quam populo offenſionem præbere. At hæc mihi videntur probabiliſſima deliramenta, non ad removendum ſcandalum, ſed ad tegendam, & incruſtandam damnabilem Paſtoris incuriam contemptu Eccleſiaſticorum rituum, & præceptorum. Nam ſcandalum jam populo datum eſt in Fer. V. in quo in officio Miſſæ præcipitur Sacerdoti, ut duplicem hoſtiam conſecret, quarum alteram non in ipſo Altari reſervet, quod poſt officium eſt omnino denudandum, & aperiendum Tabernaculum, ſed ſeorſim & in ſacello, vel in alio Eccleſiæ loco ſolemniter ornato reponat cum particulis pro infirmis. Vel igitur hoc præſtitit, & jam confictus apparet caſus; vel omiſit, & jam populo nota eſt incuria, negligentia, oſcitantia Parochi, ritum tam ſolemnem omittentis; & jam certi ſunt ſequenti die non poſſe ab ipſo conſuetum peragi officium: immo ſi perficiat, novum orietur ſcandalum in populo quærente, unde hoſtiam majorem conſecratam acceperit, qui nec minorem pro Infirmis habebat? Quod ſi populus ita ſtupidus fingatur, & bardus, qui præcedentis diei non ſenſerit omiſſionem ſolemnis ritus, ergo nec in Paraſceve recitatis pro omni ſtatu Eccleſiæ orationibus, decantata Paſſione, detecta Cruce, adorationi propoſita, non ſentiet omiſſam a Parocho hoſtiæ conſumptionem, cujus pridie non ſenſerat ſolemnem omiſſam reſervationem; & ſic nulla erit neceſſitas duplex violandi Eccleſiæ præceptum ad ſtupidi popelli ſcandalum averruncandum. Sed hæc inſectari inſanire eſt, non alia ratione excuſandum, niſi quia ſapientibus, & inſipientibns debitores ſumus.

Conſectarium Quintum.

V. Non licet ob populi commodum, multoque minus privatæ familiæ, horam celebrationis Miſſæ vel prævenire, vel protrahere. Damnat hoc conſectarium abuſum, de quo conqueritur & Lambertinus in ſua Inſtit. 34. §. 3. n. 6. aliquorum Sacerdotum, qui Capellani munere fungentes in domibus nobilium, domeſtici Oratorii privilegio fruentium, ad eorum petitionem, & commodum, vel ſponte, vel coacti poſt horam ab Eccleſia præſtitutam celebrant. Sciant itaque & hujuſmodi nobiles, & Sacerdotes illis inſervientes lethali ſe peccato gravari, ſi priores velint, poſteriores ſervili adulatione conſentiant Miſſam celebrare poſt meridiem. De hoc abuſu & conqueſtus eſt, ut refert laudatus Lambertinus, Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis in ſua epiſtola ad Bernardum Coepiſcopum de privilegiis, & jure Sacerdotum, ſcribens: „ Increbuit conſuetudo impia, ut pene nul„ lus inveniatur anhelans, & quantulumcumque „ proficiens ad honores, & gloriam temporalem, „ qui non domeſticum habeat Sacerdotem, non „ cui obediat, ſed a quo inceſſanter exigat lici„ tam ſimul, atque illicitam obedientiam, non „ ſolum in divinis Officiis, verum etiam in hu„ manis ". Immo addit laudatus Auctor, hunc abuſum adeo effectum in Galliis intolerandum, ut illum compeſcere regiis edictis oportuerit, ut narrant Pougetius in ſuis catholicis inſtitutionibus, & Boquilotius in Tract. Hiſtorico de Liturgia lib. 2. cap. 6. Addit nec in commodum populi: quia & hoc vetitum eſt a S. Congregatione, epiſtola eidem Lambertino data, qua illi indicitur, ut edicto publico mandet, ne extra horam conſtitutam Sacrificium offeratur, licet id fieret in commodum populi Bononienſis, Imaginem B. V. prodigiis illuſtrem ſolemni ſuplicatione comitantis, dum de una ad aliam transfertur Eccleſiam. Contrarium morem in Galliis vigere ſcribit Tournelius, ſinentibus, & adprobantibus Epiſcopis. Num legitima ſit hæc conſuetudo, expendant doctiſſimi illorum Regnorum Theologi. Præveniri etiam poſſet hora Miſſæ celebrandæ, ſi Viaticum eſſet moribundo adminiſtrandum.

Conſectarium Sextum.

VI. Miſſam, niſi gravi urgente neceſſitate, abrumpere, interrumpere, repetere non licet. Et primo quidem, ſi ſermo ſit de integra abruptione, manifeſte patet ſine ſacrilegio fieri non poſſe, nec ante conſecrationem: nam ſi indecens foret gravis negotii cum Principe tractationem inceptam intercipere, vel abrumpere; multo magis indecens eſſet ſacrilegium, inceptum offerri Deo gratiſſimum Sacrificium abrumpere. Ita in Concil. Tolet. VII. relato in Decret. 7. q. 1. Cap. *Nihil* indicitur: *Nullus abſque procinctu patentis moleſtiæ Miniſter, vel Sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere. Si quis hoc temerariæ præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit*. Solum licebit ante conſecrationem ab incepto Sacrificio ceſſare, ſi Sacerdos advertat ſe vel non eſſe jejunum, vel eſſe lethali culpa inquinatum vel aliqua cenſura devinctum, & poſſit ſine ſcandalo recedere; ut in ſuperioribus diximus, & docet D. Th. hic q. 83. a. 6. ad 2. Licet tamen abrumpere, ſi ſuperveniat excommunicatus vitandus, qui expelli non poſſit; vel Eccleſia execretur, aut polluatur. Quod ſi hæc poſt inceptam conſecrationem contingant, poterit Miſſam proſequi uſque ad conſummationem, deinde reliqua in Sacriſtia, vel alio loco ſacro ſupplere, ut jubent Rubricæ Miſſalis. Abruptio quoque licita eſt etiam poſt conſecrationem, ſi inſtet periculum mortis vel ob Templi ruinam, vel ob hoſtium repentinum incurſum; facta enim conſecratione ſtatim licebit Corpus, & Sanguinem Domini ſumere, & ad tutum locum ſe recipere. Quid, ſi hoc periculum immineat poſt conſecrationem Hoſtiæ, tenetur ne periculo ſe exponere imminentis mortis, ut ſacrificium conſecratione Calicis perficiat? Putarem non teneri, ſed conſumpta hoſtia periculum fugere, ut ſentiunt Toletus, Suarexius, aliique a Lambertino citati de Sacrif. Miſſ. ſect. 2. cap. 10. qui tamen mentem ſuam in hac quæſtione non aperit. Ita ſentio, quia difficile admodum mihi videtur, poſſe Sacerdotem in tanta, & tam ſu-

ſubita perturbatione recte, & rite conſecrationem Calicis peragere; & periculum foret, ne & Sacerdos periret, & ſimul ſacrificium imperfectum remaneret. Teneretur vero complere, ſi infidelis mortem minitaretur, niſi Sacrificium abrumperet; hoc enim eſſet & in odium fidei, & in contemptum Myſterii. Interrumpere autem ante Offertorium licet, ſive ob ſermonem audiendum, ſive ob ſacram, & Eccleſiaſticam functionem perficiendam, puta conferendi Ordines, admittendi Profeſſionem, vel etiam confitendi peccatum oblitum, vel obtinendi abſolutionem a cenſura, vel alia juſta, & rationabili cauſa. Poſt conſecrationem vero licitum eſt Miſſam abrumpere ad Oleum infirmorum conſecrandum in die Cœnæ Domini, ut præſcribit Romanum Pontificale. Licet etiam ad baptizandum infantem, vel abſolvendum hominem jamjam moriturum; & etiam ad Extremam Unctionem miniſtrandam, ſi tamen infirmus ſit præſens in Eccleſia, vel etiam, ut aliis placet, extra Eccleſiam, ſi aliud ſacramentum non poſſit recipere, & vel ſit, qui interim Euchariſtiam cuſtodiat, vel poſſit in Tabernaculo reponi ad complendum poſtea Sacrificium. Repetere jam inceptam Miſſam ad ſatisfaciendum pluribus obligationibus, ut olim fiebat in Miſſis, quas bifaciatas, trifaciatas, quadrifaciatas vocabant, quia toties repetebatur Miſſa ab initio uſque ad Offertorium, vetitum eſt omnino, & interdictum ſub gravi culpa, & definitum per illas diſtinctis non ſatisfieri oneribus, & celebrandi obligationibus, ut jam omnibus notum, compertumque eſt, quin ullus ſit ambigendi locus. Solum ambigitur, num incepta Miſſa, & uſque ad Offertorium producta, liceat ob adventum vel frequentis populi, vel peregrinorum, vel alicujus Principis, vel Epiſcopi, Sacerdoti iterum Miſſam inchoare, ut præfati Miſſam audire poſſint, & in die feſto præceptum Eccleſiæ implere. Sunt qui nec dubitant, cum nec inceptam Miſſam adhuc arbitrentur, quam in ſolo Offertorio inchoari autumant, & præſertim ſi præfati id enixe flagitent. At puto non recedendum a doctrina Natalis Alexandri, docentis id non licere, & quidem ſatis probabilibus momentis, & venerabili auctoritate. Ex primo enim capite obſervat, hanc repetitionem indecoram eſſe Sanctiſſimo Sacrificio, jam vere incepto, & *potior*, ſcribit, *eſſe debet ordo Sacrificii, quam hominum quavis dignitate conſpicuorum commoda; & vix id fieri poteſt abſque Chriſtianæ plebis offenſione. Præterea via pateret abuſui, & Sacerdotes lucri cupiditate, reverentiæ, vel amicitiæ cauſa, aut etiam metu alicujus incommodi, pro Nobilium & Potentum voluntate, Miſſam interrumperent, & ab Introitu reſumerent*. Addit auctoritatem Concilii I. Mediolanenſis, vetantis, ne Sacerdotes, cum ad Altare acceſſerint, *ibi in mora ſint Sacrificio, cujuſvis expectandi gratia, neve ob eandem cauſam in Miſſa inchoata ſubſiſtant, aut ejus initium repetant*.

Conſectarium Septimum.

VII. Omnia, quæ ad Altaris Sacrificium ſunt ordinata, benedicta eſſe debent; nec omnibus conceſſum eſt Sacra Vaſa tangere. Præter recenſita Veſtimenta, & Vaſa, quæ communiter adhibentur pro Miſſæ celebratione, ſunt & alia, quæ adhiberi ſolent aliquando, & debent ad majorem ſolemnitatem, nimirum Pontificalia ornamenta, Miniſtrorum Veſtes, Dalmaticæ, & Tunicellæ, Pluviale, ſicut & Vaſa, in quibus Sacramentum ſervatur, vel populi veneratione exponitur. Omnia præfata eſſe debent ab habente poteſtatem benedicta, ut patet manifeſte, tunc ratione cap. præced. n. 8. allata, quia cum fine illa benedictione res ſint de ſe profanæ, debent divino cultui dedicari per conſecrationem; tum etiam auctoritate, quia in Romano Pontificali habetur titulus ſpecialis benedictionis cujuslibet indumenti, & in Oratione recitantur Caligæ, Sandalia, Amictus, Alba, Cingulum, Stola, Manipulum, Tunicella, Dalmatica, Planeta; & licet nulla ſit mentio ſive Pluvialis, ſive Superpellicei, hæc tamen eſſe benedicenda conſtat ex ipſa Oratione, in qua poſtulatur, ut Pontifices, Sacerdotes, Levitæ illis induti ... ſacris Myſteriis apte, & condigne ſervire mereantur. Cum itaque præfata indumenta ſint deſtinata ad Deo ſerviendum in ſacris Myſteriis, benedictione ſanctificari debent; ſicut & Pyxis, in qua Sacramentum aſſervatur, & Oſtenſorium, in quo populo proponitur adorandum. Hinc in Rituali & Pontificali præſcribuntur Orationes pro benedictione ſacrorum Vaſorum in communi, deinde in particulari pro benedictione Tabernaculi, ſeu Vaſculi pro Sacroſancta Euchariſtia conſervanda; licet autem in horum benedictione non adhibeatur unctio; puto tamen fieri non poſſe niſi ab Epiſcopis, vel aliis ad hoc facultate donatis, ut colligitur, cum quia præfatæ Benedictiones in Romano Pontificali recenſentur, tum quia & in ipſo Romano Rituali benedictio Vaſculi pro ſacra aſſervanda Euchariſtia ponitur inter *benedictiones ab Epiſcopis, vel aliis facultatem habentibus* faciendas. Legatur Lambertinus Inſtit. 21. n. 12. Quod ad contactum vero Vaſorum Euchariſtiam actu continentium, certum eſt, non licere niſi Sacerdoti, & Diacono illa attrectare, adeout a mortali non excuſentur ſive Laici, ſive inferiores Clerici, ſi illa audeant vel ex levitate, vel ex temeritate contrectare. Quando vero vacua ſunt, ſtatutum eſt in jure Canon. Cap. *in Sancta* de Conſecrat. diſt. 1. cap. 45. „ Sacra Vaſa non ab aliis, quam „ a ſacratis, Dominoque dicatis contrectentur ho„ minibus. Indignum enim eſt, ut ſacra Domini „ Vaſa, quæcumque ſint ... ab aliis quam a Do„ mino famulantibus, eique dicatis, tractentur „ viris". Quinam autem ſint, qui Domino famulantes poſſint licite ſacra Vaſa contectare, non conſentiunt Theologi. Omnes quidem concedunt Subdiaconis, & in ſuperiori Ordine conſtitutis. Nonnulli id concedunt Acolythis, extra Altare tamen, & tempus Sacrificii. Plures hanc conceſſionem ad omnes Clericos extendunt, etiam ſola prima Tonſura initiatos, dummodo id faciant debita reverentia & rationabili cauſa. At certum eſt, a Canonibus vetitum inferioribus Subdiacono Clericis hæc ſacra Vaſa tangere. Nam in loco ex jure Canon. mox citato Cap. *Non licet* 31. ſtatuitur: *Non licet cuilibet ex Lectoribus ſacra Altaris Vaſa portare, niſi qui Subdiaconi fuerint ordinati*. Ita ſentiunt S. Antoninus, Laymanus, Donatus, pluresque alii Theologi. Et confirmatur praxi Eccleſiæ, quæ aliquando inferioribus

ribus

ribus Clericis facultatem impertitur ſacra Vaſa attrectandi, quod profecto indicat, ipſis de jure non convenire. Quod ſi ſine licentia, & privilegio tractant, dummodo præſtent debita reverentia, ſolius venialis peccati reos fieri arbitror. Fœminis vero etiam Deo ſacratis, & Monialibus vetitum eſſe conſtat ex jure Canon. l. l. Cap. *Sacratas* 25. ubi indicitur: *Sacratas Deo fœminas, vel Moniales Sacra Vaſa, vel ſacras pallas penes Vos contingere perlatum eſt ad Sedem Apoſtolicam, quæ omnia reprehenſione plena eſſe, & vituperatione, nulli recte ſapientum dubium eſt. Quamobrem hujus Sanctæ Sedis auctoritate hæc omnia vobis reſecare funditus, quantocius poteritis, cenſemus.* Laicis vero univerſim ſacra Vaſa contingere vetitum eſt, etiam Religioſis, quibus ſolum, dum Subſacriſtæ funguntur officio, de ſuorum Prælatorum mandato, ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, facta Fratribus tum Minoribus, tum S. Auguſtini Heremitanis, ea contrectare permiſſum eſt: quod privilegium nonnulli & ad Moniales tum choro addictas, tum Converſas extendunt, quando Sacriſtiæ præſunt, vel aſſiſtunt; quod tamen non puto admittendum; nam, ut vidimus, hoc illis vetitum eſt, & certe quotidianæ praxi reperitur adverſum.

Conſectarium Octavum.

VIII. Non eſt ſine miſſali libro Sacrificium offerendum. Ita ſtatuunt Rubricæ; nam de defectibus §. 10. n. 1. clare indicitur, non poſſe, nec debere Sacerdotem celebrare, *ſi non adſit Miſſale, licet memoriter ſciret Miſſam, quam intendit dicere.* Non deſunt Theologi, qui vel hunc defectum levem putant, vel non tanti momenti, ut ſaltem in neceſſitate ſine illo celebrari non poſſit, puta ſi populus Miſſa in die feſto carere deberet, vel ſi Viaticum eſſet moribundo miniſtrandum. Verum adhuc non puto licere, quia præfata præcepta non obligant, quando juxta ritum, & ſtatuta Eccleſiæ nequeunt adminiſtrari Sacramenta. Præterea non ſine offenſione fidelium celebraretur Sacrificium ſine miſſali libro, quæ magis augeretur, ſi, ut contingere ſolet in ſimilibus caſibus, Sacerdos ob turbationem, vel oblivionem cogeretur verba mendicare, mutare, minuere, confundere, repetere, dimidiare; quod non infrequenter accidit, quando, quæ legi ſolent, debent memoriter recitari. Ideoque & S. Antoninus 3. p. tit. 3. cap. 6. ſcribit: „ Si aliquid eorum defuerit, „ quæ requiruntur ad ritum celebrationis, ut Ca„ lix, Patena, Altare, lumen, vel aliqua veſtis „ ſacra, ut Manipulus, Stola, potius debet dimit„ tere Miſſam, etiam in die feſto, quam celebra„ re; quia ſic celebrando advertenter peccaret „ mortaliter. Et idem credo celebrando *ſine Miſ„ ſali*, ſeu Libro, in quo ſit ſaltem Canon; alia „ mente retenta dicendo: Nam talis ſe exponit „ periculo errandi in verbis Canonis, immo & „ Conſecrationis, cum & optimæ memoriæ viros „ aliquando fallat memoria; tum etiam quia fa„ cit contra generalem Eccleſiæ conſuetudinem". Supplere tamen poſſet defectum Miſſalis, ſi tota Miſſa in pagella deſcripta haberetur, ſaltem in caſu neceſſitatis. Quodlibet tamen Miſſale præſertim in præfatis caſibus licite adhiberi poteſt; quamvis qui Romano utuntur Miſſali, non habeant niſi proprium alicujus Ordinis, & viciſſim, cum vel nulla ſit differentia, vel exigua: & ſi qua ſit in Canone mutatio, hæc levis eſt, & facile emendari poteſt a Sacerdote, qui ſecreto dicente facilius mutationem poteſt advertere, & ſine turbatione emendare. Quod confirmat & praxis Eccleſiæ, quæ Religioſis cæcutientibus celebrationem quidem concedit, ſed cum clauſula, *dummodo memoriter non recitent*; & omnino cæcis vel abſolute poteſtatem denegat celebrandi, ut teſtatur Lambertinus, vel rariſſime impertitur, & appoſita conditione, *cum aſſiſtentia* alterius Sacerdotis.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

De Partibus, Ritibus, & Rubricis Miſſæ.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Miſſæ partes præcipuæ enumerantur.*
II. *Qualis culpa ſit illarum omiſſio.*
III. *Ritus ab Eccleſia inſtituti ſunt diligenter cuſtodiendi.*
IV. *Similiter & Rubricæ ſervandæ.*
V. *Matutinum ante Miſſam recitandum.*
VI. *Ablutio manus Miſſæ præmittenda.*
VII. *Quomodo ſupplendum abruptum in conſecratione Sacrificium.*
VIII. *In vino ſumenda purificatio.*
IX. *Sumenda eſt hoſtia in ipſo Sacrificio conſecrata.*
X. *Miſſa eſt exteriori devotione celebranda.*
XI. *Multoque magis interiori.*
Reflexio.

I. QUatuor in partes communiter Miſſas a Liturgicis Scriptoribus dividitur. 1. Pars, quæ & Miſſa Catechumenorum dicitur, ab initio uſque ad Offertorium protenditur. 2. ab Offertorio uſque ad Canonis initium. 3. A Canone incipiens deſinit in Communione. Poſtrema denique pars eſt, quæ Communionem conſequitur uſque ad finem. Harum partium quælibet ad perfectionem Sacrificii adeo neceſſaria eſt, ut nulla omitti poſſit, niſi fortaſſis poſtrema, vel urgente Eccleſiæ lege, quæ præcipit, ut diximus, Sacerdotem ab Altari diſcedere peracta Communione, ſi advenisſet Excommunicatus vitandus, qui expelli non poſſit, vel premente neceſſitate, ſi immineret vel Templi ruina, vel hoſtium incurſus.

II. Nec harum partium ex negligentia, vel malitia portio aliqua, vel minima, ſine culpa omitti poteſt, quæ gravior, vel levior eſſet exiſtimanda juxta & ipſius particulæ dignitatem, & populi adſtantis offenſionem, & admirationem. Hinc profecto, qui Confeſſionem ante Introitum omitteret, vel Epiſtolam, aut Evangelium, vix a gravi culpa excuſari poſſet ob plebis offenſionem: at non ita, ſi aliquem vel Tractus verſiculum, vel collectam. In ſecunda vero parte, quæ ad Offertorium ſpectat, profecto oblationis Panis, & Calicis, & Præfationis omiſſio gravem culpam conſtituit, tum ob rei omiſſæ dignitatem, tum ob populi apertam offenſionem; non vero alicujus Collectæ ſecreto dicendæ. In tertia vero parte quælibet omiſſio (niſi forte leviſſima ſit, puta nomen alicujus

cujus Sancti) a mortali excuſari non poteſt, etiam ſi ſit verborum; quia facile immutatur, & corrumpitur ſignificatio, quæ omnia maximi ſunt momenti in ea parte. A mortali excuſant nonnulli Theologi omittentes, etiam ex negligentia, ea quæ in præcipuis quibuſdam Feſtivitatibus adduntur Orationi *Communicantes*. In poſtrema denique parte eadem eſt habenda ratio, quam tenendam diximus pro prima parte. Quare culpa gravi non vacaret omiſſio Evangelii S. Joannis, cujus lectio, licet olim in uſu non fuerit, modo tamen tale efformat Sacrificii complementum, ut ejus omiſſio populum offenderet.

III. Quoad omiſſionem vero, vel mutationem Rituum, qui Miſſæ celebrationi adjunguntur, 1. animadvertimus, non loqui nos de Ritibus eſſentialibus, & ad Sacramenti ſubſtantiam pertinentibus, hos enim omittere non ſolum grave ſacrilegium eſt, ſed nullum etiam redderet Sacrificium; ſed de illis ſermonem habemus, qui ab Eccleſia ad devotiorem ſacrificii celebrationem adjecti ſunt, & qui præcipue in quibuſdam actionibus conſiſtunt. Hæc quoque vel gravior eſſe poteſt omiſſio, vel levior juxta ipſius Ritus, dignitatem, præſtantiam, & majorem ad Sacrificium propinquitatem. 1. Itaque Miſſa eo Ritu eſt celebranda, qui ab Eccleſia vel univerſaliter pro omnibus, vel ſingulariter pro aliquo Ordine Religioſo præſtitutus eſt. Hinc Cartuſienſes, Dominicani, Carmelitæ ſuos Ritus ſervare debent, nec Romanum communem uſurpare, niſi vel ad Epiſcopatum promoveantur, vel ſpeciali donentur privilegio. Sic nec Ritum ſervantes Romanum, aliquorum Ordinum Ritum amplecti poſſunt. Quod & dicendum de quibuſdam Eccleſiarum Ritibus, Ambroſiano, Mozarabo &c. Porro hæc mutatio tanti eſt momenti, ut a gravi culpa non excuſentur, qui alienum Ritum uſurpat. 2. Quæ ſecreto dicenda jubentur, non poſſunt ſine peccato elata voce pronuntiari. Ideo non immerito docent Navarrus, Cajetanus, Quarti, & Gavantus eum peccare mortaliter, qui alta voce legit totum Canonem, quia, ſi hoc fiat data opera, ſaltem videtur velle inducere novum Ritum, & difficile populi offenſio evitatur, & Gavantus ſubdit, hanc eſſe communem Doctorum ſententiam. Immo Tridentina Synodus contra hæreticos definivit ſeſſ. 2. can. 9. *Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ Ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba Conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe . . . . . eo quod ſit contra Chriſti inſtitutionem; anathema ſit*. Pariter non leviter peccaret, qui ita demiſſa voce Miſſam recitaret, ut ſeipſum non audiret: nam, ut Rubricis Miſſalis indicitur, quæ ſecreto dicenda ſunt, ita pronuntiet, ut ſeipſum audiat, & a circumſtantibus non audiatur. Gravis etiam Sacri Ritus tranſgreſſio habetur in omiſſione mixtionis aquæ cum vino, elevationis hoſtiæ, & Calicis poſt conſecrationem, fractionis hoſtiæ, ejuſdem cum ſanguine mixtionis. Non tanti tamen reputatur omiſſio tunſionis pectoris, vel alicujus Crucis, & alterius minoris Ritus.

IV. Quoad Rubricas vero, quæ & Sacros Ritus, & Cæremonias amplectuntur, primum inquirendum, quomodo obligent. Non defuere Theologi benigniores, qui Rubricas omnes mera eſſe conſilia, inſtructiones, directiones ad Sacras Cæremonias rite peragendas cenſuere. At, quam a vero abſit hæc doctrina, manifeſte apparet ex Bulla S. Pii V. omnibus Miſſalibus præmiſſa, in qua Sanctiſſimus Pontifex ſic indicit: „ Mandantes, & ſtricte omnibus *præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ*, ut Miſſam juxta ritum, modum, & normam in Miſſali deſcriptam decantent, vel legant, neque in Miſſæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ in Miſſali continentur, addere, vel recitare præſumant ". Quibus verbis ſatis indicat Pontifex, ſe legem ferre, & præcepti onus imponere. Sunt vero, qui diſtinguunt, & alias quidem Rubricas mere appellant directivas, quæ ſcilicet rigoroſum non inferant præceptum; alias vero præceptivas, quæ nimirum ſub præcepto obligent. Sunt denique, qui omnes præceptivas cenſent, & quæ vim veræ legis, ac ſanctionis habeant, & quidem ex genere ſuo ſub lethali peccato obligent; ſolum ratione parvitatis materiæ, vel inadvertentiæ, aut venialem tantum inducant noxam, aut excuſent a culpa: & ita ſentiunt quidem nobiliores Theologi, Quartus, Suarezius, Averſa, quibus adhæret & Lambertinus de Sacrificio Miſſæ par. 2. cap. 4. §. 3. Et revera ſi ea legantur, quæ de Eccleſiaſticis officiis ſcripſere S. Iſidorus, Amalarius, Rabanus, Berno, Hugo Victorinus, Rupertus Abbas ex vetuſtioribus, ex recentioribus vero Durandus in Rationali, Gabriel Biel in Canonem, Quartus, Gavantus, Meratius, & Lambertinus, quiſque facile deprehendet, quanti momenti ſit, Rubricas, & Ritus, quos Eccleſia cum non levi ſtudio, & magno delectu ad adſtantium inſtructionem, & devotionem ſelegit, ſervare, & ſedulo cuſtodire. Nonnullas tantum circa Rubricas quæſtiones expendemus, queis Tractatui coronidem imponemus.

V. Jubet Rubrica, ne Miſſa dicatur, niſi prærecitatis Matutino, & Laudibus. Nam in Tit. de Defectibus cap. 10. n. 1. inter defectus enumeratur, *ſi celebrans ſaltem Matutinum cum Laudibus non dixerit*. Et in Sacerdotali Romano indicitur: *Miſſa privata, ſaltem poſt Matutinum, quacumque hora ab aurora ad meridiem dici poteſt*. Hanc Rubricæ legem ſub gravi obligare cenſent plures Auctores, adeo ut lethaliter peccet, qui non recitato Matutino ad Altare accedat. Ita ſentit S. Antoninus P. IV. tit. 13. cap. 6. dicens: „ Miſſa non debet dici ab eo, qui non dixit Matutinum, licet poſſit audiri, alias dicendo eſſet peccatum mortale; quia contra conſuetudinem generalem Eccleſiæ ". Cui ſententiæ favere videtur Innoc. IV. in ſua epiſtola ad Othonem Tiburienſem Epiſcopum dicens: „ Sacerdotes dicant horas Canonicas more ſuo, ſed Miſſam celebrare, priuſquam Officium Matutinale compleverint, non præſumant ". Clericatus quoque Decif. 50. de Sacrif. Miſſæ huic adhæret ſententiæ; & quinquagintaquinque Auctorum nomina recitat, qui hanc omiſſionem gravis culpæ accuſant. Grancolas vero in Sacramentario antiquo Eccleſiæ P. I. pag. 739. plurium affert Conciliorum Provincialium, & Synodorum Decreta, ſub pœna Excommunicationis celebrationem Miſſæ ante Matutini recitationem vetantia. Certe hæc doctrina valde probabilis eſt, immo unice vera in hiſce caſibus. 1. In Miſſa Conventuali Cathedralium, & Col-

& Collegiatarum Eccleſiarum, tam ſecularium, quam regularium, ubi perverſa inordinatio habetur. 2. In illis Diœceſibus, in quibus hoc ab Epiſcopis, & Synodo indictum eſt, & præceptum. 3. In illis denique Sacerdotibus, qui ex conſuetudine, & more haberent fere ſemper Miſſæ celebrationem præmittere recitationi Matutini, nulla urgente cauſa, ſed ex mera, vel negligentia, vel torpore. At, ſi quando aliquis Sacerdos juſta, & gravi præſertim de cauſa, & multo magis pia, puta moribundo aſſiſtendi gratia, confeſſiones audiendi, lectiones habendi, Miſſam celebraret ante Matutini recitationem, vel omnino a culpa excuſarem, vel nonniſi levioris culpæ arguerem. Ita ſentit & Natalis Alexander de Sacramento Euchariſtiæ cap. 7. art. 4. & Lambertinus de Sacrif. Miſſæ. Recolantur ea, quæ diximus Tract. 4. Diſſ. 2. cap. 6. n. 13.

VI. Præcipitur etiam ablutio manuum facienda non in Altari, ſed in Sacrario ante ſanctarum Veſtium aſſumptionem. Hæc profecto ablutio non ſine gravi culpa omitti poteſt propter reverentiam Sacramenti, præſertim ſi ſordidatæ: ſi enim nemo auderet ad menſam alicujus honeſti viri aſſidere illotis & immundis manibus; quanto magis indecens eſt, & indecorum manibus illotis, & ſordidis divinum Chriſti Corpus attrectare? Unde optime argumentabatur D. Jo. Chryſoſt. hom. 20. *de ſimplicitate* n. 7. „ Non audes illotis manibus Sacrum „ Viaticum attrectare, etiamſi mille neceſſitatibus „ premeris. Ne igitur illota accedas anima: hoc „ enim multo, ac illud, eſt gravius, & acerbius „ ſupplicium importat “. Legatur Martene de Antiquis Eccleſiæ ritibus. Pſalmi quoque cum verſiculis, & orationibus ſunt recitandi, ſed non ſub gravi; cum dicatur præparatio *pro opportunitate Sacerdotis* facienda.

VII. Si Sacerdos obierit poſt conſecratam hoſtiam, & ſemiprolata Calicis conſecratione, jubet Rubrica, „ ut alter Sacerdos proſequatur Miſſam, „ & ſuper eumdem Calicem repetat integram for„ mam ab eo loco, *ſimili modo poſtquam cœnatum* „ *eſt*; Vel poteſt ſuper alium Calicem præparatum „ integram formam proferre, & hoſtiam primi Sa„ cerdotis, & Sanguinem a ſe conſecratum ſume„ re, & deinde calicem relictum ſemiconſecra„ tum “. Ex qua Rubrica patet, neceſſariam non eſſe alterius hoſtiæ conſecrationem, ut ab uno totum compleatur Sacrificium, quod unum eſſe debet. Nam, ut animadvertit D. Th. in IV. Diſt. 8. q. 2. art. 4. *Non per hoc derogatur unitati Sacramenti, quia omnes unum ſumus in Chriſto propter Fidei unitatem*. Verum, cum doctrinæ, quæ novæ poſtulat hoſtiæ conſecrationem, faverit Innocent. III. D. A. ſubdit ſtatim, ſecundum tamen Innocent. *conſultius eſt, ut illa hoſtia jam conſecrata ſeorſim poſita, ſuper aliam deinceps officium iteretur*. At doctrinæ S. Thomæ, & Rubricæ ordinationi favent pene omnes Doctores hac invicta ratione: quia cum hic agatur de Supplemento Sacrificii imperfecti, ſolum addendum quod deficit. Idem dicendum, ſi Sacerdos advertat poſt conſecrationem, & etiam poſt hoſtiæ ſumptionem, hoſtiam illam eſſe corruptam, vel non eſſe triticeam, aliam ſumat, faciat oblationem, ſaltem mente conceptam, & a conſecratione incipiat, ſcilicet ab illis verbis, *Qui pridie quam pateretur*, & illam priorem (ſi non ſumpſit) ſumat poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis. Si autem ſumpſerat, nihilominus ſumat eam, quam conſecravit: quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris eſt ponderis, quam quod a jejunis ſumatur. At non ita præſtandum, ſi errorem ineptæ materiæ in hoſtia detegat poſt ſumptionem ſanguinis; tunc enim debet apponi novus panis, & vinum cum aqua, & facta prius oblatione, ut ſupra, Sacerdos conſecret, incipiendo ab illis verbis *Qui pridie*, ac ſtatim ſumat utrumque, & proſequatur Miſſam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus ordo ſervetur. Nec diſpari modo agendum, ſi æqualis error occurrat in Calice. Si enim Sacerdos errorem deprehendat ante Calicis conſecrationem, novam apponat materiam, offerat, & conſecret. Si poſt ſumptionem Corporis, inquit D. Thom. 3. p. quæſt. 83. artic. 6. ad 4. „ Aliam „ hoſtiam apponere debet iterum conſecrandam „ ſimul cum Sanguine. Quod ideo dico, quia ſi „ diceret ſola verba conſecrationis Sanguinis, non „ ſervaretur debitus ordo conſecrandi: &, ſicut „ dicitur in Canone Concilii Toletani, *perfecta* „ *videri non poſſunt Sacrificia, niſi perfecto ordine* „ *compleantur*. Si vero inciperet a conſecratione „ Sanguinis, & repeteret omnia verba conſequen„ tia, non competeret, niſi adeſſet hoſtia conſe„ crata; cum in verbis illis occurrant quædam „ dicenda, & fienda non ſolum circa Sanguinem, „ ſed etiam circa corpus: Et debet in fine ite„ rum ſumere hoſtiam conſecratam, & Sangui„ nem, non obſtante etiam ſi prius ſumpſerit a„ quam, quæ erat in Calice: quia præceptum de „ perfectione, ſive de perceptione hujus Sacra„ menti majoris eſt ponderis, quam præceptum, „ quod hoc Sacramentum a jejunis ſumatur “. Cum S. Thom. tamen non conveniunt Sotus, nec D. Bernardus: ambo enim cenſent ſat eſſe, ſi ſolum vinum conſecretur. Nam D. Bernardus Guidoni, qui poſt conſecrationem panis deprehenderat non appoſitum in calice miniſtri oſcitantia vinum, aliud apponi juſſit, in eoque hoſtiæ partem infudit, & poſtea ſumpſit, ſic ſcribit: „ Vinum „ fudiſti in calicem ſuper hoſtiæ ſacratæ particu„ lam, laudamus; nec ſub tanto articulo melius „ fieri potuiſſe putamus, arbitrantes, liquorem, „ etſi non ex conſecratione propria, atque ſole„ mni in Sanguinem Chriſti mutatum, ſacrum ta„ men fuiſſe ex contactu Corporis ſacri .... Ego „ autem pro meo fatuo ſenſu, ſi mihi idem con„ tigiſſet, quod tibi, vellem ad remedium mali „ unum e duobus egiſſe, aut ipſum quod feciſti: „ aut certe ab illo loco, ubi dicitur, *ſimili modo* „ *poſtquam cœnatum eſt*, verba ſacra iteraſſe, & „ ſic compleſſe, quod reſtabat de Sacrificio “. Verum cum, ut animadvertit Sotus, facile ſit S. Thom. ſententiam ſequi „ quando coram uno, „ vel duobus tantum celebratur; tamen, quando „ id contingit in publico, forte non eſſet abſur„ dum, ad vitandum ſcandalum, & turbationem „ populi, ut Sacerdos fingens lotionem ſumere, „ vinum tunc infunderet, & conſecraret, & ſu„ meret. Nam ſcandalum excuſaret, præſertim „ cum jam facta fuerint ſigna ſuper hoſtiam, li„ cet non legitime ſuper calicem “. Ex hac Soti animadverſione non ſine plauſu accepta, factum eſt, ut in Rubricis Miſſalis poſt traditam S. Thomæ

doctrinam additum fuerit : *Vel ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum, poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut ſupra, conſecrare, & ſtatim ſumere, ac proſequi cetera.* At in hoc caſu Sacerdos, qui accepta eleemoſyna celebrat, non ſatisfacit ſuo oneri, ſed aliam Miſſam celebrare tenetur; quippe qui Sacrificium non peregit, cum nunquam fuerit ſimul in Altari præſens Corpus, & Sanguis Chriſti, quod certe ad Sacrificium requiritur.

VIII. Poſt ſumptionem Sanguinis, vino purificandus eſt Calix. Hæc quoque Rubrica in Jure Canonico fundatur, ubi Innoc. III. cap. *Ex parte* de celebr. Miſſæ dicit : „ Semper Sacerdos vino os „ perfundere debet, poſtquam totum acceperit Eu„ chariſtiæ Sacramentum “. Et rationem aſſignat S. Th. hic q. 83. art. 5. ad 10. *Vinum ratione ſuæ humiditatis eſt ablutivum; & ideo ſumitur poſt ſuſceptionem hujus Sacramenti ad abluendum os, ne aliquæ reliquiæ remaneant; quod pertinet ad reverentiam Sacramenti.* Tanti facit Pontaſius hanc ordinationem, ut lethalis peccati reum declaret Sacerdotem degentem in regionibus, in quibus magna eſt vini penuria, nec niſi caro emitur pretio, ſi in utraque purificatione ſolam aquam ſumat: & quidem fretus non ſolum Innocentii præcepto, ſed & Tridentini Decreto jubentis, ne in Miſſa novi inducantur Ritus. Et quidem illi conſentio, ſi ſola avaritia in cauſa ſit, ob quam Eccleſiæ ſtatutum violet. At ſi vel paupertas, vel etiam naturalis vini abominatio cogat, ut contingit in Abſtemiis, non adeo rigide judicarem, & multo minus quoad ſumendam ablutionem, quæ cum vino, & aqua fieri ſolet, quippe quæ olim a Sacerdote non ſumebatur, ſed in locum mundum projiciebatur; & Innocentii Decretum D. Thom. de ſola prima purificatione interpretatur. Tamen non aliqua culpa uſitatus Eccleſiæ ritus vel omittitur, vel immutatur.

IX. Sacerdos hoſtiam, quam in Miſſa conſecravit, ſumere debet, non vero aliam loco ejus. Patet manifeſte, quia Sacerdos de ſuo Sacrificio participare debet. Nam, ut dicitur cap. de Conſecrat. diſt. 2. quale erit illud Sacrificium, cujus nec ipſe ſarificans particeps eſſe cognoſcitur? Quare optime docet, & monet Sylvius in 3. p. q. 76. art. 1. quæſt. 2. „ Obſervandum, quod dum Sacerdos celebrando „ renovat ſacram hoſtiam, non poteſt aſſervare „ eam, quæ prius conſecrata fuerat, & reſervata, „ ſed debet conſecrare duas, quarum unam reſer„ vet, aliam ſumat; quia celebrans ſemper tenetur „ ſumere utramque ſpeciem tunc conſecratam, eo „ quod ſumptio maxime ad integritatem Sacrificii „ pertineat “. Quare q. 83. art. 4. infert: „ Pec„ caret graviter Sacerdos, qui hoſtiam, ſeu for„ mulam in ſua Miſſa conſecratam ſervaret pro „ Proceſſione, & ejus loco ſumeret veterem: quia „ ſic agens non participaret de utraque ſpecie; ac „ per conſequens non integre compleret hoc Sacri„ ficium “.

X. Miſſa eſt devote celebranda tum exterius, tum interius. Neminem eſſe puto, qui hanc doctrinam inficietur. Agitur enim de maximo noſtræ Religionis officio. Exterior vero devotio poſtulat totius hominis compoſitionem, & gravitatem, omnium cæremoniarum, & præſcriptorum Rituum obſervantiam. Porro ad hoc congruum requiritur temporis ſpatium, quod profecto tertia horæ parte minus eſſe non poteſt; ſed nec dimidiam horam debet excedere, niſi celebrantis accedat ſpecialis devotio; quæ tamen in publica celebratione non eſt oſtendenda; ſed in privato Oratorio retinenda, ut mos erat S. Philippi Nerii. Hinc graviter peccant, & ſunt a Sacrificio depellendi Sacerdotes illi, qui tanta feſtinatione, celeritate, præcipitantia celebrant, ut nec quadrantem horæ inſumant, ſed decem vel duodecim minuti ſacrum Rituum abſolvant. De quibus merito quæri poteſt cum Tertulliano, *num ſacrificent, an inſultent?* num mimos agant, an Sacerdotes? Sed (quod infandum auditu) non deſunt, ut teſtatur Lambertinus in ſua Inſtr. 34. §. 4. Sacerdotes adeo & ſui gradus immemores, & ſui ſacroſancti muneris contemptores, qui ad Capellani munus in aliqua nobili familia aſſumi cupientes, ad quotidie in domeſtico ſacello celebrandum, quod præcipuum afferunt ſuæ dignitatis argumentum, illud eſt, quod paucis minutis Miſſam expediunt. Hac etiam exteriori devotione carent ſenes illi, & infirmi Sacerdotes, qui ſacras cæremonias vel ſenii cauſa, vel infirmitate præpediti, aut peragere non valent, aut indecore peragunt; ſed omnia præſtant Altari innixi, ad populum non ſe vertunt, genuflexiones ommittunt, Cruces peſſime efformant, uno verbo, omnia indecore peragunt. Nonnullos ipſe vidi ita in privato Oratorio celebrantes, quos ſuaviter hortatus ſum, ut a celebratione abſtinerent, & ſacram Communionem frequentarent. Non tamen ſunt ſpirituali conſolatione, & fructu privandi, & a celebratione arcendi ſenes illi, & imbecilles Sacerdotes, qui ob ſenium, vel debilitatem genua uſque ad terram flectere non poſſunt, vel Calicem, & Hoſtiam altius elevare; ſed, quantum poſſunt, & genua flectunt, & brachia attollunt: hi enim defectus in ſenibus, & infirmis pia Mater Eccleſia benigne tolerat.

XI. Interior autem devotio in mentis attentione ad grande, quod agitur, opus, & in pio cordis affectu erga tam ſublime Myſterium ſita eſt. Hac carent devotione, qui mente diſtracta, oculis vagis Sacrificium offerunt. Omnes itaque diſtractiones voluntariæ (nam ab involuntariis in tanta humanæ mentis imbecillitate quis gloriari poteſt ſe eſſe immunem?) ſacrilegæ ſunt habendæ: & tanquam falſæ, laxe, piarum aurium offenſivæ dicendæ ſunt illæ Probabiliſtarum doctrinæ, quibus docent, diſtractionem etiam diuturnam extra canonem, & ſumptionem, venialem tantum culpam inferre, &, quod pejus, quamcumque diſtractionem internam, etiam in ipſa conſecratione & communione, venialis culpæ limites non excedere; &, quod denique peſſimum, pro tam falſis doctrinis hanc afferunt blaſphemam rationem: quia nimirum Pontifices optime norunt, ſententiam, quæ obligationem internæ attentionis ſub mortali negat, a pluribus Theologis (profecto Probabiliſtis) doceri, & tueri; & tamen, cum facile poſſint, ei non contradicunt, aut damnant. Unde inferunt, legem de attentione adhibenda in Sacrificio non eſſe certam, proinde non ſolum liberum eſſe ea carere, immo ratione contrariæ propoſitionis in libertate humana nullam eſſe legem admittendam. Quis talia legens temperet a lacrymis?

RE-

REFLEXIO.

I. Ad vos ſint, Conſacerdotes Miniſtri Domini, ſermones mei, ut diſcatis tantam eſſe, tam divinam, tamque ſublimem dignitatis veſtræ excellentiam, ſublimitatem, ſplendorem, ut nulla ſit inter homines excellentia, dignitas, ſublimitas, quæ illi valeat comparari. „ Omnium Principum (egregie ſcribit piiſſimus Cardinalis Bona in ſuo „ Tract. Aſcetico de Miſſa cap. 3. §. 1.) fulgorem „ ſuperat; omnium Regum poteſtatem excedit: illorum enim auctoritas circa temporalia, & terrena verſatur; Sacerdotis autem potentia etiam „ ad æterna, & cœleſtia extenditur, pro quibus „ comparandis omnes Principes, & Reges ad Sacerdotes confugere, opem eorum implorare, ſeque illis ſubjicere non erubeſcunt. Ideo ab Apoſtolo dictus eſt Sacerdos ab hominibus aſſumi, *ut offerat dona, & Sacrificia*, ac ſi ſuper alios elevatus communem hominum conditionem antecellat, quaſi mediator Dei, & hominum *in his, quæ ſunt ad Deum*, conſtitutus. A Malachia item Propheta Angelis æquiparatur his „ verbis: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus; Angelus enim Domini exercituum eſt*. Immo ex poteſtate, „ quam habet abſolvendi a peccatis, & conficiendi Corpus, & Sanguinem Chriſti, etiam Angelis ſuperior eſt: &, ut ait Nazianzenus *Orat.* „ 1. quædam illi divinitas ineſt, alioſque efficit „ Deos. Hæc te ſedulo conſiderare oportet, quicumque es Chriſti Sacerdos, ne ad te pertineat Pſalmographi ſententia dicentis: *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* “.

II. A dignitate Sacerdotali ad Sacrificium, quod quotidie offertis, oculos convertite, & perſpicietis nobiliſſimum, ſublime, divinum eſſe, & tale, ut Deum ſuſcipientem, offerentem, oblatum deceat. „ In illo ſiquidem (ut ſubdit mox laudatus Cardinalis §. 2.) offertur Chriſtus Dominus verus Deus, „ verus homo: & quia nihil excelſius illo eſt, ideo ratione ipſius actio ipſa ſacrificandi omnes „ humanas actiones excedit, etiam actus Sanctorum in cælis Deum amantium. Cavendum ergo, ne noſtra irreverentia, & indevotione tam „ magnæ rei oblationem dehoneſtemus. Et ſi „ Deus olim Sacerdotibus præcepit, *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*; quanto majori puritate „ nos enitere debemus, qui puriſſimum Chriſti „ Corpus, & pretioſiſſimum Sanguinem Deo offerimus? “ Finem quoque intuemini, propter „ quem, ceteris omnibus abolitis, inſtitutum fuit, „ ut nimirum per ipſum Deo creatori noſtro cultum „ latriæ tribuamus, noſtramque ſervitutem, & ſubjectionem humillime teſtificemur: ut dignas ei „ gratias perpetuo agamus pro univerſis beneficiis „ ejus: ad auxilia divinæ gratiæ, ejuſque protectionis, excitationis, & directionis impetranda: „ ad obtinenendam peccatorum veniam; ad iram „ Dei placandam, imminentia flagella avertenda: „ ad ſuccurrendum omnibus vivorum, & defunctorum neceſſitatibus, quæ ſunt pene infinitæ, Porro ex his clariſſime conſtat nullam poſſe majorem „ in hac vita, aut præſtabiliorem actionem a mortalibus exerceri, quam offerre Deo hoc Sacrificium “.

III. „ Quanta igitur cura (ut cum piiſſimo Scriptore concludam §. 4.) adhibenda ſit, ut hoc „ auguſtiſſimum Sacrificium omni venerarione, ac „ reverentia celebretur, facile intelliget Sacerdos, „ ſi ex una parte conſideraverit, nullum opus „ ſanctius, ac divinius a Chriſti cultoribus tractari „ poſſe, quam hoc ipſum tremendum Myſterium: ex „ altera vero perpendat, maledictum vocari in „ ſacris Litteris, qui facit opus Dei negligenter. „ Quod ſi Regem alloquuturus, magno metu ſtat „ coram illo, nec audet oculos ab eo divertere; „ quanto majori trepidatione, humilitate, ac ſollicitudine, in conſpectu divinæ Majeſtatis aſtare oportet, tota mente in ipſum Deum intenta, qui non ſolum externum aſpectum, ſed intima etiam animi penetralia intuetur? Quid „ turpius, & pœna dignius, quam quod peccator Sacro Altari irreverenter aſſiſtat, ubi Sancti metuunt, pavent Angeli, tremunt Poteſtates, & ſupremi Spiritus faciem ſuam velant „ præ verecundia, & confuſione? Accedit nox ad „ lucem, infirmus ad omnipotentem, ſervus ad Dominum, creatura ad Creatorem, & non formidat, non contremiſcit? “ Totis itaque viribus conari debetis Sacerdotes Miniſtri Domini, ut tam ſanctum miniſterium qua maxima fieri poteſt reverentia, & ſanctitate exequamini, & depoſitis terræ ſordibus ad angelicam puritatem enitamini.

FINIS TOMI SEXTI.

239.02
P 278
31737
PATUZZI, JOANNES VINCENTIUS
AUTHOR
Ethica Christiana Vol. 6
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

31737